V. 7.

*In tesseram inviolabilis amicitiæ*

# INTRODUCTIO

IN

# LIBROS SACROS

## VETERIS FOEDERIS.

USIBUS ACADEMICIS ACCOMODATA

A


Dr. FOURERIO ACKERMANN,

CAN. REG. LATER. CLAUSTRON. LINGUAE HEBR. ET STUDII BIBL. V. T.
PROF. CAES. REG. P. ET O.





VIENNAE, MDCCCXXV.

APUD CAROL. FERDINAND. BECK.



# Praefatio.

Novam accipis, lector, Introductionis in libros V. F. Dr. Joan. Jahni editionem, in plurimis quidem capitibus immutatam, servato tamen eodem ordine et materiarum delectu, atque, ubi visum est, argumentis iisdem, et verbis retentis. Non enim gloriae, et laudis cupido me duxit, cum novis curis huncce librum edere in mentem veniret; sed officii me tenuit ratio, qua praeciperem tantum ea, quae Ecclesia sacro-sancta nostra vel docet, vel quae ab ejus genio non sunt aliena. Est enim ecclesia catholica aedificium sicut firmum, sic et in omnibus suis partibus arcte compactum, singulorum lapidum junctura arctissima. — Scio quidem, paucissima, quae in hoc studio pertractantur, esse definita ecclesiae dogmata, nec is sum, qui cito alicui haereseos notam impingam, ubi ecclesia definitionem non tulit dogmaticam; imo dicendum, plura posse libere disputari, siquidem S. Augustinus jam dicat: „In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem charitas"; sed aeque persuasum mihi est, ea, quae in Introductione tractantur, maximam partem ad historiam pertinere, ubi quidem conjecturis, et ingenio non multum, omnia autem testimoniis efficiuntur; recentiorem autem hujus dis-

(**)

ciplinae culturam saepius haec neglexisse, illis vero nimium indulsisse. Sic veritas detrimentum est passa, pluraque in lucem edita sunt, quae approbationem non tulerunt, neque ferre potuerunt. Quadrat sane huc, quod Vincentius Lirin. c. 27 dicit: „Eadem, quae didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.“ Hic quidem canon historicus est. Ad illum me ergo adstrinxi. Scientia tali modo decrementum nullum capit; si enim ea est, quae necessitati adstringitur, alioquin permutationem in objecto non admittit, utut forma ad genium temporis adcommodetur. Tale autem est objectum historiae. Placuit et hoc respectu dictum ejusdem Vincentii c. 28. „Sed forsan dicit aliquis: Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? — Habeatur plane, „et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? „— Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non „permutatio. — — Crescat igitur oportet, et multum, vehementerque proficiat tam singulorum quam „omnium, tam unius hominis, quam totius ecclesiae „aetatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in „eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque „sententia.“ — Ex hoc ergo respectu hanc editionem considera, ac de mendis forsan non paucis amice mone. — Caeterum illa utere ad tuam, et Ecclesiae, cujus judicio omnia quaecunque in hoc libro dicta sunt, lubens submitto, incrementum! — Vale. Vindobonae die 7 Martii. 1825.

# Introductio
## in
## Sacros libros veteris foederis.

## Praeliminaria.

### §. 1. Nomina librorum V. F.

Libri, quos Hebraei, Israelitae, seu Judaei jam olim divinos venerabantur, dici solent inde a temporibus Tertulliani antiquum testamentum, ut distinguantur a divinis libris Christianae religionis, qui novum testamentum dicuntur. Denominatio desumpta est ex 2. Cor. 3, 6. 14. coll. Matth. 26, 28. Gal. 3, 17. Hebr. 8, 8. 9, 15 — 20., ubi antiqui interpretes διαθηκη, quod quidem et foedus, et testamentum significat, in Bibliis autem perpetuo respondet Hebraico בְּרִית, foedus, reddiderunt testamentum, quia, ut Hieronimus Comment. in Malach. C. 2. ait, huic voci, per Graecismum notionem foederis subjecerunt. Dictio autem Vetus Foedus, 2 Cor. 3, 14., illas antiquas divinas institutiones, promissiones, minas et omnem Mosaicum religionis apparatum significat; quia vero haec omnia et eorum quoque temporis progressu efficacia, adjumenta et impedimenta in his libris narrantur: nomen per metonymiam translatum fuit ad libros, ut vetus foedus veniat pro libris veteris foederis, prout arctiori significatione jam Exod. 24, 7. liber foederis, סֵפֶר הַבְּרִית, et Macc. 1. 57. βιβλιον διαθηκης occurrit. — Nomen מִקְרָא, fere ut قُرْآن, korân,

lectio per eminentiam, usurpatur Neh. 8, 8. de libris Mosis; a Rabbinis autem ad integram librorum collectionem extensum est. — Ita quoque nomen הַתּוֹרָה, תּוֹרָה, ὁ νομος, lex, qua voce orientales etiam religionem comprehendunt, et nomen סֵפֶר הַתּוֹרָה liber legis vel religionis, in libris veteris foederis designat solos libros Mosis; a Judaeis autem recentioribus ad omnes libros sacros translatum fuit, prout non modo ex Joh. 10, 34. 12, 34. 15, 25. 1. Cor. 14, 21., sed etiam ex Thalmude Sanhedrin p. 91. col. 2. liquet. Conf. Vetstenii N. T. P. I. p. 913. — Nominibus כְּתָב, מִכְתָּב, ἡ γραφη, scriptura, αἱ γραφαι, scripturae, γραφαι ἁγιαι, scripturae sacrae, et ἱερα γραμματα, sacrae literae, Josephus Flavius, Philo Judaeus et Rabbini aeque ac auctores librorum Novi Foederis crebro utuntur; nos vero his nominibus libros Veteris et Novi Foederis designamus. Hieronymus quidem nomen sancta Bibliotheca substituit, quod, etsi rei exprimendae optime conveniebat, usu tamen non ita comprobatum fuit, ut nomen βιβλια, libelli per eminentiam, quo Chrysostomus uti solebat. — Alia nomina librorum V. F.: Lex et Prophetae; Lex Prophetae et alii vel reliqui libri; Lex, Prophetae et psalmi, qui inter reliquos illos libros primum locum occupant, a divisione librorum desumta sunt, cf. infra §. 103. et Eccles. Proleg. 1 — 2. Matth. 5, 17. 7, 12. 11, 13. 22, 40. Luc. 16, 16.

## §. 2. Gravitas librorum V. F.

I. Jesus hos libros, non modo ut utilissimos et veraces adprodavit, atque fundamentum suae doctrinae posuit, sed persaepe quoque disertis verbis in testimonium summae auctoritatis adduxit, ut Matth. 7, 12. 11, 13 — 15. 22, 37 — 43. Luc. 16, 16 — 17. Joh. 5, 46. 10, 35. et aliis locis, praesertim vero Matth. 5, 17 — 18., ubi ait, se non venisse, ut aboleret legem et prophetas,

i. e. libros antiqui foederis, sed ut compleret seu perficeret, (c. f. גְּמַר et גְּמָרָא in Buxtorfii Lexico Chald. Thalm. Rabbin. col. 450 et 452.); atque ubicunque de sublimi sua dignitate loquitur, eam his libris superstruit, ut Matth. 11, 13. cf. Luc. 1, 31—33. 2, 25 — 27. 44 — 47. Joh. 5, 39., inprimis vero Matth. 26, 63 — 64., ubi a judice adjuratus, jurejurando affirmat, se eum esse, qui in scriptis his sacris promissus fuit Messias, quod effatum sanguine suo in cruce confirmavit, ut se ad opiniones Judaeorum accommodasse censeri non possit; nulla enim accommodatio minus accommodata cogitari potest, quam quae non modo gentem, cui se accomodasse fingitur, ab eo alienavit, sed vitae etiam finem acceleravit. — II. Apostoli et Evangelistae hos libros constanter ad comprobandam doctrinam allegant, Act. Ap. 3, 18—21. 28, 25. 1. Petr. 1, 10, 11. 2. Petr. 1, 19. 2, 21. 1. Cor. 10, 6. Rom. 15, 4. etc.; atque tanquam sacrum omnis doctrinae salutaris thesaurum ecclesiis, quas condiderunt, tradiderunt, et lectionem in liturgia mandarunt. Paulus, nequaquam fautor ritus Mosaici, scribit 2. Timoth. 3, 15 — 16., libros hos complecti, quae Christianos conducentia ad salutem docere, et ministros quoque ecclesiae doctrina affatim instruere possint. Talia non scribunt, qui se ad erroneas populi opiniones, vel ad usum loquendi accomodant. — III. Ecclesia primitiva, ab Apostolis et Apostolorum discipulis edocta, aut ab eisdem parum distans, eandem constanter tenuit sententiam, atque Gnosticos, Marcionitas et Manichaeos hac quoque de caussa, quod hos libros carpebant, a communione sua removit, et singuli quoque ecclesiae Patres antiquissimi libros hos contra adversarios propugnarunt — IV. Commendant se denique libri hi ipsi non modo antiquitate, per secula quippe sedecim ante Christum scripti, sed etiam argumento, de quo plura dicenda veniunt.

## §. 3. Argumenta librorum V. F.

Praecipua capita, quibus hi libri omnibus aliis praecellunt, sunt: I. Doctrina de vero Deo antiquissimis illis temporibus, quibus totus terrarum orbis creaturas et inania commenta adorabat. — II. Doctrina de praestantia hominis ejusque relatione ad Deum creatorem, benefactorem, rectorem coeli et terrae et judicem; nec non doctrina moralis, qualis apud alias antiquas gentes frustra quaeritur. — III. Miracula et vaticinia prorsus singularia, contra quae quidem multi multa scripserunt et scribunt, nullus tamen unquam negare potest, haec nostra omnibus aliis miraculis et vaticiniis, quae gentes jactant, nullo modo comparari posse; nam non modo ab omni superstitione immunia, magna, et Deo digna sunt, sed omnia quoque collineant, ut testimonia praeberent, viros illos ab omnipotente et omniscio Deo rectore mundi fuisse missos, quorum institutione cognitio Dei et vera religio usque in seram illam posteritatem conservaretur, qua ad alias gentes propaganda foret, et demum, postquam Salvator, ultimus finis omnium vaticiniorum venit, reapse propagata fuit. — IV. Historia a creatione et primo homine exordiens, et usque in tempora, quae proxime Christum praecesserunt; progrediens, complectitur permulta doctrinae capita et monita salutaria, atque inter cetera sistit pericula, quae cognitio Dei inter ipsos Israelitas subiit, et refert ea, quae Deus disposuit, ut vera religio in orbe terrarum conservaretur. — V. Singulare denique consilium, jam in antiquissimis scriptis propositum, et in subsequentibus semper dilucidius declaratum, atque in Novo Foedere ratione prorsus admiranda in effectum deductum, quod ab hominibus sibi relictis, nec primitus ita fingi, neque progressu temporis hac ratione continuari, neque tandem hoc modo in effectum deduci potuit. Nam non solum omnes eventus majores praedicti fuerunt, et, prout praedicti fuerunt, acciderunt; sed etiam jam Gen. 3, 15 Deus protoparentibus spem salutis facit, Cf. Storr opusc. academ. Vol. 2 p. 416 sqq. et ae-

tate Abrahami, Isaaci et Jacobi, Gen. 12, 1—4. 15, 1—20. 17, 4—14. 18, 16—22. 22, 18. 26, 1—4. 28, 12—18., adeoque 22 ante Christum seculis, cum polytheismus et idololatria totum terrarum orbem inundabat, panditur prospectus in illa postrema tempora, quibus per posteros illorum patriarcharum ac tandem per Messiam et apostolos ejus salutaris Dei cognitio ad omnes gentes propaganda esset. Quum demum multi posterorum Jacobi in Aegypto eadem idololatriae superstitione inficerentur, a Deo per Mosen, 16 seculis ante Christum, theocratia, seu civitas, in qua Deus simul rex populi esset, constituta fuit, quae deinceps, etsi gens diversissimas vicissitudines subiit, semper conservata fuit, nec illa strage captivitatis Babylonicae funditus everti potuit; nam Hebraei in Palaestinam reduces, eam restituerunt, et constantes demum Dei cultores erant, donec illud aevum ingrueret, quo prout toties praedictum fuit, cultus veri Dei in alias gentes propagatus est.

## §. 4. Introductio in libros V. F.

Si itaque non modo Jesus et Apostoli libros hos tanti fecerunt, sed tanta quoque eorum antiquitas, et adeo praecellens est argumentum: profecto nostra multum interest, examinare, a quibus auctoribus et qua aetate scripti sint; an incorrupti ad nos pervenerint; an fide digni sint, et quo fundamento auctoritas eorum nitatur; quibus subsidiis intelligi possint; quas vicissitudines externas et internas subierint, et quibus mediis errores, qui fortasse irrepserunt, corrigi possint. Tale examen criticum historiae librorum veteris foederis, ut rite aestimentur, atque recte tractentur et intelligantur, dicitur introductio in libros V. F., quae prout ea, quae omnibus his libris communia, aut illa, quae cui-

libet libro peculiaria sunt, complectitur, generalis, vel specialis nuncupatur.

## §. 5. Quaepiam de historia literaria introductionis in libros V. F.

Antiqui Scriptores ecclesiastici, praesertim illi, qui adversariis V. F. respondebant, hanc librorum historiam passim scrutati sunt, nec tamen de ea unquam ex professo scripserunt. Augustinus fuit primus, qui ea, quae jam eruta erant, in libris de doctrina Christiana collegit et auxit. Hunc deinceps alii secuti sunt, inter quos eminet Marcus Aurelius Cassiodorus († 562), qui Institutionem Divinarum scriptuarum edidit. — Aevo theologiae scholasticae quaepiam de historia librorum sacrorum in prolegomenis theologiae tractabantur; quum autem studium scripturae revivisceret, plures Introductiones, Claves, Annotationes, Prologi, Prolegomena, Praefationes, Disquisitiones, Exercitationes, et Apparatus Biblici prodierunt. Pleraque haec scripta libros V. et N. F. complectuntur; praecipua sunt: Sixti Senensis Bibliotheca sacra, 1566. Venetiis 2 T. in Fol., saepius recusa, quae manibus omnium terebatur, Nicol. Serarii Prolegomena biblica. Fol. Moguntiae 1613. Jac. Bonfrerii Praeloquia in S. Scripturam. Antverpiae 1625. Michaelis Walteri officina Biblica Lipsiae 1636, quam superavit et antiquavit Joh. Henr. Hottingeri Thesaurus Philologicus seu Clavis Scripturae sacrae, Tiguri 1649. — Prolegomena in Polyglottis Londinensibus 1657. superant omnia antiquiora hujus generis scripta, quare adhucdum 1723 et 1777. singillatim edita sunt. — His inferior erat Joh. Leusdenii Philologus Ebraeus 1656, et Philologus Ebraeo mixtus 1663. Ultrajecti; multo autem superior erat Richard Simon Histoire Critique du Vieux Testament, à Paris

1678; opus excellens, quod plures adversarios nactum est. — Solam γνησιοτητα librorum tractat Petr. Dan. Huetii, Episcopi Abricensis, Demonstratio Evangelica, Parisiis 1681. — Archaeologiam immixtam exhibet Bern. Lamy Apparatus ad Biblia sacra, Gratianopoli 1687., Gallico idiomate exaratus, in Latinum traductus et saepius recusus. — Limitibus Introductionis arctius continetur Louis Ellies du Pin Dissertation praeliminaire, ou Prolegomenes sur la Bible, à Paris 1701.; et Humphreyi Hodii libri quatuor de textibus Bibliorum originalibus, Oxonii 1705. — Augustin Calmet Dissertations, qui peuvent servir des Prolegomenes de l'Ecriture Sainte 1715 et 1720., in plures alias linguas versae, varia tractant, in quibus subtile judicium desideratur. — Inter recentiores ex multis praecipue allegari merentur: Joh. Gottl. Carpzovii Introductio ad libros Canonicos V. F. 1725, et ejusdem Critica Sacra 1728 Lipsiae. Joh. Fr. Marchini Tractatus de divinitate, et canonicitate S. Bibliorum Taurini 1777, Joh. Gottfr. Eichhorns Einleitung ins A. T. 3 Bd. 1802. dritte Auflage. — Joh. Dav. Michaelis Einleitung in die göttlichen Schriften des A. B. 1787.; solos libros Mosis et Jobi complectitur; Leonhard Bertholdts Historisch-kritische Einleit. ins A. u. N. Test. Erlangen 1812 — 14., recentiorum diversas sententias collegit. Dan. Tobenz Institut. S. Scripturae. Vindobonae 1814. Dr. Joan. Alber Institut. hermen. S. Scripturae V. F. Pestini 1817. Pareau Institutio interpretis V. T. Trajecti ad Rh. 1822.

In recentioribus scriptis periodicis plura singularia ad introductionem in libros V. F. pertinentia occurrunt, uti in Joh. Dav. Michaelis Orientalischer exegetischer Bibliothek 24 Th. 8. 1771 — 1785., et neuer or. und. exeg. Bibliothek 9 Th. 1786 — 1793.; in Joh. Gottfr. Eichorns Repertorium für Biblische und Morgenländische Literatur 18 Th. 1777 — 1786 und allg. Bibliothek

der Bibl. Literatur 1787 — 1802.; in Eberh. Gottl. Paulus neuem Repertorium für Biblische und morgenländische Literatur 3 Th., et Memorabilien 8 Stücke; in Heinr. Conr. Henke's Magazin für Religionsphilosophie und Kirchengeschichte 1793 — 1803; in Analecten für das Studium der exegetischen, und systematischen Theologie, herausgegeben von Dr. C. A. G. Keil, Dr. H. G. Tzchirner und Dr. E. C. Fr. Rosenmüller 1813 —, in Biblisch - exegetischen Repertorium herausgegeben von Dr. E. Fr. C. Rosenmüller und M. G. H. Rosenmüller 1822 — etc. etc. in Commentat. theolog. edid. ab E. F. C. Rosenmüller, — G. H. L. Fuldner et J. V. D. Maurer 1825. — De quibus aliisve similis argumenti scriptis valeat aureum illud Apostoli consilium 1. Thessal. 5, 21 παντα δοκιμαζετε. το καλον κατεχετε.

# Pars prima.

## Introductio generalis in divinos Libros V. F.

## Caput primum.

### Libri V. F. sunt genuini, incorrupti et fide digni.

### §. 6. Gravissima quaestio est, an libri V. F. sint genuini, an suppositi.

Si libri V. F. non essent ab illis auctoribus, aut non ex illis circiter seculis, quibus tribuuntur, sed ab aliis tempore multum recentiore scripti, id est, si essent spurii: historia, in ipsis narrata, minime tanta fide foret digna; consilium illud, quod per omnes libros protenditur, posteriori aevo historiae obtrudi potuisset; miracula illa antiqua possent recentiori aevo esse conficta, vel ex eventibus naturalibus transformata; vaticinia quoque potuissent post facta historica confingi; Jesus denique et Apostoli opera impostorum probassent. Hinc patet quanti momenti sit quaestio, an libri hi sint genuini, i. e. an ab illis auctoribus, et (imprimis si auctor ignotus est) illis temporibus, quibus tribuuntur, scripti sint.

## §. 7. Quibus argumentis probanda γνησιοτης librorum.

Qua aetate et a quo auctore liber quicunque scriptus fuerit, quaestio est facti, quae aliis, nisi historicis argumentis solvi nequit. Argumenta vero historica sunt testes omni exceptione majores, qui veritatem scire poterant et dicere volebant, atque indicia, quae in argumento, lingua et elocutione, indole et habitu librorum observantur, et pro hoc auctore, aut saltem pro illa circiter aetate faciunt. Illi testes vocantur argumenta externa, haec indicia vero dicuntur interna, quae utraque ad probandam γνησιοτητα profanorum librorum antiquorum abunde sufficiunt; quare in nostra quoque quaestione quidpiam amplius requirendum non est.

## §. 8. Testimonium libros V. F. esse genuinos.

I. Qui coaevi erant scriptori cuique Hebraeo, et librum ex ejusdem manibus acceptum descripserunt, et porro aliis describendum tradiderunt, utique noverunt, a quo auctore et qua aetate editus sit liber; et hi porro eum cum certa notitia auctoris et aetatis subsequentibus, et hi porro posteris suis, atque sic porro alii aliis per omnia subsequentia secula tradentes, contestabantur, librum illius esse auctoris et aetatis. — II. Haec traditio, praesertim illa remotissima aetate, qua primi nostrae sacrae Bibliothecae libri scripti sunt, eo facilius fideliter propagari debuit, quod pauci erant libri, ideoque origo eorum facillime memoria retinebatur; quare haec traditio, quae non ab eruditis, per conjecturas diversas veritatem obscurantibus, ad discipulos, sed a patribus, eadem centies fideliter repetentibus, ad filios propagabatur, certitudine praestat, et Deut. 32, 7 — 8. commendatur; hinc plures quoque auctores, nec nomen, nec aetatem operibus suis subscripserunt; in libris autem, quibus auctor nomen suum adjecit, non

amplius opus. nisi quod facillimum erat, hanc annotationem fideliter describere. — III. Neque ulla aderat ratio, qua Hebraei moveri ad corrumpendam hand simplicissimam traditionem potuissent. — IV. E contrario, quia potior saltem pars nationis libros hos permagni faciebat, ratio urgebat, originem eorum sincere propagandi ad posteros. — V. Quod si tamen gens esse perfida voluisset, ratio non defuisset mentiendi spurios esse libros; permulta enim referunt odioso, uti inprimis perpetuas redargutiones et reprehensiones populi indocilis, inflexibilis et pertinacis; si igitur gens nihilominus testatur, libros esse genuinos, testis contra seipsam, adeoque omni exceptione major exsurgit. Hoc argumentum etiam eo pertinet, ut excludatur hypothesis, historias recentiori aetate esse insertas. — IV. Nec fieri facile potuit, ut notitia de origine horum librorum corrumperetur, siquidem integra tribus inter cetera ad id quoque consecrata erat, ut monumenta sacra custodiret; nec in reliquis tribubus ullo tempore, nec in ipsa quoque captivitate Babylonica, deerant viri, quales antiquiori aevo fuerunt rectores reipublicae, seu judices, et dein prophetae ac alii, qui libros hos propter id ipsum maximi faciebant, quod ex illa aetate et ab his auctoribus descenderunt. — Si nomina quorundam auctorum et ipsa quoque eorundem aetas, in oblivionem abierunt, gens tamen ignorantiam fatetur, quod argumento est, eam nolle testari, nisi quae a majoribus certo accepit. — VII. Testimonium, quod urgemus, non est Haebraeorum recentiorum, sed antiquissimorum, ac id ex eo quoque elucet, quod alter librorum pro noto ponit alterum antiquiorem et passim nominetenus allegat, ex quo manifestum fit, jam illos auctores antiquos a majoribus accepisse, libros antiquiores esse genuina illorum auctorum et aetatum opera.

## §. 9. Argumenta interna pro γνησιοτητι librorum V. F.

Argumenta interna pro γνησιοτητι librorum antiquorum, sunt vel negativa vel positiva. — Negativa sunt, si in argumento et elocutione nihil offenditur, quod cum auctore, aetate, regione, loco et aliis ejus relationibus pugnet. — Positiva autem argumenta dicuntur illa singularia, quae in librorum argumento, elocutione aliisque adjunctis observantur, et ab aliquo impostore proficisci non potuerunt, aut cum suppositione librorum conciliari nequeunt, ut libri non possint esse aliorum auctorum aut alterius aetatis.

An in libris V. F. occurrat quidpiam scriptoribus et aetati eorum repugnans, persaepe a viris acutissimis, hostili quoque animo, examinatum fuit, et quae notata fuerunt repugnantia, instituto novo examine, vel optime cum historia conspirare, vel ad errores librariorum pertinere, deprehensa sunt.

Argumenta interna affirmativa non sunt quidem ad probandam γνησιοτητα librorum antiquorum necessaria, pro libris tamen Veteris Foederis duplicia adsunt: Primo suppositio horum librorum, sive I. unus, sive II. plures simultanei, sive III. plures successivi impostores fingantur, librorum argumento, elocutioni et linguae repugnat. — I. In his libris (a) simplicissimi hominum antiquissimorum mores, progressusque lenti, frequentes relapsus, remorae, et repetiti progressus usque ad exorbitantem tandem luxum, naturae rerum et hominum convenienter descripti sunt; (b) historia antiquior, mores, consuetudines aliaque adjuncta variorum et longe dissitorum populorum attinguntur, quin unquam recentiora aut inconvenientia immixta reperiantur; (c) ratio cogitandi, certi tropi et imagines, stilus et ipsa lingua in quolibet libro variant. Haec omnia profecto ab unico

impostore recentioris aetatis repeti nequeunt. — II. Non modo (a) illa naturae conveniens descriptio morum antiquissimorum et graduum usque ad extremum luxum, et (b) accurata commemoratio diversissimorum adjunctorum historicorum; sed etiam (c) diversa linguae puritas et varia stili elegantia aetati cujuslibet libri respondens; (d) provocatio libri alterius ad alterum, atque (e) quod libri recentiores ubique ponunt antiquiores, conciliari non potest cum pluribus impostoribus, qui coaevi, et aetate recentiori vixissent. — III. Denique illa commemoratio tot adjunctorum historicorum de diversissimis longeque dissitis gentibus diversarum aetatum, veritati tamen per omnia consentiens, repugnat quoque pluribus impostoribus successivis, quorum antiquissimus quoque recentiori aetate, prout supponitur, scripsisset, et omnem errorem, ut nunquam impingeret, cavere non potuisset.

Idem evincitur secundo, si argumentum librorum conferatur cum consilio, quo unus, vel plures simultanei aut successivi impostores ad tantam fraudem moti fuissent. Nam si nemo est sine caussa malus, impostura hujusmodi concipi nequit absque singulari consilio, quod fingi aliud non potest, nisi ut gens vel laudaretur, vel vituperaretur, vel doctrina de uno Deo imbueretur. Ast prout tot tantaque, quae occurrunt, genti ignominiosa, repugnant consilio laudandi; ita rursus, quae leguntur laudabilia, contraria sunt consilio vituperandi, ut adeo neutrum potuerit esse consilium libros hos supponendi. Si vero impostor vel impostores libros hos cudissent, ut gentem moverent ad amplectendam doctrinam de uno vero Deo: cuilibet libro (a) nomen viri celebris praefigere, vel in fine adjicere debuissent, quod in plerisque libris deest; neque (b) etiam percipi potest,

populum indocilem et inflexibilem suscepisse libros, qui, prius prorsus ignoti, nunc primum tanquam antiquissimi subito e tenebris in lucem emersissent, et minime exoptatam doctrinam de vero Deo, et tot praeterea reprehensiones et exprobationes complectebantur; nec (c) fingi possunt impostores adeo insipientes aut stupidi, ut non viderent, vituperia cavenda, et populi potius benevolentiam laudibus etiam immeritis sibi captandam fuisse, quibus eum ad suscipiendos libros spurios facilius flecterent.

## §. 10. Qua ratione probanda esset suppositio librorum V. F.

Ut evinceretur, libros hos esse spurios, non sufficeret, adductum supra testimonium nationis, et testes etiam singulares, quos in introductione speciali producemus, in suspicionem adducere, et vim argumentorum internorum infringere; sed porro testimonia nationis et singulorum scriptorum antiquissimorum, per alios aeque antiquos vel antiquiores testes refutanda, vel ex argumento et elocutione talia proferenda essent, quae cum γνησιοτητι conciliari non possent. Neutrum hucusque praestitum est, aut in posterum praestabitur, quum libri, ut vidimus, testimonio irrefragabili muniti, et ita comparati sint, ut spurii esse nequeant.

## §. 11. Quid corruptio librorum.

Etsi libri V. F., per oscitantiam librariorum naevos contraxerunt; mala tamen fide mutati non sunt, neque naevi illi, qui irrepserunt, substantialia aut rerum naturam afficiunt; quare libri corrupti dici nequeunt. Corruptio enim est deliberata seu mala fide suscepta mutatio substantialium argumenti, eo effectu, ut, quod ab auctore scriptum

fuit, perierit. Talem textus mutationem intelligunt adversarii, cum libros corruptionis arguunt. Menda autem, quae non raro sensu latiori dicuntur corruptiones, nec ex mala fide profecta sunt, nec summam rei pervertunt, plerumque etiam a genuino textu discernuntur, ut vera textus lectio dignosci et restitui possit.

## §. 12. Corruptio V. F. historiae repugnat.

Corruptio Librorum V. F. cum historia conciliari nequit. — Nam I. quamdiu post obitum Mosis vixit Josua et generatio illa, quae Jos. 24. pro cultu veri Dei adeo zelabat: libri sacri haud sane corrupti sunt. Inde vero usque ad Samuelem, passim judices seu rectores reipublicae florebant, qui pro forma regiminis, in sacris libris constituta, omnia discrimina adibant; nec deerant inter sacerdotes, Levitas, et alios quoque Israelitas, qui libros hos maximi faciebant, et argumentum eorum, quia omni septennio praelegebantur, noverunt, vel etiam exemplaria tenebant. Hi omnes adulteratoribus, si qui surrexissent, fortiter reclamassent, nec illis, inprimis rectoribus reipublicae, defuisset potestas, procacem proterviam reprimendi; exortae saltem fuissent contentiones, de quibus in libro judicum, ubi alia vitia minime tacentur, nulla fit mentio. — II. A Samuele usque ad Malachiam, serie fere continua se excipiebant prophetae, qui nec populo, neque principibus, nec regibus, neque sacerdotibus parcebant, et adulterationem sacrorum librorum, a quocunque tentata fuisset, nequaquam silentio praeteriissent, neque tamen attentatam fuisse, vel verbo meminerunt. — III. Post Schisma decem tribuum, saltem libri Mosis custodiebantur quoque in regno Israel, et aemulatio, quae inter utrumque regnum perpetuo vigebat, erat insuperabile corruptionis impedimentum; nam sive in regno Juda, sive in regno Israel tentata fuisset, sine reclamatione alterius partis, adeoque absque litibus perfici non potuisset, de

quibus in historicis libris mentio facta esset; imo corruptio hoc aevo facta, ex collatione quoque textus Samaritani et Judaici appareret. — IV. Anno 740 ante Chr. Israelitae ex Galilaea et Gilead, exemplaria detulerunt in Assyriam; 722 ante Chr. reliqui Israelitae codices secum deportarunt in Chalachenen, in Gozan ad ripas Chabor, et in urbes Mediae; 606 ante Chr. Daniel cum juvenibus nobilissimis libros attulit Babylonem; 595 ante Chr. Ezechiel cum aliis 10,000 Judaeorum codices portavit in Mesopotamiam ad ripas fluvii Cabor; 588 et 584 ante Chr. reliqui incolae Judaeae rursus deportabant libros in Babyloniam; eodem anno 588 ante Chr. fugitivi illi cum Jeremia Judaei codices detulerunt in Aegyptum, et alii fugientes exemplaria auferebant quoque in Arabiam felicem. Anno 320 ante Chr. Judaei, a Ptolemaeo Lagi in Aegyptum et Cyrenem traducti, quam plurimos codices in has regiones disseminarunt. Paulo post in Syriam, in Asiam minorem, in Graeciam, et demum quoque Romam penetrantes deportarunt sacros libros in omnes has regiones. Libri in toto terrarum orbe dispersi, corrumpi prorsus non potuerunt. — V. Seculo III. ante Chr. libri sacri hebraica lingua exarati in linguam Graecam, et seculo II. post Christ. sexies in Graecam, et in plures, progrediente praesertim tempore linguas alias translati sunt, et in manus diversissimorum populorum devenerunt codices, in quos omnes corruptio, quae tentata fuisset, intrudi debuisset. Atque ita, quo longius progredimur, eo minus percipi potest, qua ratione libri corrumpi potuissent.

## §. 13. Corruptio V. F. re ipsa revincitur.

Si nihilominus corruptionem librorum V. F. fingere libet, repugnat tamen res ipsa. Nam si adulteratio ante exilium Babilonium accidisset; profecto non alia mutata fuissent, nisi illa, in quibus adamata tunc idololatria reprehenditur, et cultus unius Dei inculcatur;

ast loca haec omnia, ut inspicienti patet, salva sunt. — Post reditum ex captivitate Judaei omnes tanta veneratione ferebantur in libros sacros, ut contumelias, ludibria, persecutiones, et supplicia omnis generis tolerarent, ne ab illis, quae praescripta erant, discederent, Conf. libros Maccab. et Josephum contr. Ap. I. 8. Homines ita affecti de corruptione librorum cogitare nequidem poterant; nec suspicari possumus, ad quid corrumpendum incitari potuissent. — Temporibus post Christum, Judaei, qui a Christianis, locis in Jesu completis premebantur, forte potuissent tentari, ad haec de Messia testantia loca adulteranda; ast vel obiter inspecta, ostendunt innocentiam Judaeorum. — Si itaque Judaei loca, ad quae depravanda moveri prae ceteris potuissent, reliquerunt integra; profecto a crimine corruptorum aliorum locorum immunes sunt. Cf. Richardi Simon opuscula critica Edinburgi 1685, et Simeonis de Muis tripl. assertio veritatis hebraicae Tom. II. oper. omn. Paris. 1650.

## §. 14. Corruptiones, quae praetenduntur.

Liber quicunque censetur incorruptus, donec corruptio probetur: quare ab adversariis manifesta et indubitata corruptionis exempla postulamus, quae nec Patres ecclesiae, neque recentiores quidam theologi, qui Judaeos corruptionis librorum sacrorum accusarunt, in medium protulerunt. Patres ecclesiae, quorum plures (a) versionem Alexandrinam divina cum inspiratione exaratam fuisse, et textui Hebraeo in omnibus consentire, credebant, ea omnia, quae Judaei ex textu Hebraeo aliis verbis versa proferebant, mox ab ipsis corrupta esse pronunciabant. Hinc (b) specimina corruptionis, quae proferunt, nihil ad rem faciunt; non enim sunt nisi aliae, jam meliores, jam deteriores, jam aeque bonae eorundem verborum versiones, vel lectiones variantes, quae plerumque exigui sunt

momenti. Neque porro (c) in hac lite, Judaeis intentata, consentiunt; Origines enim, Hebraicae gnarus, Judaeos absolvit, et Hieronymus, etsi passim accusationi consentit, nihilominus, ubi serio agit, Judaeorum sinceritatem tuetur, et ad Originem provocat. Nec (d) illi Patres, qui, contra Judaeos disputando, corruptionem praetendunt, sibi satis constant; non pauci quippe, quum alia tractant, laudant Judaeos fideles librorum custodes. — Recentiores scholastici, qui Judaeos accusarunt, (a) plerique linguae Hebraicae ignari, judicium sibi de re ignota arrogare non debuissent; (b) alii autem eruditi confundebant menda cum corruptionibus, aut (c) denique nimio zelo abrepti existimabant, Latinam versionem vulgatam, quam Protestantes contemnebant, non melius defendi posse quam reprehensione textus Hebraici, quem Protestantes unicum laudabant. Conf. du Pin Dissert. prelim. L. I. Ch. 4. §. 4. p. 145—154. et Richard Simon opuscula critica. — Ecclesia autem huic opinioni nunquam consensit, uti liquet ex actis omnium aetatum; nam saeculo II. suscepit versiones Graecas, quae ex textu Hebraeo fluxerant; imo Theodotionis versionem Danielis assumsit in liturgiam; seculo III. probavit Hexapla Origenis, in quibus textus Hebraeus bis descriptus erat, et ipsa versio Alexandrina ad eundem exigebatur, imo versionem hanc, ad textum Hebraicum refictam, ecclesiae Palaestinae in liturgiam assumserunt; seculo VI. et VII. ecclesia Latina adoptavit Hieronymi versionem ex Hebraico, quae rursus non modo desinente VIII. vel incipiente IX. seculo per Alcuinum, sed etiam per theologos Sixti V. et Clementis VIII. partim ad textum Hebraicum exacta est, ut adeo illibata textus Hebraei integritas nullo non tempore agnita fuerit. — Cf. Marchini tract. de divinitate, et canon. SS. Bibl. p. 84. sqq. Simeon de Muis triplex assertio veritatis hebraicae Parisiis 1650.

Quae in operibus recentissimis prolata sunt exempla corruptionis Judaicae, sunt menda et variae lectiones, unico loco Deut. 27, 4 fortasse excepto, quo Judaei, ut Samaritis argumentum pro templo et loco adorationis in monte Garizim eriperent, גְּרִזִים in עֵיבָל mutasse videntur. Nobis euntibus in scholam libros Judaei portant, inquit S. *Augustinus.*

## §. 15. Libri V. F. fide digni sunt.

Ut libri V. F. sint indubitata documenta, non sufficit, eos esse genuinos et incorruptos, quod hucusque ostendimus; sed necesse est, esse quoque fide dignos, de quo jam agendum est. — Fidem merentur *historici* quicunque, qui veritatem scribere poterant et dicere volebant. — Veritatem gestorum autem eo certius nosse poterant, si erant *indigenae*, aut saltem *coaevi*, vel *indigenae simul et coaevi*; multo porro certius, si *gestis aderant*, vel *intererant*, vel omnino erant *gubernatores*, qui ipsi omnia administrabant et mandabant, et vel ideo omnia perspiciebant. — Ita quoque qui antiquiorem scribunt historiam, fide digniores sunt, si excerpserunt *documenta genti propria seu domestica*, et *coaeva*, scripta ab illis, qui *gestis aderant*, *intererant*, aut omnino *omnia gubernabant*. — Sinceritas narrationis admittitur, dummodo nulla sit ratio suspicandi, falsa esse interposita, vel quaedam studio partium silentio pressa aut perversa, quod ipsum ex eo colligitur, si auctor nullam ansam suspicioni praebet, et de populo suo, de personis claris gentis suae, de cognatis suis, de se quoque ipso, si gestorum particeps erat, non modo gloriosa, sed etiam ignominiosa refert; nec quidquam anxie excusare conatur. — Notitia denique gestorum et sinceritas narrationis multo minus in dubium vocatur, si liber meruit fidem coaevorum, qui veritatem gestorum et veracitatem narrationis dijudicare poterant. — Haec omnia fidem sacro-

rum auctorum commendare, facili negotio ostenditur. Moses ultimis quatuor libris scribit, quae suo tempore acta sunt, quibus ipse non modo aderat, sed etiam praeerat, qui omnia ipse gerebat, ut ipsum nihil eorum, quae acciderunt, latere potuerit. — Primo libro antiquiorem historiam refert, quam hausit ex antiquis documentis, quibus summa cum religione usum esse, patet ex coaptatione diversorum documentorum, ex inscriptionibus saepius recurrentibus, ex diversitate stili, linguae et narrationis diversorum fragmentorum, atque ex conservatione vocum absoletarum, quas cum aliis permutare sibi non permisit, sed satius duxit, adjecta explicatione declarare. — Sinceritas narrationis ubique translucet; ex antiquissima historia paucissima refert, utpote figmenta respuens, atque incerta et ambigua narrare nolens; de patriarchis, de populo suo, et de ipso atavo suo Levi, imo et de fratre suo Aharone et sorore Mirjan (Maria) culpabilia candide et sine omni excusatione exponit, nec proprium suum homicidium tacet, neque causam suam dicit; narrat quoque suam timiditatem, pusillanimitatem et fluctuationem, nec silet aliena, quae obtinuit auxilia et consilia, Exod. 3, 11. 4, 10. 17, 4. 18, 12—26. Num. 11, 10—15. Deut. 1, 37. 3, 23—29. 4, 21—22. 32, 50—52. — Denique conscripta publice tradidit primoribus nationis, et universo etiam populo praelegit; atque omnes unanimes, qui gesta omnia suis oculis conspexerant, libros ut veraces susceperunt. — Reliqui V. F. scriptores historici plerique referunt gesta antiquiora, quae, ut ex eorum scriptis liquet, (a) ex antiquis coaevis et publicis documentis tanta cum cura excerpserunt, ut etiam verba et dictiones fontium suorum plerasque conservarint; imo persaepe disertis verbis lectorem remittunt ad annales publicos, ex quibus ipsa sua hauserunt. (b) Non referunt quoque sola gloriosa, sed etiam plura probrosa et ignominiosa, neque excusant errores et crimina summorum

virorum. (c) Ediderunt denique sua scripta illis temporibus, quibus documenta et annales publici, ex quibus sua depromserunt, adhuc exsistebant, et a lectoribus conferri poterant, qui autem haec scripta adeo probarunt, et posteris commendarunt, ut diligentius conservata fuerint, quam antiquiora illa et coaeva monumenta, quae progressu temporis perierunt. — Quae referunt prophetae ex antiquiori historia, depromserunt ex supra commemoratis monumentis; de iis autem, quae ex sua aetate, plerumque delicta et crimina adducunt, testes sunt coaevi et indigenae, qui corruptionem et perversitatem exprobant et divinas castigationes denunciant, ut ad morum emendationem permoveant, etsi praevidebant, sibi odia et persecutiones instare; hoc fine et hac mercede nemo unquam falsa testatus est. — Denique argumentum omnium librorum V. F. cum effatis antiquissimorum profanorum scriptorum, qui de iisdem populis et regionibus retulerunt, apprime consentiunt, quod ingenti licet monumentorum antiquissimorum jactura, nihilominus annotandi occasio passim est.

## §. 16. Vera miracula in libris V. F.

Si libri V. F. sunt genuini et incorrupti: multa, quae referunt miracula, non possunt esse conficta, nisi multo plura et majora alia miracula statuere placeat. Nam si Moses illo aevo haec, quae legimus, scripsit, populo quoque praelegit et praelegi curavit, et miracula confinxisset: mentitus fuisset multis myriadibus hominum coaevorum, (a) in Aegypto ad denunciationem suam, tres dies fuisse tenebras, et terribilem tempestatem vastasse omnia, eamque rursus ad denunciationem suam desiisse etc. etc.; mentitus fuisset tot Hebraeis, tum temporis minime credulis, (b) ad denunciationem

suam brachium Heroopoliticum sinus Arabici aquis fuisse nudatum, eosque salvos transiisse, Aegyptium vero exercitum, qui eos eadem via persequebatur, revertentibus fluctibus fuisse submersum; mentitus fuisset tanto populo, (c) in Arabia Petraea bis in penuria aquae, juxta annunciationem suam ad ictum baculi, ex petra tantam aquarum copiam profluxisse, ut omnes, fere viginti quinque myriades hominum, et innumerabiles pecudes, sitim affatim sedaverint, ubi addit, secunda vice seipsum de effectu ictus sui subdubitasse, et hinc exoptata regione Palaestina excludi, Num. 20, 7 — 13. Deut. 1, 37. 3, 23 — 29. 4, 21 — 22. 31, 2. 32, 50 — 52.; mentitus porro fuisset, (d) universum populum 40 annos magna ex parte Mannam manducasse, et tantam ejus copiam adfuisse, ut contemneretur, Num. 11, 4 — 7. Deut. 8, 3., nec tamen die Sabbathi inventam esse, Exod. 16, 13 — 29.; mentitus denique fuisset, (e) ad suam annunciationem eos in Sinai monte Arabiae Petraeae, ubi tota aestate raro mane nubecula paulo post dispariturа cernitur, mense Julio vel Augusto vidisse terribilem nubem cum perpetuis fulminibus, et audivisse vocem divinam, quae leges promulgabat, conf. Deut. 4, 32 — 37. 5, 4 — 5. 19 — 24., atque alias quoque supra sacrum tabernaculum singularem conspexisse nubem, quae nocte splendorem igneum emittebat; haec omnia aliaque mentitus fuisset Moses, et populus universus haec figmenta credidisset, virum tot manifestis mendaciis infamem, ut legatum Dei, veneratus fuisset, ab eo doctrinam de uno Deo, et legem onerosam suscepisset, eique obedivisset, atque id quidem propter illa miracula, quae non contigisse noverat. Ut vero Hebraei haec

omnia, quae Moses mentitus fuisset, credere potuerint, necesse fuisset, ut mentes omnium et singulorum continuis miraculis perverterentur, ut crederent se omnia illa vidisse et expertos fuisse, sinum Arabicum transiisse, aquas e petra fluentes bibisse, mannam tanto tempore usque ad nauseam manducasse etc., etsi omnia falsa essent. Si itaque Mosis miracula falsa fuissent, inumerabilia miracula in mentibus omnium Hebraeorum perpetuo repeti debuissent, ut crederent, quae falsa esse noverant.

## §. 17. Vera vaticinia in libris veteris foederis.

Si libri V. F. iis circiter temporibus; quibus tribuuntur, scripti sunt, et incorrupti permanserunt: vaticinia in iis contenta non possunt non esse divina. Contingentia enim singularia determinate praedicta sunt aetate adeo remota, qua caussae efficientes vel prorsus nondum aderant, vel observari ab homine quoque perspicacissimo non poterant, ut nemo sibi ipsi relictus sine altiori lumine praedicere potuerit, quid futurum esset. Pauca in exemplum adferemus: I. Propagatio agnitionis unius Dei et verae religionis ad omnes gentes per Hebraeos, Messiam, et apostolos ejus, 22 seculis ante Christum patriarchis Abrahamo, Isaaco et Jacobo annunciata, Gen. 12, 3. 18, 18—19. 22, 18. 26, 4. 28, 14., et dein per prophetas perspicue et cum pluribus adjunctis praedicta fuit, Mich. 4, 1 — 7. 7, 20. Jes. 2, 2—4. 11, 1—10. 52, 13. 53, 12, 66, 19. Amos 9, 11—12. Ezech. 17, 22—24. Jer. 3, 17. 16, 19—21. Ps. 87, 1—6. etc. etc. Id opere completum omnes cernimus. — II. Tribum Judam semper fore primatem, praedictum legitur Gen. 49, 8—10. 1. Chr. 28, 4, et per omnem historiam eventu adeo comprobatum fuit, ut demum omnes Hebraei a tribu Juda dicerentur Judaei. — III. Quod de Messia ex tribu Juda et familia Davidis, toties diversis cum adjunctis annun-

ciatum, atque etiam temporibus, quibus ne minima quidem spes superesse videbatur, repetitum fuit, impletum est in Jesu Nazareno, 2 Sam. 7, 1. seqq. coll. Ps. 89, 36—40. Jes. 7, 14. 11, 1—10. 52, 13—53. 12. Hos. 3, 4—5. Amos. 9, 11. Mich. 5, 1—3. Jer. 23, 1—8. 30, 4—11. Ezech. 17, 22—24. 21, 29—32. 34, 22—30. 37, 24—28. Dan. 9, 1—27. Zach. 9, 9—10. Malach. 3, 1—2. coll. Ps. 110, 1. etc. etc. — IV. Captivitas Hebraeorum ad castigandam idololatriam et morum perversitatem, per populum longinquum, et consequens deinceps Hebraeorum conversio ad verum Deum, reditus in Palaestinam, et restauratio reipublicae, jam a Mose, Deut. 28, 49. 63. 29, 21—27. 30, 1—10. 17—20. 31, 15—22., praedicta, et a prophetis postea persaepe accuratius determinata fuit. Decem tribubus haec omnia vaticinati sunt Hoseas 1, 8—11. 2, 10—23. 11, 5—11. 14, 1—2., Amos 5, 27. 9, 1—19., Michas 1, 2—16. etc. Regno autem Juda eadem praedixerunt Michas 3, 12. 4, 8—11., Jesais 39, 1—8., Jeremias, qui et 70 annos captivitatis definivit, c. 5, 11. c. 29, 10. 14. c. 46, 27—28. c. 50, 19—23. 34., atque Ezechiel 28, 25—26. 36, 1—37, 28. De sorte eorum post reditum clare loquitur Zacharias 9, 1—8, 11—17. 10, 1—12. 6, 9—16, — V. Memoratu dignissimum est vaticinium Jeremiae c. 50 et 51. de eversione Babylonis, omnibus adjunctis vestitum, et demum mille fere annis post prophetam penitus impletum.

## §. 18. Religio divinitus revelata in V. F.

Si illa, prius annunciata, miracula falsa et conficta esse nequeunt, et haec vaticinia, ita definita, pluribus centenis quoque annis ante eventum edita sunt: profecto nec illa miracula, neque haec vaticinia ab hominibus sibi relictis et omni divino auxilio et lumine destitutis repeti possunt; sed,

prout illi thaumaturgi et hi prophetae contestabantur, ab omnipotente et omniscio creatore et rectore universi descendisse credi debent. Quum autem extraordinaria illa opera et vaticinia, prout ex narratione ipsa patet, et saepe, uti Exod. 4, 5. 8—9, 7, 5. 17. 8, 18, 9, 16. 29, 10, 1—2. 4. 19, 9. Jes. 7, 10—16. 53, 7—8. 44, 7. 45, 5—6. 48, 3—16. Zach. 4, 9. 6, 15. etc. disertis verbis annotatum legitur, data sint in testimonium, viros illos cum certis mandatis a Deo creatore et rectore esse missos: profecto testimonia sunt evidentia, viros eos a Deo mandata et revelationes accepisse, adeoque doctrinam, quam in libros suos deposuerunt, esse divinam.

# Caput secundum.

## Auctoritas divina, et Canon librorum Veteris Foederis.

### §. 19. Divina auctoritas, seu inspiratio.

Ut libri sint divinae auctoritatis necesse est, ut altiori emineant praerogativa supernaturali. Est vero ea juxta unanimem Christianorum consensum Inspiratio, ob cujus gravitatem in ea exponenda, et stabilienda diutius versari juvat.

Notio inspirationis determinata eo majoris momenti censetur, quo alii latius, strictius alii hanc vocem, ab Ecclesia haud dogmatice definitam, accipiunt. Optime igitur huic rei indagandae consultum fore opinamur, si ad usum loquendi primitivae Ecclesiae recurramus, quaesituri, quid antiquissimi Patres inspirationis nomine indicare voluerint. — Vocant hi communiter totam Scripturam oraculum Spiritus S., literas sacras et

divinas e. g. Justinus M. cohort. ad Graec. Theophilus Antioch., lib. II. ad Autol. Irenaeus adv. haeres. l. III. c. 78., Clemens Alex. cohort. ad gent. c. 9. Origenes contra Cels. etc., nec non Spiritum S. hos auctores movisse saepe asserunt ut Clemens Al. apud Euseb. H. E. IV., 14 Athanasius pro lege Christ. Epiphanius haeres 51. Jam si testimonia PP., qui omnes S. Scripturam non tantum religionem revelatam continere, sed sub inspiratione divina scriptam esse uno ore profitentur, conferimus, patet quidem diversimode eos locutos fuisse, nec in determinando modo inspirationis convenire, nihilominus tamen omnia eorum effata docent, eos in mente habuisse singularem, et supernaturalem Dei concursum ad exarandam S. Scripturam. Haec notio ex PP. testimoniis deducta conformis est tum verbis apostoli Pauli πασαγραφη θεοπνευςος, tum effato Concilii Trident. Sess. IV., quo libri S. vocantur, qui Deum habent auctorem.

Cum vero ille Dei concursus in specie determinandus venit, in varias abeunt sententias Theologi. Media hic via incedimus, cum alii minus, alii nimis in hac re statuere videantur. Importat nimirum specialis hic Dei concursus tam mentis illustrationem, quam voluntatis ad scribendum motionem. Quare duplex distinguitur influxus et in intellectum, et in voluntatem. Priorem adstruimus eum cujus est, ne in scribendo auctores errarent, ut quae literis mandarent, iis cum adjunctis efferrent, prout veritas, et scopus exigebat. — Posteriorem quod spectat, notamus, voluntatis motionem saepius quidem expressis verbis exhiberi, ut Exod. 17, 19. Deuter. 31, 19. Jes. 8, 1. Jerem. 30, 2. Habak. 2, 2. Ezech. 24, 2., saepissime vero silentio praeteriri, verum quid impedit, quominus voluntatis motio etiam interna excitatione consistere potuerit? — Huic nostrae sententiae non obstat, quid s. scriptores nonnunquam data occasione

et exigentibus certis adjunctis rerum et personarum, vel rogati sua ediderint, quia haec divinam operationem excitationis ad scribendum non excludunt. Ex dictis igitur notio inspirationis usu loquendi determinata fluit, scilicet: Inspiratio singularis est Dei actio, quae importat tum voluntatis motionem ad scribendum, tum mentis illustrationem, qua Deus errores praecavet, eaque suggerit, quae vult, ut scribantur. Cf. Liebermann Institut. Theol. Tom. II. p. 361. Haec inspirationis notio firmiter tenenda, atque sedulo cavenda est permutatio cum revelatione, ceu veritatis prius ignotae divinitus facta manifestatione; licet enim revelatio materiae conscribendae saepe numero cum inspiratione juncta sit, in omnibus tamen sacrarum tabularum partibus locum haud habet. Plura scriptores S. literis mandasse constat, quae vel ipsi viderunt, aut gesserunt, aut a testibus fide dignissimis acceperunt, quo in casu inspiratione, non vero revelatione gaudebant.

## §. 20. Quale argumentum pro inspiratione?

Inspiratio est factum supernaturale internum, quod cognitum non est, nisi Deo, et cui Deus revelavit. Itaque inspiratio scriptorum nonnisi testimonio divino probari potest. Neque tamen amplius requiritur, nisi ut vir, qui legationem suam divinam miraculis vel vaticiniis comprobavit, edixerit, libros divinitus esse inspiratos. Nec opus est, ut legatus divinus disertis idipsum verbis expresserit, quia forte occasio deerat; sed sufficit, si libros tanquam divinos usurpavit et allegavit, quod ipsum argumento est, eum veneratum fuisse divinam librorum auctoritatem. Atque id quidem eo magis valet, si aetate ejus divina libris auctoritas tribuebatur; nam accomodatio ad erroneam communem sententiam fatis ex eo refellitur, si legatus divinus libros ipse appellat

divinos, vel Deo aut spiritui Sancto adscribit, quod sinceritati repugnaret, si in eis nihil divinum agnovisset.

## §. 21. An Judaeis erat testimonium inspirationis?

Non modo Scriptores Thalmudis, sed etiam Philo de vita Mosis L. II., Josephus contra Apion. L. I. §. 8., et libri Novi Foederis Joh. 5, 39. 10, 34—36. Matth. 22, 43. Act. Apost. 1, 16. 28, 25. Gal. 3, 16. Hebr. 3, 7. 10, 15. testantur, inspirationem librorum V. F. illa aetate fuisse Judaeis articulum fidei, quem I. ex eo derivasse videntur, quod plerique scriptores V. F. fuerunt prophetae, unde colligebant, viros, qui auctoritate divina loquebantur, eadem quoque scripsisse, et scribentes non minus ac loquentes, singulari auxilio divino usos fuisse, quod in vaticiniis, quae prophetae ipsi sibi impervia fuisse fatentur, eo magis necessarium fuisse videbatur. — Accedebat II., quod quipiam auctores sacri a Deo jussi erant scribere, ut Moses Exod. 17, 14. 34, 28. Jesaias c. 8, 1, c. 30, 8., Habacuc c. 2, 2., Jeremias c. 30, 2. c. 36, 2., Ezechiel c. 24, 2. c. 43, 11., et Daniel c. 12. 4.; unde concludebant, Deum singulari auxilio his viris, cum scriberent, adfuisse. — III. Libros ceteros historicos Hebraei a prophetis vel scriptos vel adprobatos accepisse videntur, siquidem de eorundem summa fide adeo convicti erant, ut monumenta illa coeva, ex quibus haec compendia excerpta sunt, neglexerint. — IV. Reliquis libris videntur Hebraei ex testimonio cujuspiam prophetae, fortasse Haggaei, Zachariae, vel Malachiae, divinam auctoritatem tribuisse. — Haec vero omnia nobis minime sufficiunt; aliud requirimus certius divinae auctoritatis testimonium, quod ad omnes libros aequaliter exporrigatur.

## §. 22. Testimonium de inspiratione librorum.

Testimonium de auctoritate divina omnium librorum V. F., suppeditat nobis Novum Foedus; nam cum

Judaei illius aevi, inspirationem tuerentur, Jesus eam non modo non impugnavit, sed perpetuo pro certa ponebat et aliis commendabat, imo et disertis verbis legem divinam, scripturam divinam et eloquia Spiritus sancti vel Dei nuncupabat, Matth. 11, 13. 15, 3—6. 22, 31. 43. 26, 54. Luc. 16, 16. 29. 18, 31. 24, 25—27. 44—46. Marc. 7, 9. 13. Joh. 5, 39. 46. — Testimonium hoc adeo clarum et minime aequivocum est, ut Apostoli in sensu ejus hallucinari non potuerint, qui et ipsi, nequaquam vanae fortasse Judaeorum, ad Christianam religionem conversorum opinioni conniventes, sed etiam cum conversis ethnicis agentes, apud quos accommodatio praeter rem fuisset, libris his tanquam indubitate divinis utuntur, et eos aliis tanquam scripturas divinas et eloquia Dei gravissimis verbis commendant, Act. Ap. 3, 18—21. 25. 28, 25. Rom. 1, 2. 3, 2. 4, 2—24. Gal. 3, 8. 16. Hebr. 3, 7. 12, 26. 27. 1 Petr. 1, 11. 2. Petr. 1, 21. etc. — Prae ceteris memorari meretur locus 2 Tim. 3, 14 — 17., ubi ex scopo quoque manifeste patet, Paulum asserere, omnes libros V. F. divina cum inspiratione esse conscriptos, θεοπνευστους. — Omnes Apostolos in hoc testimonium consensisse, testatur antiqua ecclesia, quae, ab ipsis Apostolis edocta, unanimi consensu inspirationem librorum V. F. inter articulos fidei retulit, prout ex antiquissimis fidei symbolis liquet, uti ex Apologia II. Justini, ex Irenaei libro I. c. 10., ex praefatione Originis ad libros περι αρχων, et ex Symbolo Gregorii thaumaturgi; alios multos Patres his symbolis consentientes adducit Du Pin. — Si, ut non pauci contendunt Jesus et Apostoli solummodo opinioni Judaeorum connivere voluissent, dicere saltem ipsi non potuissent, scripta haec esse divina et eloquia Dei. Falsum quoque est, quod quipiam praetendunt, antiquos illos Judaeos, qui naturales quoque eminentes dotes immediate ad Deum referebant, libros di-

xisse divinos, ut eorum excellentiam significarent, atque hanc vocis notionem secutos esse Jesum et Apostolos; haec enim notio scopo Pauli 2 Tim. 3, 14 — 17. adversatur, ut taceam Philonem de vita Mosis L, II., et Josephum contra Apion. L. I. §. 8. auctoritatem divinam accurate definivisse.

## §. 23. Limites, et gradus inspirationis.

Quipiam Patres ecclesiae praeter excitationem ad scribendum solam immunitatem ab errore defendebant, alii autem asserebant, omnia verba esse inspirata, ut auctores nonnisi instrumenta fuerint Spiritus sancti. Quia tamen utrique in substantia rei conveniebant, controversia hac de re orta non est. Saeculo demum XVI. natae sunt disputationes inter Doctores facultatis theol. Lovaniensis, et Duacensis, ac Lessium et Hamelium Theologos. S. J.; prioribus strictissimam inspirationis notam, scilicet omnia verba esse inspirata, posterioribus vero liberaliorem, scilicet, non esse necessarium ut singula verba sint inspirata, defendentibus; tandem res Romam delata est; et Romanus Pontifex Sixtus V. premens vestigia Concilii Trident. nihil definientis, nec uni, nec alteri disputantium sententiae calculum suum addidit.

De gradu, si quaeritur, qualis inspirationis in quovis libro aut loco fuerit, deficiente medio partem Dei et Scriptoris sacri dimetiendi, plane definiri nequit. Hoc unicum monuisse suffecerit, varium eum necessario esse, et pro ratione argumenti, quod vel doctrinale, vel propheticum, vel historicum est, et pro ratione facultatum scriptoris, inspiratio enim virium naturalium usum non tollit, sed adjuvat. — Caeterum fatemus cum M. Dobmayer, in append. ad Tom. IV. Theol. omnes inspirationis apices determinare, laborem impossibilem esse.

Protestantes plerique strictissimam inspirationis notionem formarunt, et usque ad dimidium seculi XVIII. defenderunt. Ast post editum Toellneri opus eruditum de inspiratione 1772, et Semleri examen Canonis 1771 — 1775., plures alii inspirationem examinarunt, et laxiorem progressu temporis formarunt notionem; donec tandem inspirationem prorsus eliminarent ut nostro aevo pauci sint, qui inspirationem admittant; alii quipiam sacris libris auctoritatem divinam eo solum sensu tribuunt, quod veritates quaspiam divinas complectuntur, nihil solliciti, an auctoritate quoque divina literis mandatae sint.

## §. 24. Inspiratio librorum historicorum.

Si nullus scriptor ab errore immunis et a periculo errandi exemtus est, assistentia divina, scriptoribus quoque historicis non erat supervacanea; an vero fuerit necessaria, a multis dubitatur, quia historia a viris candidis et rerum bene gnaris scripta, satis ampla auctoritate nititur. Ast quum doctrina religionis in Bibliis, magna ex parte historiae superstructa, aut cum ea indivulse connexa sit: facile apparet, auctoritatem historiae ad religionis quoque doctrinam pertinere, et dubia, quibus in historia mere humana relictus fuisset locus, etiam in doctrinam religionis transitura fuisse. Accedit, illud supra memoratum singulare consilium divinum, quod per totam historiam Hebraeorum protenditur, meruisse sublimiorem auctoritatem. Haec quidem omnia pro divina auctoritate earum duntaxat historiae partium faciunt, quae cum doctrina aut cum substantialibus eventibus illius consilii divini, connexae sunt, ut adeo H o l d e n i u s in analysi fidei cap. 5. rem accurate definivisse censendus foret, nisi 1) Jesus et Apostoli divinam libris auctoritatem absque hoc discrimine adstruxissent. 2) Paulus Rom. 15, 4. omnia ad doctrinam retulisset et 3) Hac assumta sententia turbis infinitis occasio daretur.

Quaecumque ex argumento librorum difficultates contra inspirationem moventur, expediri possunt unico responso, eas Jesu et Apostolis, qui libris divinam auctoritatem tribuerunt, non fuisse ignotas, itaque alia ratione esse solvendas.

## §. 25. Cui bono inspiratio scriptorum?

Si veritates revelatae scriptis mere humanis continerentur, dubitationi ubique locus relictus esset, ne auctores imbecillitate humana caespitarint; unde dubiis infinitis latissima porta aperta esset. Nam cum homines singuli opinionibus quibusdam praeoccupati sint, et dominante quodam affectu abripiantur, in dubium facile induceretur quilibet, in illa fortasse sententia, quae adamatae suae adversatur opinioni aut affectui, haerere errorem scriptoris, atque praeoccupatio aut affectus, praesertim quapiam singulari alliciente occasione, huic suspicioni tantum pondus adjiceret, ut auctoritati scriptoris praeponderaret, atque hac ratione quisque doctrinam sibi contrariam abjiceret. Cum diversi homines diversis addicti sint opinionibus, et variis affectibus ferantur, atque quilibet, quae suae sententiae et affectui adversantur, in dubium vocaret et rejiceret; contingeret, quod observavit Augustinus Ep. ad Hieronymum: »admisso semel in tantum auctoritatis fastigium aliquo »mendacio, nulla librorum illorum particula remanebit, »quae non utcunque videbitur vel ad mores difficilis vel »ad fidem incredibilis.«

## §. 26. Canon librorum V. F.

Firmata librorum Sacrorum inspiratione, quaeritur, quinam sint hi libri inspirati. Catalogus librorum inspiratorum dicitur κανων, quod non modo regulam, sed etiam consignationem vel commentarium certarum rerum et personarum significat; unde nomen hoc jam a seculo quarto, catalogo librorum divinorum consecratum est. Quum autem in versionem Alexandrinam inserti essent libri, qui in exemplaribus Hebraicis deficiebant, atque ideo, et partim ob difficultates, quas complectuntur, jam antiquitus a multis in dubium vocabantur; alii libri dicuntur protocanoni-

ci, quorum auctoritas divina in ecclesia semper et ubique admissa fuit, alii vero deuterocanonici, qui in ecclesia antiqua non ab omnibus neque ubique probabantur. Libri vero, qui, vel propter inscriptionem, vel propter nomen auctoris, quod praeferunt, vel propter argumentum, facile putari possent, neque tamen sunt inspirati, dicuntur apocryphi, quod nomen aeque inde a seculo quarto hac peculiari notione usurpatur.

## §. 27. Qua ratione canon indagandus.

Divina librorum V. F. auctoritas nititur testimonio Jesu et Apostolorum; quare hac praerogativa gaudere censendi sunt soli illi, pro quibus illud testimonium militat. Quum vero nec Jesus, neque Apostoli hos libros ullibi enumerarint, neque ex allegatis eorum certi quidquam colligi possit: redeundum esset ad sententiam Judaeorum illius aevi, ut eos statuamus libros a Jesu et Apostolis fuisse approbatos, quibus Judaei illius aetatis divinam auctoritatem tribuebant, de quo eo certiores essemus, quo evidentius cerneremus, Jesum et Apostolos Judaeis nunquam exprobrasse, eos quospiam libros apocryphos consecrasse. Ast nec Josephus, neque Philo, qui duo soli sunt illius aetatis Judaeorum scriptores, catalogum librorum sacrorum texuerunt, atque ex eorum allegatis aeque nihil concludi potest. Quare ad discendum Judaicum canonem aetatis Christi et Apostolorum, aliud medium quaerendum est.

## §. 28. Canon Judaeorum.

Quum itaque nullus illius aetatis scriptor libros sacros enumerarit: exquirenda est sententia Judaeorum, qui illi aetati proximi fuerunt. Hi vero unanimes testantur, omnes libros, quos adhucdum Hebraicos habemus, esse canonicos. Testimonia ordine retrogrado recensebimus. — I. In Thalmude, qui desinente seculo

Vto ad finem perductus fuit, omnes hi libri sine ulla haesitatione in canonem Judaeorum referuntur. — Idem testatur II. Hieronymus desinente seculo IVto in Prologo Galeato, et in epistola ad Paulinum. — III. Epiphanius seculo IVto refert Haeres XXIX. opp. T. I. p. 122. seq., eundem canonem Nazarenorum, qui erant Judaeo-Christiani. — Hunc Judaeorum canonem testatur IV. Origenes Exp. in Ps. 1. T. II. opp. p. 529. et apud Euseb. Hist. Eccl. L. VI. 25.; nam omissio 12 prophetarum apud Eusebium non est nisi mendum librariorum; Origenes enim ipsos non modo crebro allegat, sed integros quoque ex canone Judaeorum in sua Hexapla descripsit. — V. Melito Sardensis, circa annum Chr. 172. de canone Judaeorum in Palaestina edoctus, eosdem libros canonicos ad Onesimum rescribit, unicum omittit librum Esther, quem et alii plures Patres silentio praetereunt, aut disertis verbis canone excludunt, qua de re diversae sunt eruditorum sententiae. — VI. Aquila, Symmachus, Theodotio, auctores versionis Syriacae Pheschito, imo et interpretes Alexandrini, omnes hos libros tanquam canonica Judaeorum scripta verterunt. Inprimis Aquila et Alexandrini interpretes sunt testes maximi momenti. — Ab Aquila usque in ultima Apostolorum tempora, non sunt nisi 20 vel 30 anni; a Melitone 80 vel 100; ab Origine 110 vel 130 anni, quorum decursu Judaei canonem mutare non potuissent, quin Melito, et inprimis Origenes, qui permultas plagas orbis peragravit, rescivisset. Judaei his temporibus libris quoque suis adeo addicti erant, ut ab omni novatione abhorrerent. Conf. Josephum contr. Apion. L. 1. §. 8. Quare recte concludimus, nec Judaeos aevo Christi et Apostolorum alium habuisse canonem, et hunc etiam a Jesu et Apostolis fuisse comprobatum.

Hi libri, si omnes, et quidem Mosis quoque libri singillatim computentur, sunt 39. Josephus vero, qui

L. I. contra Ap. §. 8. eos in tres classes dividit, numerat duntaxat 22, nempe libros 5 Mosis, 13 prophetas, et 4 alios libros; verum advertendum est, Judaeos numerum librorum sacrorum, ut Graeci partes Iliados et Odysseae, ad numerum literarum accommodasse, et hinc, ut Origenes et Hieronymus testantur, saepius libros duos aut plures pro unico computasse, ut libros Judicum et Ruth, duos libros Samuelis, Regum, et Paralipomenon, Jeremiam et Lamentationes, Ezram et Nehemiam, et duodecim prophetas minores. Hac computandi ratione, Judaeis usitata, a Josepho libri sacri hoc ordine numerati sunt: quinque libri Mosis, nempe: 1. Genesis, 2. Exodus, 3. Leviticus, 4. L. Numerorum, 5. Deuteronomium. Tredecim Prophetae, nempe: 1. Josua, 2. LL. Judicum et Ruth, 3. LL. Samuelis, 4. LL. Regum, 5 LL. Paralipomenon, 6. Ezras et Nehemias, 7. Esther, 8. Jesaias, 9. Jeremias cum Threnis, 10. Ezechiel, 11. Daniel, 12. duodecim prophetae minores, 13. Job. Denique quatuor alii libri sunt: 1. Psalmi, 2. Proverbia, 3. Ecclesiastes, 4. Canticum. — Hieronymus in Prologo Galeato libros quidem ad eundem numerum redigit, annotat autem, quosdam Judaeos separare Ruth a libro Judicum, et Lamentationes a Jeremia, et numerare 24 libros, atque id quidem manifeste juxta numerum literarum Graecarum. His adstipulantur auctores Thalmudis; quare Judaei quipiam ex more, vocem יְהוָה scribendi per compendium יי, extorserunt, Hebraeis esse tria Jod, ut nempe numerus literarum Hebraicarum numero literarum Graecarum aequetur.

Judaei contendunt, canonem a Synagoga magna constitutum esse; ast quum ad hanc magnam Synagogam, quae nullo antiquorum testimonio nititur, referant omnes illos viros celebres a reditu ex Babylonia usque ad Simonem justum, qui 292 mortuus est: patet, eos nihil aliud velle, quam ca-

nonem his ultimis temporibus, et partim quidem a Haggaeo, Zacharia, Ezra, Nehemia et Malachia, quos ad Synagogam magnam referunt, constitutum, et ad initium tertii ante Christum seculi per Simonem justum, quem ultimum Synagogae magnae praesidem faciunt, clausum fuisse. Conf. 2. Macc. 2, 13. Atque id satis certum est, siquidem jam interpres Siracidis seu Ecclesiastici in prologo non modo clausum canonem, sed etiam partitionem ejus in tres partes, ut notissimam, adeoque jam tum antiquam referat. Cf. Marchini Tract. de Divinit. SS. Bibl. Taurini 1777 4to p. 3 sqq.

## §. 29. Canon primitivae Ecclesiae.

Hi quidem libri aetate Christi dubio procul in canone Judaeorum erant, et a Christo approbati, atque ab Apostolis ecclesiis traditi sunt. An autem in versione Alexandrina, quam Apostoli ecclesiis tradiderunt, non fuerint alii etiam libri, et aeque ut divini ab Apostolis ecclesiis traditi, acuta est quaestio, de qua in antiqua jam ecclesia disceptabatur; sunt autem sequentes: 1. Baruch, 2. Jesus filius Sirach, seu Ecclesiasticus, 3. Sapientia, 4. Tobias, 5. Judith, 6. Primus et secundus liber Maccabaeorum, 7. Additamenta ad L. Esth. a. c. 10, 4. usque ad c. 16, 24., 8. Canticum trium puerorum Dan. 3, 24 — 90., 9. Narratio de Susanna, Dan. 13. — 10. Narratio de Belo et dracone Dan. 14. Haec scripta deuterocanonica appellamus. — Qui arbitrantur saeculo secundo, aut primo ante Christum a Judaeis canonem alterum instructum fuisse, in quem scripta mox recensita relata essent, nullo freti sunt scriptoris fide digni testimonio. Ast tamen suppetunt pro divina auctoritate horum scriptorum argumenta gravissima, et quidem I. In omnibus codicibus antiquis versionis Alexandrinae illa scripta omnia, vel fere omnia reperta sunt. Neque, quod sedulo animadvertendum, locum separatum a caeteris S. Scripturae libris obtinebant, sed inter illos sparsim collocata sunt

pro vario argumento, quod tractant. Cum igitur in exemplaribus graecis, quibus primitiva Ecclesia usa fuerat, isti libri simul cum aliis occurrerent, satis clarum est, eos in codicibus Hellenistarum locum habuisse. Constat enim antiquiores codices S. Scripturae in Ecclesia adhibitos, vel eos ipsos fuisse, quos Hellenistae ad Ecclesiam transtulerant, vel ad exemplarium Hellenistarum normam descriptos. II. In versionibus antiquissimis ad fidem versionis Alexandrinae adornatis e. g. antiqua Latina, et Aethiopica hi libri pariter inveniuntur. Imo in ipsa versione Theodotionis hominis judaizantis scripta deuterocanonica habebantur. III. Thalmudici, et jam longe ante eos Scriptores N. F. libris his utuntur, etsi eos nunquam nominetenus laudant Matth. 7, 12. Luc. 6, 13 coll. Tob. 4, 16. Luc. 1, 42 coll. Judith 13, 23. 1. Cor. 10, 9. 10. coll. Judith. 13, 23. Apoc. 21, 18 coll. Tob. 13, 21. 22. IV. Hieronymus praef. in Tob. et Judith refert, apud Hebraeos hos duos libros inter hagiographa, i. e. sacra scripta legi; eodem redit, quod Origenes epist. ad Afric. testatur, Judaeos librum Tobiae nec in canonem, nec in Apocryphorum ordinem ponere. V. Junilius de Partit. Divin. legis c. 2 ait hos libros a Judaeis cum aliquo discrimine recipi. VI. Josephus contra Ap. L. I. §. 3. dicit, hos libros non censeri tanta fide dignos, quanta priores, quod successio prophetarum, seu scriptorum inspiratorum, non satis certa est. Verosimillime coll. 1 Macc. IV, 16 Judaei exspectabant testimonium alicujus prophetae, qui doceret hos libros vere inspiratos esse. VII. Videntur hi libri cum reliquis in versione Alexandrina ab Apostolis traditi fuisse; nisi enim id factum fuisset, vix percipi posset, ecclesias plerasque hos libros a Judaeis sine diffidentia suscepisse. VIII. Denique hos libros suffragio Apostolico non caruisse inprimis patet ex usu antiquiorum Patrum, qui ante concilium Nicaenum primum floruerunt et eos sine discrimine ita allegant, ut

appareat, eos his libris eandem auctoritatem cum protocanonicis tribuisse, e. g. Clemens Rom. Irenaeus, Clemens Alex. Origenes, Tertullianus, S. Cyprianus. Vide Dr. Joan. Lanigan. Instit. bibl. Vol. I. Ticini 1793, Münscher Handbuch der christl. Dogmengeschichte. Marburg 1797 Tom. I. p. 196 sqq. Dan. Tobenz Institut. S. Scripturae Part. I. Vindobonae 1814. Versuch einer Abhandlung über die göttliche Eingebung der deuterokanon. Bücher des A. T. in Fr. Leop. Comitis Stolberg Histor. religionis Jesu Christi. Part. IV. —

Verum Athanasius, Gregorius Nazianz, Epiphanius, Cyrillus Hieros., Hilarius, Ruffinus et Hieronymus hos libros canone excludunt. — Ast Patres graecos, quod attinet, videntur in hanc sententiam descendisse ob auctoritatem, quam immerito tribuebant epistolae Melitonis episc. Sardensis in Asia minori saec. II., qui apud Eusebium H. E. IV., 26. ad fratrem Onesimum sic scribit. »Ego cum in Orientem profectus essem, et ad locum ipsum pervenissem, in quo haec (nempe ad Christum pertinentia) et praedicta, et gesta olim fuerunt, V. T. libros diligenter didici, eorumque indicem infra subjectam adte misi. Est autem ejusmodi: Mosis libri quinque etc.« Enumerat in hoc catalogo omnes libros, in textu hebraico contentos exceptis libris Esther, et Nehemiae *). — Inde in Canon. SS. Athanasii, et Gregorii

*) Ad hunc locum epistolae Melitonis vel Münscher ipse l. c. p. 201, et 202 haec notat. a) Catalogus Melitonis continet, ut diserte dicit Eusebius, libros ab omnibus receptos; ex quo sponte sequitur, libros quoque extitisse, qui non ab omnibus reciperentur. Saltim tempore Eusebii de numero S. librorum V. T. non una omnibus communis fuit sententia. b) Melito catalogum suum confecit ad fidem eorum, quae in Palestina audivit: ex his vero nullo modo concludi potest, eundem canonem in aliis regionibus, et ecclesiis christianis susceptum fûisse. c) In Melitonis ca-

Nazianz. liber Esther omittitur, e contra Athanasius addit Baruchum, et epistolam Jeremiae, imo loca ex libris deuterocan. tanquam ex S. Scriptura allegant Cyrillus Hieros. catech. 4. n. 35 etc. Gregorius Nazianz orat. 36 etc. Epiphanius haeres. 64 n. 54. etc.; idem observare licet in operibus Hilarii Pictav. Ex his constat non firmas fuisse rationes, ex quibus viri quidam docti canonem V. F. definiebant. — Ruffinus in exposit. Symb. et Hieronymus praef. in proverb. Salom. nostros libros deuterocan. canone excludunt, eosque ecclesiasticos appellant, qui in Ecclesia leguntur »ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem dogmatum probandam« — Verum hoc menti antiquissimorum Patrum repugnat, neque allatum fuit, nisi cum disputationes de numero SS. librorum ferventius agitarentur, et nonnulli eruditi sententiam suam de canone cum usu horum librorum ecclesiastico conciliare niterentur. Disciplina a primis Ecclesiae temporibus derivata hos libros publice legendi aliam originem habere non potuit, praeter traditionem apostolicam, qua nixae plurimae ecclesiae hos libros a fundatoribus suis acceptos, et commendatos susceperunt ceu canonicos, divina auctoritate pollentes. Praeterea idem Ruffinus libr. II. Invectiv. contra Hieronymum n. 32 — 35 reprehendens Hieronymum, quod partes Danielis graecas praetermisisset, conqueritur »quod omnis illa historia de Susanna, quae casti-

---

talogo desiderantur libri Estheris, et Nehemiae; asserunt quidem multi ipsum libros Estheris, et Nehemiae nomine Esrae complexum esse, verum hoc si obtineret, monuisset lectorem, se nomine unius libri plures complecti, sicut facit respectu 12 prophetarum minorum. Forsan ratio, cur hos libros omiserit, haec erat, quod aliqui Judaeorum dubia de iis moverint, ideoque e catalogo suo deleverint, atque Melito hos libros inter illos Judaeos, a quibus catalogum suum accepit, non invenerit. d) Ex ejus epistola conspicuum est, non omnes de numero librorum sacrorum consensisse.

tatis exemplum praebeat Ecclesiis Dei ab illo (sc. Hieronymo) abscissa sit, abjecta, atque posthabita; trium puerorum hymnus, qui maxime diebus solemnibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto e loco suo penitus sit erasus. — — Quis ergo in ista eruditorum virorum copia ausus est instrumentum divinum, quod Apostoli ecclesiis tradiderunt, et depositum S. Spiritus compilare? annon est compilare, quum quaedam immutantur, et error dicitur corrigi? »Ad haec Hieronymus libr. II. adv. Ruf. n. 33. hoc unicum respondet: »Quod autem refero, quid adversus Susannae historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis, draconisque fabulas *), quae in volumine hebraico non habentur, Hebraei soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.«

His dissensionibus inter Graecos praecipue vigentibus concilium Carthaginense totius Africae plenarium anno 397. fallaciis Manichaeorum praeprimis ut occurreret, celeberrimum canonem edidit, qui sic incipit »Placuit ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. — — — Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis etc. (ut continentur in Vulg. latina). In fine additur »a Patribus accepimus ita in Ecclesia legendum.« Adjecta est praeterea clausula, ut Ecclesiae trans mare consulantur, quod et sine dubio factum fuit; nam Innocentius I. in epist. ad Exsup. nostros libros deuterocanonicos cum reliquis in Canonem refert. Eundem canonem receptum fuisse saec. VI et VII a Latinis, docent

---

*) Fabula a fando i. q. historia, quo sensu et apud Livium, Ovidium etc. occurrit. Cicero libr. V. de fin. loquitur de fabulis fictis, et Hieronymus epistola ad Costrut. scribit »Brevem tibi fabulam referam, quae infantiae meae »tempore accidit.«

praeter alios Cassiodorus Instit. div. c. 13, 14., et Isidorus Hisp. Orig. VI., 1. Paullatim et ipsi Graeci divinitatem librorum deuterocanonicorum agnoverunt, praecipue inde a tempore Conc. Trullani anno 692, cui praeter 4 Patriarchas interfuerunt 211 Episcopi. Hanc sententiam tam sancte servarunt Orientales, ut Ecclesia graeca, quamvis a communione Ecclesiae latinae separata, constantes tamen Doctrinae de inspiratione librorum deuterocanonicorum inhaeserit, neque etiam ab ea tunc recesserit, quando finito Concilio Florentino schisma in maxima parte Ecclesiae graecae recruduit *); ita ut inter nos et Graecos aliasque Ecclesias orientales nulla nunc extet controversia de horum librorum auctoritate. Omnibus itaque perpensis constat, recte egisse Eugenium IV, cum in decreto ad Jacobitas priscum canonem Ecclesiae Latinae, imo totius fere Ecclesiae primitivae, confirmaverit.

## §. 30. Canon Concilii Tridentini.

Cum Protestantes libros hos ex canone eliminare vellent **) concilium Tridentinum nixum traditioni antiquissimae rejecta propositione Bertani et Seri-

*) Hanc suam fidem Graeci in duobus conciliis occasione turbarum a Protestantibus excitatarum saec. XVII. altero anno 1642 Constantinopoli, altero Jerosolymis anno 1672 celebratis magna cum liberalitate professi sunt. Vide Jos. Barre Vindic. libr. deuterocan. Euseb. Renaudot Perpetuité de la foi de l'Eglise catholique. Tom. V. libr. VIII. c. 7.

**) Joan. Leusden Prof. in Academia Ultraject. dissert. 2da de vers. Belgic. »Nullae Ecclesiae eos (libr. deuterocan.) e corpore Bibliorum adhuc ejecerant ante Lutherum et Calvinum.« Dr. Leonh. Bertholdt histor.-krit. Einleitung. Erlangen 1812. Parte I. pag. 54. »Es ist der Bemerkung werth, dass die Protestanten, ob sie gleich die Apokryphen (deutorocan. Bücher) für keinen integrirenden Theil des A. T. halten, doch dieselben mit der alten griechischen, und der lateinischen Kirche zu der Bibel rechnen.«

pandi in duas classes S. libros separandi, ut testantur Sarpi Histor. del Conc. Trid. Lib. II. p. 157 et 159, et Palavicini Hist. Conc. Trid. L. VI c. 11. n. 4 canonem Concilii Carthaginensis anno 397 approbavit Sess. IV. in decreto de canonicis Scripturis, anathema pronuncians in eum« qui libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens, et prudens contemserit.« — Aderant quidem in hac sessione tantum 5 Cardinales, et 48 Episcopi, sed decretum sicut reliqui omnes canones in fidei et morum materia ab universa Ecclesia probatum, et receptum fuit *).

## §. 31. Libri apocryphi.

Olim plures circumferebantur libri V. F. apocryphi, quorum plerique perierunt. Qui omnes temporum injurias pertulerunt, sunt: liber IVtus Ezrae, oratio Manassis, liber III. Maccabaeorum, qui in versione Alexandrina, et priores duo etiam in Latina nostra vulgata conservati sunt. Ex damnatione horum librorum liquet, antiquos Judaeos et Christianos non sine omni discrimine suscepisse libros, sed accurate dijudicasse, an inspiratio eorum idoneis argumentis comprobari posset. Si quipiam scriptores ecclesiastici apocryphis usi sunt, ecclesia tamen judicio eorum non cessit, sed libros hujus generis constanter rejecit.

*) Haec de Inspiratione, et Canone librorum V. T. sufficiant, cum de illis agere ad provinciam Theologorum proprie spectet.

# Caput tertium.

## Historia versionum V. F.

### §. 32. Divisio historiae librorum V. F.

Postquam ostendimus, genuinos, incorruptos, fide dignos, et divina auctoritate praeditos esse libros V. F., et ipsum quoque eorum catalogum produximus: jam fata examinanda veniunt, quae tot seculorum decursu in habitu externo et interno subierunt. Ad externa eorum fata referimus versiones, ad interna vero linguam, literarum characteres, et lectiones textus. Quare hoc quidem capite tertio, ut viam nobis ad sequentia sternamus, de versionibus, capite vero quarto de lingua et mediis eam intelligendi, quinto de characteribus, sexto de lectionibus variantibus, et septimo demum capite de arte critica agemus, qua lectiones genuinae restituendae sunt.

### §. 33. De versionibus antiquis notatu digna.

Versiones antiquae, tam in exegesi, quam in critica, graves quidem, sed non aequalis auctoritatis sunt testes; haec enim dependet partim ab aetate, patria et auctore; partim a textu, ex quo manarunt; et partim a conformatione, indole et habitu earum; quare, ut quaelibet versio rite aestimetur, necesse est, prae ceteris tenere I. aetatem, et si fieri potest, quoque auctorem et locum versionis; II. textum, ex quo profecta est; et III. rationem, ad quam interpretatio

exarata fuit, et qua etiam nunc se habeat, postquam tot vicissitudines et fata per seculorum decursum usque ad nos, subiit. De his omnibus paucis agemus, paulo plura de versione Alexandrina, utpote antiquissima, atque Latina vulgata, usibus ecclesiae nostrae consecrata, dicemus.

## §. 34. Origo versionis Alexandrinae.

Aristaeas, qui ethnicus, praefectus militum praetorianorum regis Aegypti, videri vult, narrat, Ptolemaeum Philadelphum, suasu Demetrii Phalerei praefecti bibliothecae, a summo Judaeorum sacerdote Eleazaro magnis muneribus 72 interpretes impetrasse, qui in palatio insulae Pharos, inter se consultantes et conferentes, libros Mosis ex Hebraico in Graecum verterint, a quibus, numero rotundo, versio dicta sit 70 interpretum. Ex Aristea narrationem hanc, certae historiae repugnantem, nec sibi satis constantem, repetunt Josephus Archaeol. L. XII. c. 2. §. 1—15., et Eusebius Praep. Evang. L. VIII. c. 2 — 5. p. 350 — 355. Per traditiones vero orales, quibus Philo, Justinus et Epiphanius nituntur, haec narratio ita exaggerata fuit, ut illi interpretes in scriptores inspiratos transformati fuerint. Quod narrationi verum subest, spectata illius aevi historia, ad sequentia redit. — Quum Judaei, qui, 320 ante Chr. annis, a Ptolemaeo Lagi in Aegyptum abducti sunt, et partim sponte illuc commigrarunt, linguae Graecae assuevissent, necessaria fuit librorum sacrorum et inprimis Pentateuchi versio Graeca, quam quispiam interpres Synagogae confecisse videtur. Plutarchus refert, Reg. et Imperat. apophthegm. p. 124. Vol. VIII. ed. Hutten, Demetrium Phalereum Ptolemaeo Lagi, sub quo Irenaeus et Clemens Alexandrinus versionem factam esse statuunt, suasisse, ut scriptores politicos legat, quia hi mortui regibus dicant, quod viventes dicere verentur; hinc fortasse Ptolomae-

us exemplar Graecum legis Mosaicae a Synagoga petiit, et dein bibliothecae suae intulit. Haec itaque Pentateuchi versio illo temporis intervallo facta est, quod ab anno 298, quo Demetrius Phalereus ad Ptolemaeum Lagi confugit, usque ad annum 285 elapsum est, quo Ptolemaeus Lagi regno cessit. Nomen autem a numero 70 obtinuisse videtur, quod in collegio 70 eruditorum recensita et approbata fuerit. — Reliqui libri deinceps a diversis Judaeis traducti sunt, prout diversa nominum propriorum orthographia, diversa ratio vertendi, et diversa quoque in quolibet fere libro translucens eruditio interpretis, manifeste prodit. Aegyptios vero Judaeos fuisse interpretes, plures voces Aegyptiae arguunt. Omnes denique libros seculo ante Christum tertio versos esse, innuit interpres Ecclesiastici, qui vergente seculo ante Christum tertio vel saltem secundo, in prologo, pro concesso et notissimo sumit, omnes libros Hebraeos dudum in linguam Graecam translatos esse. Cf. Calmet Dissert. de Vers. LXX. Janssens Hermen. Sacr. Vol. II. p. 214 sqq.

## §. 35. Pentateuchus ex textu Judaico versus.

Philo quidem scribit, Pentateuchum ex Chaldaico translatum fuisse; ast quod Chaldaicum dicit, est idioma Hebraicum, quod Philo jam Hebraicum, jam Chaldaicum nuncupabat, uti Chaldaicum e contrario Act. Apost. 21, 40. 22, 2. 26, 14. dicitur Hebraicum. Quod vero Hassencamp, Comment. Phil. Critic. 1765. Marburgi, asseruit, Pentateuchum ex Samaritico textu fuisse traductum, haudquaquam evicit; nec recogitavit vir eruditus Pentateuchum e textu Samaritico conversum, nunquam illam potuisse mereri adprobationem Judaeorum, quam ubique deprehendimus.

## §. 36. Indoles versionis Alexandrinae.

Indoles interpretationis in diversis libris diversa est. In omnibus quidem libris Graecitas Hebraismis scatet, varii quoque occurrunt errores, qui partim ex imperfecta Grammaticae notitia, partim ex ignorantia artis interpretandi, et partim ex defectu eruditionis descendunt, plurima tamen optime translata sunt. — Primum locum tenet versio Pentateuchi, quae reliquorum librorum versiones longe superat. — Hanc proxime sequitur versio Proverbiorum, cujus quoque errores ingenium produnt. — Libri Judicum, Ruth, Samuelis et Regum ab uno eodemque traducti fuisse videntur, qui non quidem pluribus Hebraicis utitur, sed quaepiam alia peculiaria habet. — Psalmi et prophetae a viris versi sunt, qui tanto labori non erant pares. Reliquis praestat versio Jeremiae, hanc sequitur interpretatio Amosi et Ezechielis, postremum locum obtinet versio Jesaiae; versionem Danielis vero, quae passim ab Hebraico discordat, jam olim ecclesia cum versione Theodotionis commutavit. — Ecclesiastis versio literam pressius sequitur. — In versione Jobi illa, quae sunt prosaica, habent quaepiam additamenta; quae vero poetica sunt, in multis deficiunt; omissi enim sunt, ut Hieronymus Praefat. in Jobum observavit, septingenti aut octingenti versus.

## §. 37. Auctoritas versionis Alexandrinae.

Hac versione omnes, non modo Judaei Hellenistae sed Hebraei quoque, qui Graecam callebant, utebantur, ut ex Josepho et scriptoribus Novi Foederis constat, qui eam fere ubique sequuntur. Ipsi quoque auctores Thalmudis Tract. Megilloth honorificam de origine ejus mentionem faciunt, et Tr. Sota c. 7. synagogam Hellenisticam Caesareae memorant, in qua haec versio

praelegebatur, ut adeo ab his multum discordarint alii, qui Tract. Thaanit et Sopherim, versionem hanc abominantur, et, ut ex Novella 146. discimus, ex Synagogis eliminatam volebant, quia nimirum per eam non raro a Christianis urgebantur; hi enim illa aetate hac versione fere sola utebantur, quam ab Apostolis traditam acceperant, et cui plurimi divinam tribuebant auctoritatem: credebant enim fabellas, quae de inspiratione interpretum circumferebantur; haec erat adeo inveterata opinio, ut nec Origenes, neque Hieronymus eam potuerint expugnare, et Hieronymus, quia ob contrariam suam sententiam male audiebat, interdum verba huic interpretum inspirationi consentanea scriberet. Cf. Calmet l. c.

## §. 38. Fata versionis Alexandrinae.

In usum Judaeorum et deinceps etiam Christianorum exemplaria hujus versionis in immensum multiplicata sunt, quorum descriptione ab oscitantibus librariis errores, qui jam ab origine versioni inhaeserant, permultum aucti sunt. Hinc Judaeis erat in controversiis cum Christianis semper promta exceptio, versionem a textu Hebraico dissentire, vel abundare, aut mancam esse. Huic malo, ut occureret Origenes, hanc et omnes alias Graecas versiones ipsumque textum Hebraicum in unum grande volumen sequenti ordine conscripsit:

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Hebraica literis Hebraicis | Hebr. literis Graecis | Aquila | Symmachus | Versio Alex. | Theodot. | Vta versio | VIta versio | VIIm versio |

In his polyglottis, quae plerumque Hexapla, interdum Tetrapla, et nonnunquam Octapla, dicuntur, eam rationem secutus est, ut versionem Alexandrinam, quae medium locum occupabat, ex aliis juxta ordinem ver-

sionibus emendaret, neque tamen quidquam immutaret; nam quae deerant, ex Theodotione, Symmacho, Aquila, Vta, VIta, VIIma versione, aut ex ipso textu Hebraeo supplebat, addito tamen asterisco, qui hoc adjectum esse indicaret, et simul adpositis literis initialibus nominum interpretum, ex quibus desumtum erat supplementum; pleraque vero ex Theodotione depromsit. Quae abundabant, notavit obelo :– vel ⸸, qui moneret, deesse illud in Hebraeo. Addidit et lemniscos et hypolemniscos, quorum figura et significatio nondum constat. Hac ratione Origines Christianis, in controversia cum Judaeis, indicavit, quid textus Hebraeus habeat, aut non habeat. Opus ingens, 50 voluminibus comprehensum, 27 annis Tyri absolutum, demum anno 303 Caesaream in bibliothecam Pamphili translatum fuit, ubi Hieronymus codices suos Hebraicos ad illius normam emendavit; deinceps vero, probabilius in eversione Caesareae per Saracenos, periit, quin unquam descriptum fuisset.

## §. 39. Recensiones versionis Alexandrinae.

Ad finem seculi IIItii et initium IVti tres prodierunt recensiones hujus versionis. Primam curavit Lucianus, presbyter Antiochenus, qui 311 martyrio obiit. Emendationes ad textum Hebraicum exactae sunt, sive Lucianus Hebraicam calluerit, sive Origenis operibus usus fuerit. Haec editio recepta fuit in ecclesiis ab Antiochia usque Constantinopolim. Hieronymus Praef. I. in Paralip. et Ep. ad Suniam et Fretelam. — Secundam eodem fere tempore curavit Hesychius in Aegypto; an emendationem ad textum Hebraeum, an vero ad antiquiora versionis Alexandrinae manuscripta exegerit, ignoratur; pauciora tamen, quam Lucianus, mutasse videtur. Editio ab ecclesiis Aegypti suscepta fuit, Hieronymus Praef. I. in Paralip — Tertia ab Eusebio et Pamphilo, ex Hexaplis

Origenis cum omnibus signis descripta, non modo in ecclesias Palaestinae assumta est, sed omnes etiam bibliothecas implevit, Hieron. Praef. I. in Paralip. Signa vero progressu temporis permutata, et denique omissa sunt, unde malum auctum fuit, cum nunc dignosci non posset, quid interpretum, et quid Origenis esset, de quo jam Hieronymus, Praef. in Jes. conqueritur. — Ex his tribus recensionibus omnes nostri manuscripti codices descendunt; quarta enim recensio, Melchitica, labentibus seculis ex editione Luciani orta, et eidem affinis est. Quum nulla harum recensionum in origine sua fuerit pura, patet, quam late deinceps per librarios seculorum subsequentium grassatum sit malum; quare exoptata est editio critica, quam Holmes in Anglia coepit; dolendum est, virum edito Pentateucho, morte abreptum fuisse.

Editiones fundamentales et celebriores sunt, I. Complutensis 1514 — 1517.; II. Aldina Venetiis 1518; III. Romana ad codicem Vaticanum 1587.; IV. editio Bosii cum lectionum varietatibus 1709. V. editio Grabii ex codice Alexandrino 1707 — 1720.; VI. editio Breitingeriana cum signis Hexaplaribus 1730 — 1732. In his aliisque omnibus editionibus liber Danielis est ex versione Theodotionis; Alexandrina Danielis versio primum 1772. Romae ex codice Chisiano prodiit, recusa Goettingae 1773, in 8vo. et 1774. in 4to.

## §. 40. Versio Aquilae.

Aquila, testibus Irenaeo et Hieronymo, atque innuente quoque ratione interpretandi, Judaeus erat, quae alia ab Epiphanio narrantur, probabilia non sunt. Illo temporis spatio, quod ab anno 90 usque 130 lapsum est, biblia Hebraica in Graecum transtulit, Judaeis Hellenistis exponere volens, quid textus Hebraeus habeat, ut, dimicantes cum Christianis, facilius eluctarentur. Neque tamen propterea loca de Christo agentia, ut quidam antiqui opinati sunt, subdola interpretatione pervertit; nam exempla malae fidei, quae producta fuerunt, non

sunt, nisi versiones etymologicae, vel aliis verbis idem exprimentes, vel lectionis varietates, vel denique Aquilae errores. Versio adeo presse literam sequitur, ut non modo particulas Hebraicas, quibus in Graeco nihil respondet, sed etymologiam quoque verborum exprimat. Quae omnia ut accuratius praestaret Aquila, versionem secundis curis edidit. Hinc adeo obscura est versio, ut sine collatione textus Hebraici intelligi non possit; quare Aquila ab Hieronymo, jam tanquam interpres contentiosus reprehenditur, jam tanquam curiosus, et diligens laudatur, Hieronymus Epist. ad Pammachium, Comment. in Jes. c. 8. et Comment. in Hos. 2. Cf. Dathii opusc. p. 1. seqq.

## §. 41. Versio Theodotionis.

Theodotio ab Irenaeo Ephesius, et ab Eusebio et Hieronymo semichristianus seu Ebionita salutatur. Versionem conscripsit primo seculi secundi dimidio; nam non modo a Justino, anno 160 in dialogo cum Triphone, sed anno 177 jam ab Irenaeo in Gallia laudatur. Videtur et hic interpres suis, id est, Ebionitis, in controversia cum Judaeis nova interpretatione voluisse indicare, quid in textu Hebraeo legatur. Interpretationem suam ad versionem Alexandrinam adeo adcommodavit, ut fere tantummodo subtraxerit, quae abundabant; suppleverit, quae deerant; et emendaverit, quae minus recte expressa erant, in quibus non magnam eruditionem prodit. Notatu non indignum est, eum retinuisse plures voces Hebraeas, quae suis Ebionitis usitatae fuisse videntur.

## §. 42. Versio Symmachi.

Symmachus, testantibus Eusebio et Hieronymo, semichristianus seu Ebionita erat; quae de eo Epiphanius

narrat, suspecta sunt. Versionem suam, ut Hieronymus saepius repetit, edidit post Theodotionem; et id etiam Irenaeus prodit, qui Theodotionem saepius, nunquam vero Symmachum memorat, ut illo tempore (anno 177) versio saltem in Galliam usque non penetraverit. Leges interpretandi Symmachus ceteris melius novit, et accuratius secutus est; non enim, inquit Hieronymus, verbum e verbo, ut Aquila, sed sensum ex sensu transtulit. Opus suum secundis quoque curis perpolivit, ut ex Hieronymi Comm. in Nahum 3 et in Jerem. 32 discimus. Hinc versio ejus ab antiquis celebratur perspicua, manifesta, aperta, et admirabilis. Hody de text. Bibl. Orig. p. 588. Thieme Diss. de puritate Symmachi 1735. Lipsiae.

## §. 43. Quinta, sexta, et septima versio Graeca.

Tres aliquorum duntaxat librorum versiones anonymae denominatae sunt a numeris columnarum, quas in Hexaplis occupabant. Auctor sextae Christianus fuit; nam Habac. 3. 13. vertit: δια Ιησȣ χριςȣ. Hi quoque tres interpretes videntur suos, in controversiis Judaeos inter et Christianos, edocere voluisse, quid textus Hebraeus habeat. — In omnibus tribus Psalmi et minores prophetae, in quinta et sexta praeterea Pentateuchus et Canticum, atque in quinta et septima etiam duo libri regum exhibebantur, quorum fragmenta Bruns reperit in codice Hexaplari Syriaco Parisiis. — Quinta et sexta saepe cum Theodotione facit, et septima eruditum interpretem prodit.

Origenes apud Hieronymum Praef. ad Homil. Orig. in Cant., narrat, versionem quintam Nicopoli ad Actium in dolio repertam fuisse, quod Epiphanius ad sextam refert, addens quintam et septimam Hierochunti fuisse inventam. Eusebius hac de re Hist. eccl. VI. 16. obscurius scribit.

## §. 44. Reliquiae versionum Graecarum.

Hae sex versiones progressu temporis, non modo a Judaeis et Ebionitis, sed etiam a Christianis neglectae sunt; hinc omnes perierunt: nec supersunt, nisi fragmenta in libris scriptorum ecclesiasticorum, in antiquissimis manuscriptis Hexaplaribus, atque in versione Syriaca Hexaplari. Ex his indefessa eruditorum industria tentavit restituere Hexapla Origenis et spectata rei difficultate, sane multa praestitit. Primus, qui dispersa fragmenta collegit, erat Petrus Morinus, qui, quae reperire potuit, editioni versionis Alexandrinae 1587 adjecit. Eadem aetate Drusius operam navabat collectioni, quae vero primum 1622 prodiit. Ex operibus Hieronymi quam plurima fragmenta collegit Martianaeus, et tertio Tomo operum Hieronymi adjecit, 1699 Parisiis. Haec omnia in unum volumen redegit, et multis aliis fragmentis locupletavit Montfauconius 1714 Parisiis 2 T. in f. Bahrdtius hoc opus recudi curavit 1769 — 1770. Lipsiae, sed adeo mendose, ut usui esse non possit. Recentiori aevo eruditi ea, quae olim collecta fuerant, in multis emendarunt et insigniter auxerunt, imprimis Semlerus, Scharfenbergius, Doederleinius, Matthaeius, Brunsius, Adlerus, Schleusnerus, Lösnerus et Fischerus. Optandum sane, ut omnia collecta edantur.

Graeca versio Pentateuchi, Proverbiorum, libri Ruth, Cantici, Ecclesiastis, Danielis et Threnorum, quae in codice quopiam Venetiis in bibliotheca S. Marci asservatur, seculo XI. ex textu Hebraeo manasse videtur, non quidem magni est momenti, negligenda tamen non est. Partem edidit Villoison Argentorati 1784, et Pentateuchum vulgavit D. Ammon 1790 — 1791.

## §. 45. Versio Samaritana.

Versio Pentateuchi Samaritana ignoti est auctoris et aetatis, seculo tamen VII. longe antiquior; fortasse seculo III. aut IV. debetur. Textum Hebraeum Samari-

tanorum verbotenus sequitur, nisi quod nomen Dei, inprimis ubi anthropomorphismi aut apparitiones Dei occurrunt, per angelum Dei reddit, quod non est, ut opinatus est Johannes Morinus, Samaritanis peculiare; nam in Arabica quoque versione Judaei Saadiae Haggaon occurrit, et fere cum מֵימְרָא דַיְיָ paraphrasium Chaldaicarum, convenit. Permutationes literarum gutturalium, quae saepius recurrunt, non sunt lectionis varietates, sed errores calami, ex eo descendentes, quod Samaritani has literas non pronunciant. Alias non raro duae lectiones expressae sunt. Varietates lectionis dedit Castellius Tomo VI. polyglottorum Londinensium. Conf. Michaelis Einleit. in die Goettl. Schriften des A. B. §. 64. S. 337 — 340.

Edita est haec versio in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus.

## §. 46. Thargum Onkelosi.

Thargum nomine veniunt paraphrases Chaldaicae. Celeberrima est Pentateuchi, Onkeloso inscripta, quem Thalmud Babylonium dicit fuisse Gamalieli coaevum; ast plura addit commenta, quae minime cohaerent; id tamen liquet, hunc interpretem pluribus aetatibus praecessisse scriptores Thalmudicos, quia hi ipsum, etsi in Babylonia scripsit, non satis noscunt. Quare Onkelosus non seculo IV. vel Vto, sed IIIto vel potius secundo scripsisse videtur, quod ex ipsa paraphrasi confirmatur; nam non modo textum Hebraeum presse sequitur, et caret fabulis et digressionibus, quibus recentiores hujusmodi libri scatent, sed exarata quoque est dialecto Chaldaica, quae proxime accedit ad Ezram et Danielem, nec tot vocibus peregrinis permixta est, quibus recentiores paraphrases abundant. Opus quidem ab Origine et Hieronymo non memoratur; verum Origenes Chaldaicam ignoravit, et Hieronymus in senectute tandem didicit, ut taceam, opus seculo secundo in Babylonia exaratum

vix potuisse seculo tertio et quarto innotescere Origeni et Hieronymo in Palaestina, quum Mischna Thalmudis, in Palaestina ab anno 190 usque 220 conscripta, in Babylonia parum nota, seculo demum quinto Gemaram obtinuerit.

Principales editiones sunt 1483. Bononiae; 1490. absque loco; 1491. Lisbonae; 1515 — 1517. in polyglottis Complutensibus; 1518 et 1525 — 1526. Venetiis in officina Bombergiana, ex qua editione fere omnes sequentes manarunt.

## §. 47. Thargum Jonathanis in Prophetas.

Jonathan filius Uzielis, in Thalmude Babyl. Baba bathra c. 8. p. 134. et Succoth. p. 28., dicitur discipulus Hillelis et collega Simeonis, atque Tract. Megilloth. c. 1. p. 3. plura de eo referuntur miranda, ex quibus liquet, Jonathanem longo tempore Thalmudicos praecessisse, adeoque non vixisse, prout nonnulli opinati sunt, seculo Vto et IVto, quo historia ejus notior fuisset. Id ipsum confirmatur per allegationem hujus paraphraseos, in Palestina conscriptae, in Gemara Babylonica; cum autem non commemoretur in Gemara Jerosolymitana, anno 282, quo hujus Gemarae auctor obiit, vel recens, vel nondum edita erat. Lingua hujus paraphraseos, quae complectitur libros Josuae, Judicum, Samuelis, Regum, Jesaiae, Jeremiae, Ezechielis et 12 prophetarum, non est quidem aeque pura ac in Onkeloso, neque tamen scatet tot exoticis verbis, quae in recentioribus Thargumim offenduntur. Caret quoque frequentibus illis commentis et digressionibus recentiorum Thargumim. His indiciis assignata aetas operis amplius confirmatur. Ceterum nec lingua, nec ratio interpretandi in omnibus libris est eadem: in libris historicis textus accurratius translatus est; in aliquibus prophetis, uti in Zacharia, interpretatio magis sapit Rabbinica et Thalmudica. Ex hac variatione merito colligimus, opus esse ex interpretatio-

nibus diversorum eruditorum vergente seculo III. collectum.

Editiones fundamentales sunt Leiriensis 1494 et duae Bombergianae, quas in Onkeloso memoravimus.

## §. 48. Pseudo-Jonathanis Thargum Pentateuchi.

Huic Jonathani inscriptum est quoque Thargum in Pentateuchum, quod vero ipsius non esse, comprobat non modo lingua, pluribus exoticis dictionibus scatens, et stilus deterior, sed etiam plura, quae inserta sunt commenta, colloquia, atque errores quoque, qui crassam linguae Hebraicae ignorantiam, aut insignem negligentiam produnt. Accedit commemoratio Constantinopolis, Turcarum, Gen. 10, 2. et Lombardorum, Num. 24. 24., quae argumento sunt, opus hoc non ante seculum septimum aut octavum conscriptum fuisse, videtur autem ex antiquioribus interpretationibus collectum esse.

## §. 49. Thargum Jerosolymitanum Pentateuchi.

Thargum Jerosolymitanum Pentateuchi non complectitur nisi interpretationes quorundam locorum, quae pleraeque cum pseudo-Jonathane concordant; quae discordant, non sunt meliores. Lingua Graecis, Latinis et Persicis verbis scatet. Opus est pseudo-Jonathane recentius, aut profecto non antiquius; ceterum ex antiquioribus collectum esse videtur; hinc plures complectitur sententias, quae in novo quoque foedere occurrunt.

Editiones fundamentales Thargumi pseudo-Jonathanis et Jerosolymitani sunt eaedem quae Onokelosi.

## §. 50. Reliquae paraphrases Chaldaicae.

Reliquae paraphrases Chaldaicae nec antiquiores sunt neque meliores, plenae digressionibus et figmentis. Sunt autem paraphrases Psalmorum, Jobi et Pro-

verbiorum, quae a Judaeis Josepho caeco, qui seculo tertio Sorae in Babylonia docuisse fertur, attribuuntur; ast multa continent, quae hac aetate sunt recentiora et non raro duas diversas ejusdem loci interpretationes exhibent, unde apparet, esse collectionem antiquiorum interpretationum. Proverbiorum paraphrasim ex versione Syriaca Pheschito fluxisse, Dathius in opusc. p. 106—129 ostendit. Adsunt porro tres paraphrases libri Esther, et quarta additamentorum hujus libri; Thargum quinque Megilloth, nempe librorum Ruth, Esther, Cantici, Threnorum et Ecclesiastis; denique Thargum Paralipomenon. Daniel, Ezra et Nehemia paraphrasi carent.

## §. 51. Versio Syriaca Pheschito.

Versionem Syriacam, quae Pheschito, פְּשִׁיטָא, i. e. simplex, dicitur, Syri jam a temporibus Salomonis, jam ab aevo eversionis regni Israel, jam ab aetate Thaddaei Apostoli repetunt. — Id unum constat, eam circa dimidium seculi IV. ab Ephraemo Syro († 379.), ut late divulgatam et omnibus notissimam, usurpatam fuisse, adeoque multo esse antiquiorem, et fortasse seculo secundo deberi. Id eo verisimilius est, quod hoc seculum fere dici possit seculum versionum, quo ecclesia Syriaca jam laete floruit, Edessae templum habuit ad formam templi Jerosolymitani exstructum, atque vix carere potuit versione antiqui foederis, cujus lectio ab Apostolis in ecclesias introducta fuerat. — Fontem versionis esse textum Hebraicum, plures lectiones, nonnisi ex Hebraico explicandae, comprobant; elucet tamen quaepiam affinitas cum versione Alexandrina, partim quod interpres vel interpretes illam hinc inde consuluerint, et partim quod Syri deinceps versionem suam passim ad versionem Alexandrinam refinxerint. — Versio est oppido bona, neque tamen in omnibus libris aequalis; in Pentateucho ratio interpretandi est alia quam

in Paralipomenis; et in Ecclesiaste et Cantico, uti et in primo capite Geneseos, quaepiam Chaldaica occurrunt; hinc versio non ab uno, sed a pluribus auctoribus profecta esse videtur.

Editio fundamentalis est in polyglottis Parisiensibus, sed ex manco desumta codice, cujus lacunas Gabriel Sionita ex Latina vulgata vertendo, male supplevit. Hic textus transiit in polyglotta Londinensia, ad quatuor tamen codices emendatus.

## §. 52. Versiones Syriacae mediatae.

Reliquae versiones Syriacae manarunt ex versione Alexandrina; praecipuae, quae innotuerunt, sunt: I. Syriaca Hexaplaris cum omnibus signis editionis Eusebii et Pamphili, a Paulo Telensi anno 617 (si subscriptioni codicis Parisiensis libri secundi regum, fides est) traducta fuit, Eichhorn et Bruns in Repert. für bibl. und morgenl. Literat. VII. Th. S. 225—250, und VIII. Th. S. 85—112. Hasse Specimen libri IV. Regum Syro Hexapl. 1782. Jenae. Codex seculi VIII. vel IX. asservatur in Bibliotheca Mediolani, qui tamen nonnisi secundam bibliorum partem exhibet, Eichhorn Repert. III. Th. S. 166—213.; prima pars legebatur in Masii codice, qui huc usque reperiri non potuit L. II. seu IV. Reg. et Dan. reperitur quoque in codice 5. reg Bibl. Paris. Editus est Jeremias et Ezechiel cura Norbergi 1787. in Suecia, et Daniel cura Bugati 1788. Mediolani. — II. Versio Philoxeniana, cognominata a Philoxeno, episcopo Hierapolitano in provincia Halebensi seu Aleppensi 488—515, qui Polycarpum ad elucubrandam hanc versionem animavit. — III. Anonyma versio Syrorum occidentalium, quae alias ex Pocockii lectione et interpretatione textus Abulfaragii وصاحب صور السبعيني, dicta est figurata; ast Celeberr. de Sacy, Profess. lingu. Arab. et Persic. Parisiis, datis ad me 24. Januarii 1803. literis, docuit, haec in codicibus Abulfaragii, qui Parisiis asservantur, haud-

quaquam ita haberi, sed in duobus legi صاحب صور السبعيني; in tribus autem صاحب صور والسبعيني, ut Abulfaragius dicat, Syris occidentalibus esse duas versiones, alteram Pheschito, ex textu Hebraeo juxta aliquos tempore Apostoli Thaddai, juxta alios aetate Salomonis filii Davidis et Hirami regis Tyri, factam, et alteram septuaginta viralem. Domino de Sacy, a quo haec versio examinata fuit, videtur ex seculo tertio vel quarto descendere; ast per Jacobum Edessenum 708 vel 712. in monasterio Teledensi ad textum Hexaplarem, et passim quoque ad versionem Pheschito reficta fuit.

Versio Mar Abbae † 552, Karkuphensis vel Karkaphensis dicta, et Nestorianis, qui in montanis degunt, usitata; versio Thomae Heracleensis † 533, et versio Psalmorem abbatis Simeonis ex monasterico S. Licinii, nonnisi de nomine notae sunt. Bar Hebraeus seu Abulfaragius in Horreo mysteriorum, Assemani Biblioth. Or. T. II p. 283. 411—413. T. III. P. I. p. 57. seqq. T. I. p. 493. 612. et T. II. p. 83.

## §. 53. Versiones Arabicae immediatae.

Versiones Arabicae, quae ex textu Hebraeo manarunt, sunt: I. Versio vel paraphrasis Pentateuchi et Jesaiae, auctore Saadia Haggaon Aegyptio Phyjjumensi, qui in Babylonia docuit, et 942 obiit. Pentateuchus 1546. Constantinopoli characteribus Hebraicis, Arabicis autem in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus prodiit; Jesaias ab Eberh. Gottl. Paulus 1790—1791. editus est, Stilum non esse purum, observavi, cum versionem auditoribus explicarem, et posthac id jam a Rich. Simon Hist. Crit. L. II. Ch. 19. observatum fuisse reperi. Saadias vertit etiam Jobum et Psalmos, prout refert Abulfarag. in Chrestom. Arab. de Sacy T. II. p. 495—496. Jobi versio inuenta est in cod. Huting. 511. Biblioth. Bodley. in Anglia. II. Versio Pentateuchi ab Erpenio

1662. Lugd. Bat. edita, quae a Judaeo Africano seculi XIII. profecta esse videtur, textum Hebraeum presse sequitur.

Reliquae versiones Arabicae immediatae parum notae sunt, ut versio Pentateuchi, Psalmorum et Danielis in codice 5503. Musei Britannici auctore Saadia Ben Levi Askenoth e seculo XVII.; versio Psalmorum in codice Bodleyano 281. Oxonii; versio Pentateuchi e textu Samaritano auctore Abu Said, qui 1257. decessit; de hac legendus de Sacy Memoire sur la version. Arabe de livres de Moïse à l'usage des Samaritains Paris 1809.

## §. 54. Versiones Arabicae mediatae.

Ex Syriaca Pheschito manavit I. versio Arabica Jobi, excusa in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus; II. versio Psalterii 1610., in monasterio S. Antonii dioecesis Tripolitanae impressa; et III. alia Psalterii versio in codice Musei Britannici 5469.

Ex versione Alexandrina, I. juxta recensionem Hesychii manavit versio Arabica reliquorum librorum V. F. (excepto Pentateucho et Jobo), expressa in polyglottis Parisiensibus et Londinensibus; II. juxta recensionem Luciani versio Arabica Psalmorum in Psalterio octaplo Justiniani, et altera a Gabriele Sionita et Victore Scialak 1614. edita, atque versio psalmorum poenitentialium edita Parisiis 1679.; III. juxta recensionem Melchiticam versio Psalterii 1706., Halebi impressa, quae habetur quoque in codice Bibliothecae Parisiensis, ex quo Stark in Prolegomenis ad Psalterium quaepiam excerpsit.

## §. 55. Versio Persica.

Jacob ben Joseph, ex Thus in Persia oriundus, Pentateuchum ex Hebraico vertit in linguam Persicam, non ante initium seculi IX.; nam Gen. 10, 10. pro Babel exhibet Bagdâd, quae urbs anno 772 condita fuit. Ver-

bis, ut Aquila, inhaeret, verba difficilia in versione retinet, et plerumque cum Onkeloso facit. Ceterum sistit nostrum textum masorethicum. Versio edita est in Polyglottis Londinensibus ex editione Constantinopolitana de anno 1546, cujus defectus ab Hyde quidem suppleti, supplementa tamen cante uncinis inclusa fuerunt. F. F. C. Rosenmüller de Versione Persica 1813.

## §. 56. Versiones Aegyptiacae.

In recentiores dialectos Aegypti, quae ex antiqua lingua Aegyptiaca, et ex Graeca per Ptolemaeos inducta, coaluerunt, vetus testamentum, forte seculo IIdo aut IIItio, ex versione Alexandrina traductum est. Quae hucusque nobis innotuerunt versiones, sunt: I. Coptica versio Pentateuchi a Vilkinsio 1731. ex tribus codicibus edita Londini; II. Copticum Psalterium a congregatione de propaganda fide, Romae 1744 et 1749.; III. Memphiticum et Sahidicum caput nonum Danielis a Müntero editum Romae 1786.; et IV. Jeremiae c. 9, 17 — c. 13. in Mingarelli reliquiis Aegyptiorum codicum in Biblioth. Naniana asservatis 1785. Bononiae. Alii libri in Bibliothecis latent, cf. Quatremere Recherches sur la langue et literature d'Egypte p. 116 — 140.

## §. 57. Versio Aethiopica.

Versio Aethiopica seu Habessinica, quae innotuit, eadem esse videtur, quae a Chrysostomo Hom. II. in Joh. memoratur, et ex versione Alexandrina manavit. Typis excusum est: I. Psalterium et Canticum 1513. Romae, 1518. Coloniae, et in polyglottis Londinensibus; II. liber Jonae et prima quatuor capita Geneseos 1660; 1706.; III. Joel, Malachias, et

Jesaiae c. 56, 1—7. 1661.; IV. Sophonias et Ruth 1660., ac aliqua fragmenta 1755. Helmstadii, et 1788. Regiomontii. Integra Bibliorum versio, a Brüce allata, asservatur in Museo Britanico Londini.

## §. 58. Versio Armenica.

Versio Armenica a Miesrobo, literarum Armenicarum inventore, facta quidem est ex versione Alexandrina, verum postea passim, non modo ad versionem Syriacam Pheschito, sed etiam ad vulgatam Latinam reficta, non quidem a rege Haithone vel Haetone seculo XIII., quod jure negat Baghinantius in Alteri Miscellis 1799. p. 140. seqq., sed ab episcopo Yuschkan seu Uskanio, qui eam 1666. Amstelodami edidit. — Editio Constantinopolitana de anno 1705. pro Holmesio collata est a Bredençampio.

## §. 59. Versio Slavonica.

Seculo IX., inventor literarum Slavonicarum, Cyrillus Thessalonicensis, qui cum fratre Methodio Bulgaris et Moravis Evangelium annunciavit, versionem Alexandrinam in linguam Slavonicam traduxit. Editio prima saltem Pentateuchi prodiit Pragae 1519., et omnium librorum Pragae 1570.; in Russia fundamentalis editio est de anno 1581. Ostrogi.

## §. 60. Versiones Latinae ante Hieronymum.

Quam plurimas Latinas Veteris Foederis versiones ex versione Alexandrina, primis fidei temporibus prodiisse, testatur Augustinus, de Doctr. Chr. L. II. c. 11., et c. 15. addit, Italam verborum tenacitate et sententiarum perspicuitate reliquas superasse, quam Hieronymus Comment. in Jes. 14 et 49. vulgatam et communem, et Gregorius I. Epist. ad Leandr., veterem nuncupat. — Hanc versionum multitudinem frustra impugnavit Sabbathier Praef. ad Bibl. ver-

siones Latin. antiqu. 1743. Rhemis; nam si Augustinus epistola Hieronymum monet, melius de ecclesia meriturum esse, si eam scripturam, quam septuaginta interpretati sunt, Latinae veritati addiderit: profecto Latinam veritatem non dixit unam versionem, sed Biblia Latina; quare mox addit, hanc Latinam veritatem seu Latina Biblia in diversis codicibus ita variam esse, ut tolerari vix possit, et ita suspectam, ne in Graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri dubitetur. Nec Hieronymus unicam sed plures potius Latinas V. F. versiones indicat, dum Praef. in Jos. scribit, tot esse apud Latinos exemplaria, quot codices; nam ex ipsa anthithesi exemplarium et codicum liquet, exemplaria multiplicia totidem fuisse versiones; si vero addit, unumquemque pro arbitrio suo addidisse vel subtraxisse, quod ei visum est, alium tantum fontem variationum innuit, non secus ac quum Praef. in Evang. eadem verba repetit de Latino Evangeliorum textu, quem in pluribus versionibus adfuisse, dubitare non licet.

Ex antiqua versione vulgata, communi, Itala, sunt omnia fragmenta biblica in nostris Missalibus; alia permulta collegit Flaminius Nobilius, et ex eis versionem editionis Alexandrinae, quam ad codicem Vaticanum 1588. Romae curavit, composuit, quae demum in polyglotta Anglicana transiit; critico autem usum non praestat, quia Flaminius illa sola, quae textui Alexandrino consonabant, selegit, et reliqua ipse ex genio suo vertit; excerpta vero Nobilii ex Patribus in crisi versionis Alexandrinae magni sunt momenti. Haec antiquissima Latina versio exhibetur quoque in Fabri Stapulensis Psalterio quintuplici, quod 1509 Parisiis, et dein saepius impressum est; porro in Psalterio duplici cum canticis juxta Vulgatam, Graecam 70 seniorum et antiquam Latinam Italam versionem in II. Parte Vindiciar. Canonic. Script. Vulg. Lat. Blanchini 1740. Romae. Haec omnia et plura alia collegit Sabbathier in Bibliorum Latinis Versionibus antiquis, Rhemis 1743. T. 3. in Fol.

## §. 61. Emendatio versionis Latinae per Hieronymum.

Ut huic confusioni mederetur Hieronymus, versionem communem seu Italam, ad versionem Alexandrinam refinxit, et primum quidem Psalterium, ut ipse Praef. in Psalt. scribit, duntaxat cursim; postea vero ad textum Hexaplarem accuratius exegit additis etiam obelis et astericis. Prior emendatio Romae, altera in Gallia suscepta est, unde Psalterium Romanum et Gallicanum descendit; utrumque exhibetur a Fabro Stapulensi in Psalterio quintuplici 1509. Parisiis, et a Josepho Maria a S. Caro seu Thomasio 1683. Romae. Eadem ratione libros reliquos ad Hexaplarem textum reformavit, edidit vero duntaxat eos, in quos habemus duplices ejus praefationes, nempe Paralipomena, Ecclesiasten, Canticum, proverbia, et Jobum; exemplar reliquorum, ut epist. 64. ad Augustinum scribit, mala fide cujuspiam hominis amisit.

## §. 62. Versio Hieronymi.

Nondum absoluta hac versionis Italae emendatione coepit Hieronymus ipsum textum Hebraeum transferre in Latinum, ut hujus linguae homines, in controversia cum Judaeis doceret, quid textus Hebraeus edicat. Hieronymus ad Sophronium T. I. opp. col. 835., ad Augustinum T. IV. opp. col. 627. Praef. in Jes. Libros singulos eo ordine vertit, quo ab amicis postulabantur, Praef. in Paralip., in Esr. et Neh. et in Pentat. Neque tamen omnia ea ratione traduxit, qua vertenda esse perspexit, sed, ne nimia novitate lectores offenderet, antiquiores hinc inde sequebatur interpretes Graecos, etsi negligentiores cognoscebat, prout fatetur, Praef. ad comment. in Eccl. et Praef. in Pentat.; hinc in commentariis nonnunquam propriam suam versionem corrigit. Nonnunquam tamen meliori antiquae versioni substituit pejorem. Nihilominus omnes antiquiores lon-

ge superavit, et multo certe longius superasset; si non adeo properanter vertisset, conf. Hieron. Praef. in Libros Salom., et Praef. in Tobiam.

## §. 63. Quo modo excepta fuerit versio Hieronymi.

Versio haec, ut ut praecellens, ubique locorum nacta est adversarios, de quibus Hieronymus in omnibus ferme praefationibus et in pluribus epistolis conqueritur. Conf. Augustin. ep. 10. ad Hieron. Ruffin T. IV. p. 424. 448. 450. Hieron. Praef. I. et II. in Job. in Esr. et Neh. et Apologia II. Posteri, aequiores judices, versionem adprobarunt, et progressu temporis in omnes ecclesias Latinas introduxerunt, ut jam vergente seculo VIto praevaleret, et seculo VIImo locum hunc sola occuparet. Conf. Gregor. I. Praef. ad Moral. in Job, et Isidor. L. I. offic. 12.

## §. 64. Fata Versionis Hieronymi.

Universalis hujus versionis in vastissima ecclesia Latina usus multiplicabat exemplaria, quorum librarii multis eam deturparunt erroribus; nec deerant, qui eam ex antiqua Itala male corrigebant, aut quaepiam ex libris liturgicis, imo et ex Josepho Flavio inferre audebant, prout non modo Martianaeus in libris Regum et Proverbiis divinae Bibliothecae Hieronymi, sed etiam correctoria Bibliorum exemplis comprobarunt. — Seculo labente VIIIvo vel incipiente IXno jussu Caroli M. per Alcuinum emendata est e vestutioribus fontibus, id vero est, prout Hody de textibus Biblior. originalibus p. 407. 410. reperit, ex textu Hebraeo. Haec recensio vel non multum propagata, vel rursus erroribus infecta est; quare Lancfrancus episcopus Cantuariensis († 1089) rursus emendata procuravit exemplaria. Ast Nicolaus Cardinalis circa dimidium seculi XIImi iterum tot invenit exemplaria quot codices, et

hinc emendatam curavit editionem. Circa haec tempora coeperunt theologi Parisienses suum ἐπανορθωτήν, seu correctorium Sorbonicum; secutum est dein correctorium Hugonis a S. Caro, quod Dominicani ab anno 1240. continuarunt, quorum duo correctoria minoris aestimata, et a Rogerio Bacone in epistola (inter annum 1264 et 1268) ad Clementem IV. scripta, nequaquam laudata sunt. In his monumentis multo plures referuntur varietates, quam in recentioribus versionis hujus codicibus reperiuntur; unde liquet, id saltem effectum fuisse, ut librarii minus sibi indulgerent, et majori cura describerent. Conf. Richard Simon Histoire Critique du Nouveau Testament T. II. p. 114. seqq. Hody de Text. Bibl. Orig. p. 420. 429. seqq.

## §. 65. Decretum concilii Tridentini de versione Hieronymi.

Quum haec versio, quae nomine Vulgatae veniebat, seculo XVI. a Protestantibus eliminaretur, concilium Tridentinum Sess. IV. sequens decretum edidit: »insuper eadem sacro sancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, »quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica sit habenda, innotescat, statuit »et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae »longo tot seculorum usu in ipsa ecclesia probata est, »in publicis lectionibus, disputationibus, »praedicationibus et expositionibus pro »authentica habeatur, et nemo illam rejicere quo»vis praetextu audeat.« — Hoc decretum, etsi perspicuum, non exiguas tamen peperit controversias, contendentibus nonnullis, textum Hebraicum fuisse reprobatum, quibus doctiores alii jure repugnarunt. Nam I. Concilium loquitur de solis Latinis editionibus, quae circumferuntur, nec, ut

Bellarminus observavit, ullam facit fontium mentionem, idque etiam Salmero Proleg. 3. *), et Vega L. XV. c. 9. **), qui cum Bellarmino interfuit concilio, discrtis

*) »Nihil de exemplaribus graecis, vel hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quas nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas sacras profundius meditantur, fontes hebraeos, et graecos, quatenus opus est, consulere, quo nostram vitio librariorum, vel temporum injuria corruptam emendare valeant.«

**) »— — Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti, et in sacris literis mediocriter versati, in ea deprehendunt. Approbavit duntaxat vulgatam editionem repurgatam a mendis, quae vitio Scriptorum, vel chalcographorum in ea obrepserunt. Nec eam tanquam e coelo delapsam adorare voluit. Interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non fuisse prophetam, nec nos meruisse hactenus quenquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras literas a propria, et nativa lingua in alienam linguam transfuderit. Ac proinde nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent melius potuisse aliqua verti, et uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum S. Sensus, vel certe alios commodiores, quam e vulgata editione possent haberi. Sed in honorem vetustatis, et honoris quem ei jam a multis annis detulerant concilia Latina, quae sunt ea usa, et ut certo scirent fideles, quod et verissimum est, nullum inde haberi posse perniciosum errorem, et tuto illam, et citra periculum posse legi, ad coercendam etiam confusionem, quam affert multitudo translationum, et temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas translationes, sapienter statuit, ut ista uteremur in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus. Atque eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defoedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet.— Et hanc fuisse mentem Synodi nec quidpiam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis, et ex aliis consuetis approbationibus concilii potes (Calvine) colligere. Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare

verbis testatur. — II. Authenticam docet esse versionem eo sensu, quo venit haec dictio jurisconsultis, quibus authenticum dicitur documentum, sive descriptum, sive ex alia lingua conversum, ab errore graviori ad substantiam rei pertinente immune, et ideo fide dignum; nec errores minoris momenti impediunt, ne documentum dicatur authenticum. Hoc sensu intelligendum esse concilium, testatus est Cardinalis a Sancta cruce, legatus Pontificis in concilio, et postmodum Pontifex sub nomine Marcelli II., prout refert Andradius Defens. p. 361. Id ipsum agnoverunt Pius IV. et V., Sixtus V., Gregorius XIV., et Clemens VIII., qui emendatam procurarunt versionis editionem. Errores Vulgatae doctiores Catholici nunquam negarunt *), imo

---

pro his amplissimum, et observantissimum D. Sanctae Crucis Cardinalem, de pietate, et de literis et studiosis omnibus optime meritum, qui illi sessioni, et aliis omnibus praefuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaret, et postea non opinor semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem Vulgatae editionis impeditur, quo minus, ubi haesitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo juventur, et locupletentur Latini, et vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quod sensui Spiritus S. et ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.

*) Bellarmius lib. II. de verbo Dei c. 11. »Stultum est dicere, Theodotionem haereticum (ex quo quaedam in Vulgatam translata sunt) non potuisse errare, vel S. Hieronymum nunquam errasse, quum ipse in Isa. c. 19. dicat, se errasse, et Ecclesia ejus correctionem acceperit. Non illos auctores canonizavit Ecclesia, sed tantum hanc versionem approbavit, certos nos reddere voluit in iis, quae ad fidem et mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata.« — Notatu quoque dignum est, quod Julius Rugerius Secretarius apostolicus libr. de Script. Can. c. 44. scribit »Cujus piae aures ferre poterunt Hebraicam editionem — — — a quo omnes editiones velut a parente, et

Isidorus Clarius errores 8000 reperit. — III. Concilium decernit quidem usum versionis in omnibus publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, ut nemo eam rejicere quovis praetextu audeat; ast id cum respectu ad praecedentia capiendum est, prout ab omnibus eruditis Catholicis semper intellectum fuit, ne nempe alia ex Latinis versionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, ei substitueretur; quare Catholici Graeci utuntur versione Alexandrina; Syri Syriaca; et Arabicam loquentes Arabica; atque eruditi Catholici Latini post concilium, nullo non tempore usi sunt textu originali *). Conf. Du Pin Diss. Prelim. L. I. Ch. VII. §. 3. p. 204 — 209., et praecipue De Azevedo. Pro Vulg. Lat. liber apologet. Olisipone 1792. Marchini l. c. p. 105. sqq. Janssens Hermen. S. Vol. II. p. 242. sqq.

## §. 66. Emendatio Vulgatae.

Concilium Tridentinum Sess. IV. mandavit, ut haec versio quam emendatissime imprimatur. Verum jam hinc ab initio seculi XVI. Adrianus Gummelli, Albertus Castellanus et editores polyglottorum Complutensium, emendatas dederant editiones, atque Robertus Stephanus non modo 1523., Vulgatam ex antiquis codicibus

---

fonte suo fluxerunt, correctiones derivantur, et discrepantiae librariorum culpa exortae saepius sublatae sunt, nunc explosam, et damnatam esse? —«

*) Calmetus in dissertatione in Vulg. »Salva Concilii, et Vulgatae auctoritate, integrum est cuique ad Originalia illam recensere, et sive mendosam corrigere, sive Originalibus illis cohaerentem defendere, vel tandem Originalia ipsa ad Vulgatam reformare, cum defoecatior, et correctior apparet; quod non raro contingere norunt omnes, qui accuratiorem sedulitatem, et scientiam ad studium Scripturae S. contulerunt.«

emendatam, sed 1540 quoque cum varietatibus 3 editionum et 14 codicum ediderat, quam dein Henteniu cum pluribus aliis codicibus et editionibus contulit, et observatas lectionum varietates adjecit editioni 1547. Lovanii, quae dein saepius repetita, et a theologis Lovaniensibus, instituta nova manuscriptorum codicum collatione, pluribus aliis varietatibus locupletata, emissa est Antverpiae 1580, et rursus 1585. — Interim Pius IV. theologis quibusdam Romanis mandavit, ut conquisitos undique antiquissimos codices conferrent; id, in consilium vocato quoque textu originali, sub Pio V. continuatum fuit. Sub Gregorio XIII. res haesit, donec sub Sixto V. rursus assumeretur et perficeretur. Editio prodiit 1590, et constitutione perpetuo valitura universae ecclesiae Latinae praescripta fuit, simulque cautum erat, ne porro editioni vulgatae lectiones variae adjicerentur. Defuncto paulo post Sixto V., editio haec multis scatere erroribus deprehensa est, et sub Gregorio XIV. fere 2000 loca ex codicibus, allegatis Patrum, et etiam ex textu originali emendata sunt, pleraque tamen hausta erant ex editione theologorum Lovaniensium. Nova haec editio, in cujus praefatione errores Sixtinae editionis in typographum rejiciuntur, prodiit sub Clemente VIII. 1592., quam sequuntur omnes, quae deinceps prodierunt. — Ex praefatione patet, emendationem ad regulas criticae exactam fuisse, excepto eo unico, quod quaepiam ex textu originali mutata sunt, quum solummodo quaerendum fuisset, qua ratione Hieronymus textum verterit, quod ex antiquis hujus versionis monumentis exquirendum fuisset. Liquet porro loca plura, a textu originali discordantia, consulto relicta fuisse, quod plures illius aevi eruditi, qui regulas sanae criticae ignorabant, immerito carpebant.

### §. 67. Quam versionem exhibet Latina Vulgata?

Ex his, quae hucusque dicta sunt, conficitur, nostram Vulgatam esse versionem Hieronymi, neque fuisse rationem, cur seculo XVIto dubia agitarentur. Addendum tamen est, quod ex dictis patet, I. eam non esse puram; nam non omnia menda emendata sunt, neque hac quidem methodo emendari poterant; purior habetur Hieronymi versio in Divina Bibliotheca Hieronymi, a Martianaeo edita Parisiis 1693. fol.; II. quosdam libros non esse ex versione Hieronymi, nempe: 1. Psalterium, quod exhibet versionem Latinam antiquam communem, seu Italam; quipiam tamen opinantur, esse Psalterium Gallicanum, astericos autem et obelos fuisse omissos; ita etiam 2. Baruch, Ecclesiasticus, Sapientia et duo libri Maccabaeorum, ex antiquiori versione Latina conservati sunt.

Primae editiones Vulgatae nec annum, neque locum impressionis exhibent; prima his insignita, est in Germania de anno 1462. Moguntiae, in Italia 1471. Romae; 1576 Neapoli, et 1475. Venetiis.

---

# Caput quartum.

## De lingua librorum V. F., et de adminiculis eam intelligendi.

### §. 68. Lingua librorum. V. F.

Lingua Hebraica, qua libri protocanonici (exceptis partibus Chaldaicis, Dan. 2, 4—7, 28., Ezr. 4, 8—7, 19. 7, 11—27. et Jerem. 10, 11.) scripti sunt, dialectus est Semitarum, a dialecto tamen Chamitarum in Palaestina et Phoenice seu Canaanaeorum, parum aut prorsus non

diversa, quod vel ex reliquiis Punicis, seu Phoeniciis in Africa, liquet. cf. Plaut. Comoed. T. III. Poenul. p. 73 — 81. ed. Berol. 1807 — 1811., et Bochart. in Chanaan L. II. c. 1—7. vel potius Bellermann Versuch einer Erklär. der Punischen Stellen im Poenulus des Plautus 1806—1807. Idem Augustinus et Hieronymus pluribus locis confirmant. Hinc lingua Hebraica Jes. 19, 10. nuncupatur Canaanaea, ut Abrahamus Semita, ex Ur Chaldaeorum in Palaestinam veniens, dialectum Canaanaeorum parum diversam adoptaverit, et ad posteros propagaverit. Judaica dicitur Jes. 36, 11. 2 Reg. 18, 26. 2 Paralip. 32, 18., quia id temporis fere in solo regno Juda usitatá fuit. In Bibliis nunquam venit nomine Hebraicae, quod in N. F., uti et Philoni et Josepho Fl. nomen proprium est Aramaeae, Joh. 5, 2. 19, 13. Act. Ap. 21, 40. 22, 2. 26, 14. quia Hebraeis his temporibus vernacula erat, prout et nos linguam veteris foederis Hebraicam dicimus, quia quondam Hebraeis vernacula erat.

## §. 69. Fata linguae Hebraicae.

Lingua haec olim per Phoenices, qui ubique in Asia et in omnibus fere littoribus Africae et Europae emporia et colonias habebant, latissime propagata fuit, conf. Bocharti Chanaan L. I. de Phoenicum coloniis. Incolae quoque Babyloniae, Mesopotamiae, Assyriae, Arabiae, et Aethiopiae, qui alias quidem dialectos Semiticas, parum tamen discrepantes loquebantur, eam intelligebant, ut Hebraica nequaquam dici possit angulo terrae inclusa, et reliquis omnibus populis impervia fuisse. Hinc populi valde dissiti per id designantur, quod Hebraei linguam eorum non intelligunt, Deut. 28. 49. Jer. 5, 15. — Lingua haec jam 2200 annis ante Chr. ita exculta erat, ut scriberetur, uti ex documento Gen. 23., aetate Abrahami scripto, liquet. Quare nihil mirandum, Canaanaeos jam 1600 annis ante Chr.

habuisse קִרְיַת סֵפֶר, civitatem librorum, Jud. 1, 11 — 12. Opera poetica ex aetate Mosis, quae Exod. 15. Deut. 32 et 33. leguntur, aetatem linguae auream arguunt. — Aevo Judicum lingua non prorsus neglecta jacebat, prout testantur canticum Deborae Jud. 5., et fabula Jothami Jud. 9, 8. seqq. Hinc aetate demum Davidis laetissime florebat, et intervallum, quod inde usque ad Hizkiam (Ezechiam) elapsum est, aetas argentea dici potest, qua vergente tamen, per frequentiora tandem cum Assyriis et Babyloniis commercia, illata sunt quaepiam exotica, inprimis Aramaea. Id in regno Israel aetate antiquiori contigit, atque regno everso reliqui cives, cum coloniis introductis coalescentes, Hebraeam cum Aramaea miscuerunt, unde prodiit dialectus Samaritana. — Ab Hizkia usque ad exilium Babylonium linguae puritas porro neglecta, et pluribus exoticis deformata fuit, ut haec aetas dici possit ferrea. — Exules Hebraei, linguae antiquae obliti, adoptabant vernaculam locorum, in quibus degebant, nempe Aramaeam, ut deinceps reduces, alii loquerentur Chaldaicam, alii vero Syriacam; illi in Judaea, hi in Galilaea sedes fixerunt. Aliquo post reditum tempore Hebraica adhucdum politioribus Judaeis usitata erat, donec penitus emoreretur. Haec ultima aetas dici potest plumbea. — Demum eruditi, inprimis qui legem in synagogis populo interpretabantur, conservabant aliquam linguae Hebraicae cognitionem, quam in scholis combibebant et propagabant, ita quidem, ut eam et loquerentur et scriberent, verum haudquaquam puram; nam defectum vocum ex Aramea et Persica, atque temporis progressu quoque ex Graeca et Latina lingua supplebant. Hac ratione recentior lingua Hebraica, fere ut lingua Latina scholastica medii aevi, orta est, quam legimus in Thalmude, sed jam aevo Christi et Apostolorum fuisse plene formatam, plura loca N. F. comprobant. Haec dialectus dicitur Thalmudica. Recentiori de-

mum aevo porro novis mutationibus et exoticis vocibus transformata fuit, et haec est, quae Rabbinica audit.

## §. 70. Jactura linguae Hebraicae.

Lingua antiquorum Hebraeorum non quidem, ut tot aliarum antiquorum gentium linguae, prorsus periit, neque tamen aequam cum Latina et Graeca sortem experta est, ut non modo in quam plurimis libris conservaretur, sed etiam versiones, lexica aut scholiastas ex aevo vitae suae conservasset, ex quibus sufficientia de usu loquendi testimonia peti possent; nam non adsunt nisi reliquiae in paucis libellis residuae, in quibus vix duae tertiae partes linguae continentur; permultae voces, vocum notiones, et phrases amissae sunt, et quae supersunt, non habent testem idoneum, lexicographum, interpretem vel scholiastam ex illo aevo, quo lingua adhucdum erat vernacula.

## §. 71. Difficultas linguae Hebraicae.

Hinc oritur difficultas linguae Hebraicae. Quum enim, quas gens quaelibet notiones sonis aut vocibus, et quem sensum sententiis subjiciat, factum sit historicum, quod non noverunt; nisi qui lingua hac utuntur vernacula, vel qui ab iis, qui ea vernacula utuntur, edocti sunt: notiones vocum et sensus dictionum cujuscunque linguae mortuae, adeoque et Hebraicae, testibus, qui ea vernacula utebantur, vel eam ab utentibus perdidicerant, comprobari debent. Atqui hujusmodi testes de usu loquendi Hebraico, prorsus deficiunt; nam antiquissimi interpretes, Alexandrini, duobus seculis post linguae fatum vixerunt; omnes reliqui multis seculis recentiores sunt, testes itaque non sunt idonei, quod etiam frequentes eorum dissensiones et manifesti quoque errores comprobant.

## §. 72. Linguae Hebraicae notitia in scholis Judaeorum et Christianorum.

Juadeorum praeceptores conservarunt quidem in

scholis linguae Hebraicae notitiam, at testes de antiquo usu loquendi eo minus esse possunt, quo sunt a facto, quod contestandum est, remotiores, et quo magis ipsi inter se dissentiunt, sibi quoque minime constant, atque suam ignorantiam multis manifestis erroribus produnt. Hos tam infidos duces sequebantur Christiani, donec seculo XVII. aliqui Protestantes de hac Rabbinorum auctoritate dubii fierent, et firmiora principia intelligendi sermonem Hebraicum quaererent. Ast Bohlius, Gossuetius, Neumannus, Riimelinus, Forsterus, Avenarius, Loescherus, et si qui sunt alii, in longe periculosiora devia aberrarunt, ut satius fuisset, viam tritam non reliquisse. Joh. Ern. Gerhardus quidem 1647., Andr. Sennert 1658., Hottingerus 1649 et 1659., Schindlerus 1653., Castellius in Heptaglotto 1669., Joh. Fr. Nicolai 1670., Joh. Wilh. Hillinger 1670., Joh. Clericus, et Pocokius dialectos cognatas, atque Ludovicus de Dieu † 16,2. Animadvers. in LL. V. F., antiquas versiones, ad illustranda Hebraica commendarunt; at vix quidquam profecerunt, donec initio seculi XVIIIvi Alb. Schultensius, vastissima eruditione instructus, in Originibus Hebraicis contra Driessenium, magno molimine ostendisset; non esse nisi dialectos cognatas, ex quibus certa linguae Hebraicae cognitio hauriri possit. Quum autem Schultensius et ejus asseclae justo amplius in etymologia subsidium quaererent, dialectos Aramaeas et versiones quoque antiquas negligerent: Joh. Dav. Michaelis in opere Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet die Hebr. Sprache zu verstehen 1754, principia, quibus accurata linguae hebraicae cognitio acquiritur, majori cura definivit. Cf. Meyer's Gesch. der Schrifterklär. III. 58—77.

## §. 73. Certa linguae Hebraicae cognitio.

Quum, ut vidimus, directa, i. e. ipsorum Hebraeorum ex aetate linguae testimonia de usu loquen-

di Hebraico, desint: recurrendum necessario est ad indirecta, quae dialecti cognatae praebent; eadem quippe cum Hebraica sunt lingua, ut notiones vocum, atque sensus dictionum et sententiarum, quas in dialectis reperimus, in dialecto quoque Hebraea locum habeant, inprimis si per nexum orationis, substratam materiam, et scopum auctorum, confirmantur. Dialectum autem Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Aethiopicam seu Habessinicam, Samaritanam, Phoeniciam et Thalmudicam eandem cum Hebraica esse linguam, quilibet harum dialectorum gnarus perspicit; eaedem enim omnibus sunt radices, derivata, rationes etymologiae, verborum formae, significationes, et grammaticales parum variantes inflexiones, eaedem phrases. Qui vero linguarum ignari sunt, ex historia Gen. 12, 1. seqq. 29, 3. seqq. 37, 1. seqq. Jud. 7. Exod. 4, 18. edoceri possunt, ex qua intelligitur, A r a m a e o s, A r a b e s et H e b r a e o s sine interprete collocutos fuisse. Quodsi 2 Reg. 18, 26. Jes. 36, 11. plebs Judaica non intelligit dialectum Aramaeam, magnates tamen, in dialecto Hebraea melius versati, eam intelligebant, quin eam didicissent; nam illa aetate linguas exoticas discere; usitatum non erat nisi mercatoribus. A e t h i o p i c a vero seu H a b e s s i n i c a dialectus ipsa est Arabica; quam Cuschitae, per fretum Bab-el-mandeb in Africam transvecti, attulerant, et leviter immutabant. S a m a r i t a n a, quae ex Hebraica et Aramaea coaluit, ab illa diversa esse nequit. T h a l m u d i c a denique ipsa est Hebraica parum mutata exoticis et recentioribus verbis et phrasibus locupletata.

## §. 74. Discrepantia dialectorum.

Dialectos aliqua ratione discrepare, ex rei natura intelligitur; ast discrepantia haec, naturam et substantiam linguae non mutat, et non afficit nisi diversam sedem toni; diversos sonos auxiliares seu vocales, permutationem quorundam sonorum principalium seu con-

sonantium, praesertim qui eodem pronuntiationis organo efferuntur; formam porro et flexionem vocum, diversam latitudinem notionum, frequentiorem usum quorundam verborum, notionum et phrasium, leves notionum immutationes; denique quod fere gravissimum est, voces, notiones et phrases cuilibet dialecto privas, quas provincialismos dicimus, et eas quidem aliis dialectis proprias in Hebraica et Hebraicae privas in dialectis reliquis non occurrere, aliunde intelligitur, ut errori non facile locus relinquatur; monendum tamen est, ne levi similitudine vocum, notionum et phrasium, inducatur interpres, ut forte ea, quae uni alterive dialecto propria sunt, in Hebraicam inferat. Nihilominus provincialismi Hebraei quoque non raro ex dialectis cognatis lucem capiunt.

## §. 75. Dialecti naturam suam non mutarunt.

Dialectos cognatas haurimus quidem ex recentioribus libris, qui multis seculis post emortuam linguam Hebraicam scripti sunt; verendum tamen non est, ne multum mutatae fuerint, et longe alia nobis offerant, quam quae olim locum habuerunt. Nam dialecti cognatae, aeque ac Hebraica, jam antiquissimis seculis erant expolitae; quae autem ad tantum perfectionis gradum evectae sunt linguae, ipsa hac sua perfectione fixae sunt ut mutationes, nisi leves et naturam seu interiora nequaquam attingentes, subire nequeant. Exemplo sunto (a) Punica illa in Plauti Poenulo, quae, etsi ab ignorantibus librariis depravata, cum Hebraicis tamen manifeste consentiunt. (b) Lingua Hebraica Nehemiae, Ezrae, Haggaei et Zachariae cum lingua Mosis, qui ultra mille annos praecesserat, in rerum summa consonat. (c) Dialectus Syriaca seculi IIdi in versione Pheschito, eadem est, quae legitur in Abulpharagio seu Bar Hebraeo, scriptore seculi XIIItii. Denique (d) Arabica dialectus in poematibus Mohammede antiquioribus, eadem habet

verba, et verborum formas, inflexiones, et notiones, atque easdem quoque phrases, quas in recentioribus libris et in modernis quoque scriptis Arabum reperimus. Conf. Oberleitner Chrestomath. Arab.

## §. 76. Multitudo notionum nihil impedit.

Qui verentur, ne multitudo notionum, quae ex omnibus dialectis cognatis colliguntur, magis turbet, quam juvet interpretem, non videntur rem intelligere, siquidem nexus antecedentium et consequentium, substrata materia, et cetera adjuncta innuunt, quae notio nunc quidem locum habeat. Si nutus hic interdum est obscurior; nihil est aliud, quam quod etiam contingit in libris Graecis et Latinis, et quemadmodum in his series orationis, substrata materia, scopus auctoris, aliaque adjuncta accuratius expenduntur, ut vera notio vocis, aut sensus loci detegatur: ita quoque in Hebraico V. F. textu, si idem contingit, agendum erit; quodsi id in quibusdam locis ad tenebras dispellendas non sufficit, cogitandum est, id ipsum etiam in libris antiquis Graecis et Latinis non raro contingere. Quo accuratius autem connexio, objectum, scopus et reliqua adjuncta orationis conferuntur eo pauciora loca obscura residua manent.

## §. 77. Duplex emolumentum dialectorum.

Duplex est cognatarum dialectorum emolumentum; alterum satis quidem magnum et frequens, elucidatio nempe verborum, phrasium et locorum difficilium, non semper quidem certa, sed non raro duntaxat probabilis; alterum verum est certitudo de significatione omnium reliquorum verborum Hebraicorum, et de sensu totius sacri textus, ut jam ratio de eo reddi possit, quod sine cognitione dialectorum interpretibus et Rabbinis credendum fuisset, nec discerni potuisset, quid verum, quid falsum; quid cer-

tum, quid dubium sit. Hoc emolumentum priori multo majus est, nec tamen in commentariis et scholiis, sed in melioribus Lexicis cernitur, in quibus fere omnia, quae de linguae Hebraicae sensu certa sunt, testimonio dialectorum comprobata deprehenduntur, atque dubia et obscura relinquuntur sola illa, quae hoc beneficio hucusque non adjuvantur.

## §. 78. Justa dialectorum collatio.

Ut autem dialecti cognatae haec emolumenta praestent, I. omnes conferendae sunt; nam potest vox, aut vera vocis in hoc quidem loco notio latere in dialecto, quae non confertur; sic צָפָה speculari, ex specula prospicere, et אֲהֵב amare, solis Samaritanis hac significatione usitata sunt, atque נֵבֶל solis Aethiopibus, sicut Hebraeis, est uter, et instrumentum musicum. Observasse tamen juverit, dialecti Aramaeae usum in libris recentioribus esse frequentiorem. — II. Cavenda sunt artificia, quibus voces et notiones dialectorum Hebraismo adcommodari solent; collatio simplicior reliquis palmam praeripit; si arte opus est, vix suspicione liberatur. — III. In collatione verborum analogia permutationis certarum literarum observanda est, et exceptiones nequaquam quidem omnes repudiandae, neque tamen temere admittendae sunt. Sic שַׁעַר porta, conferendum cum ثُغْرَةٌ, et Aram. תַּרְעָא; ita quidem recte confertur etiam הָפַךְ cum أَفَكَ, ast male הגיג cum هجيج quod tantum interdum venit pro أجيج ardor ignis, proprie autem notat vallem. — IV. Transpositio literarum in nonnullis quidem vocibus locum habet; ast nisi res sit manifesta, aut si alia adsit in dialectis vox, quae sine transpositione literarum verbo Hebraico respondet, nequaquam pro-

banda est. Sic רָגַע non est conferendum cum رع, vibrare, quia adest رجع, reverti. — V. Si voci Hebraicae, cui, ob unam aut plures literas duplicis pronuntiationis, aut ob aliam caussam, plures respondent voces dialectorum, hae omnes conferendae sunt; sic cum Hebraico עָצַב non modo conferendum est عَصَبَ constringere, ligare, cingere, sed etiam عَضَبَ secare, غَصَبَ vi eripere, et غَضِبَ irasci. — VI. Cavendum est, ne vocibus, quarum certa est significatio, quaerantur notiones ex dialectis, ad novam aliquam opinionem stabiliendam, uti עָשִׁיר Jes. 53, 9. quipiam contulit cum عَاثِر caespitans, cum notio vocis Hebraicae certa sit, et testimonio dialecti Aramaeae suffulciatur. — VII. Denique non est in collatione singularum vocum sistendum, sed et phrases comparandae sunt, quarum latissimus patet campus.

## §. 79. Usus Lexicorum.

Optima dialectorum Lexica, ut Arabicum Golii, Giggeji, et Castelli; Syriacum Castelli cum additamentis Michaelis, et Chaldaicum Buxtorfii, multa quidem pandunt; ast usus eorum solus minime sufficit. Nam I. Lexica non semper evolvuntur, quando evolvenda forent, aut non eo loco inspiciuntur, ubi inspicienda essent, quia explicatio non raro in alia voce, de qua non cogitatur, annotata est. — II. Verba Latina, quibus orientalia redduntur, saepe sunt ambigua, et male intelliguntur. — III. Lexicon notionem non semper omni dubio eximit, nec eam menti alte imprimit; ast vox in contextu libri lecta, notionem sistit serie orationis firmatam, et alte memoriae infigit, ut simili occurrente verbo Hebraeo sponte recurrat. — IV. Deni-

que lexica nec complectuntur, neque complecti possunt omnes linguae divitias, et omnes phrases; multo minus sistere possunt interiorem linguae indolem, et omnes tropos, figuras, modosque loquendi, quae omnia ex lectione librorum combibenda sunt. Sic شَدَخَ fregit, esse etiam vulneravit, nequaquam in Lexico Golii, sed ex Abdollatifi Memor. Aegypti p, 13. disces, quod 1 Cor. 11, 24. usum praebet.

## §. 80. Aestimatio singularum dialectorum.

Quamquam omnes dialecti conferendae, non omnes tamen aeque divites sunt, nec aequalem ferunt opem, neque eandem praebent certitudinem. — Ditissima est Arabica, quae quam plurima, quae in Hebraica trita sunt, asservavit. Praestat quoque ceteris certitudine. utpote adhucdum in amplissimo orbis tractu vernacula, et libris omnis generis abundans, quorum multi typis quoque excusi sunt, et fontem nobis aperiunt, ex quo largiter hauriamus. Adsunt quoque poëmata, ex quibus genius poëseos orientalis cognoscitur, ut poëmata Hebraea recte intelligantur, et rite dijudicentur; adsunt lexica ab orientalibus scripta, inprimis Gjauhari, quem excerpsit Golius, et Firuzabadius, ex quo hausit Niggejus. — Sequitur dialectus Syriaca, quae ante 100 quidem annos, paucis pagis in Antilibano exceptis, emortua est, verum superest in pluribus bibliorum versionibus et aliis scriptis, quorum non pauca impressa sunt in Jos. Assemani Bibliotheca orientali, 4 Tom. in Fol.; adsunt porro opera Ephraemi 3 T. in Fol., Steph. Assemani Acta Martyrum 2 T. in Fol., et Abulfaragii Chronicon in quarto. Praesto sunt quoque duo lexica, a Syris conscripta, in Bibliotheca Lugduni Batavorum asservata; alterum ab Isa Bar Ali e sec. IX., et alterum ab Isa Bar Bahlul e sec. X., quorum typus jam dudum, sed hucusque frustra, optatur. — Chal-

daica seu potius Babylonica dialectus, quae quidem adhucdum in pagis ad Mardin vernacula est, nobis vero non sunt, nisi partes illae Danielis et Ezrae, atque paraphrases Bibliorum. Accedit, plura a Rabbinis in eam illata esse, quae sunt minus firma; hinc non semper satis tuto illi creditur, nisi soror Syriaca adstipuletur.

Hae sunt tres praecipue dialecti, quarum cognitio cuicunque cordato theologo necessaria est; interpreti vero, qui omnes Bibliorum difficultates enodare, et omnia obscura elucidare debet, consulendae quoque sunt reliquae cognatae dialecti, nempe: I. Aethiopica seu Habessinica, quae adhucdum in provincia Tigre vernacula est, Brüce Reis. I. Th. S. 369. Anhang S. 88. Uibers. von Cuhn. Non adsunt autem opera, typis excusa, nisi quae supra §. 57. laudavimus. — II. Samaritana; quae in unica versione Pentateuchi superest. III. Thalmudica, satis illa quidem dives, sed ob plures vocibus Hebraicis obtrusas notiones incertior, quare nonnisi destituentibus nos aliis dialectis usurpanda. IV. Phoenicia, Punica, et Palmyrena, ex quibus non adsunt nisi fragmenta in inscriptionibus et nummis, in Augustini operibus, et in quibusdam scriptoribus sic dictis classicis.

Reliquae linguae orientales, Hebraicae quidem cognatae non sunt; interpreti tamen commoda non contemnenda praestant.

## §. 81. Etymologia.

Collatio dialectorum feliciter cadere vix potest, nisi lucem praeferat etymologia, seu investigatio primae significationis verborum, et quibus rationibus ad alia demum significanda translatio facta fuit. Primam autem significationem dicimus, quam inventores linguae primum verbo subjecerunt. Ut autem dignoscatur haec prima verborum notio, juverit observare sequen-

tia. I. Inventores linguae non erant philosophi, qui a genere ad species descendissent; sed erant homines simplices et inculti, atque toti a sensibus pendebant, qui illis primum objectis, quae aures, oculos, et alios sensus, saepius aut vehementius feriebant, nomina imponebant; imitabantur inprimis sonos objectorum, et ipse hic sonus, imitatione prolatus, erat nomen rei sonantis, ut עוף a strepitu ô f, quem avolans avis excitat; נָבַע a sonitu b a, quem erumpens ex fonte aqua edit. Significationes et voces hujus generis dicuntur onomatopoëticae, quae in Hebraica quam plurimae supersunt. — Objecta vero, quae non sonabant, saepius tamen aut vehementius in sensus incurrebant, prae aliis, a ficto per imaginationem sono nomina recipiebant, ut membra hominis et animalium; quare significatio nominum hujus generis, ut יָד manus, רֶגֶל pes, שֶׂה ovis, כֶּלֶב canis etc., profecto prima est. Conf. praef. ad meam Grammaticam Aramaeam. II. Qui linguam invenerunt, et deinceps locupletarunt et expoliverunt, pro notionibus novis, quas progressu temporis acquirebant, et inprimis quidem pro notionibus abstractis, et pro rebus aliis in sensus nequaquam incurrentibus, non semper nova quoque verba fingebant, sed persaepe antiqua ad novas has notiones transferebant, quia vel similitudinem quandam, vel nexum rei novae cum antiqua obscure observabant, vel observare sibi videbantur, vel quia casus occasionem translationi praebebat. Hinc significationes rerum insensibilium et abstractarum non sunt primae sed derivatae. III. Progressu temporis verba a prima significatione frequentius, etiam ad ornatum, vel propter aliquam allusionem, ad alias non raro longius remotas, imo per ironiam etiam ad contrarias notiones transferebantur, et hac derivata notione crebrius usurpabantur, ut prima illa radicalis notio fieret rarior, aut prorsus obsolesceret. Hinc significatio prima nequa-

quam est usitatissima, sed plerumque rarior, saepe obsoleta, et in unico nomine derivato haerens, aut tenuibus quibusdam reliquiis notabilis, aut etiam prorsus amissa. Hinc etymologia rem plenam aleae tractat, et non semper finem suum assequitur. IV. Translationes verborum, quas orientales adoptarunt, ab analogia nostrarum linguarum persaepe longissime recedunt; desumtae enim sunt ex norma cogitandi orientalium; occasionem translationibus praebebant tropi et nexus idearum, qui ab orientalibus observabantur, et minime sunt omnes iidem, qui ab occidentalibus observati sunt; quare derivatio notionum a notione prima, consentanea sit iis, quae in hoc genere orientalibus propria sunt.

## §. 82. Etymologia non docet, sed illustrat notiones.

Notionum nexus esse potest diversissimus, et hinc rationes translationis verborum et notionum esse possunt infinitae, ex quibus homines cujusvis linguae aliquas, fere pro arbitrio selegerunt, ut nemo, nisi qui scientia complectitur omnia, divinare possit, quosnam notionum nexus, aut vocum translationes, gens quaepiam adoptarit. Hinc patet, ex prima notione erui non posse notiones derivatas, sed id solum effici, talem translationem vocis locum habere potuisse. Etymologia itaque derivatas et usitatas verborum notiones docere quidem minime potest, nequaquam vero propterea sterilis censenda est, plura enim et magna interpreti alia commoda praestat. I. Illustrat significationes derivatas, easque clariores et distinctas reddit, uti in הופיע coll. وفع; ידע coll. ودع; et porro in חלל, אסר, כשה, רדה etc. II. Haec illustratio notionis eo majoris est momenti in locis, ubi synonyma junguntur, quorum alterum plus altero exprimit. uti בוש et נכלם Jes. 41, 11. 45, 16., atque שהדי et עדי, Job. 10, 19. III. Syntaxis, in-

terdum abnormis, ex etymologia lucem capit; sic, cur עָגַב amavit, et בָּחַר elegit, cum עַל et ב praef., חוס (coll. خاص et حاص) cum על: et הִקְשִׁיב (coll. قشب) cum praef. Lamed personae construantur.

Etymologia insignem quoque opem fert memoriae, quae tot, non raro longe divergentes ejusdem vocis notiones, facilius retinet, si habet in significatione prima, quasi punctum firmum, cui reliquas notiones diversis lineis et annulis, quos etymologia suppeditat, connectere possit.

## §. 83. Etymologia necessaria.

Etymologia autem non solum ad illustrandas significationes et ad rectam et foecundam collationem dialectorum requiritur, sed ex aliis quoque rationibus necessaria est Nam I. occurrit nonnunquam in bibliis obliterata aut obscurata significatio prima, uti Exod. 14, 5. in verbo בָּרַח fugit, prima significatio sinistrum latus obvertit; ita etiam דָּבָר ductus Prov. 25, 11. cf. etiam Prov. 13, 20. II. Saepe ad primam vocis notionem alluditur, ut in vocibus אָדָם et אֱנוֹשׁ, Eccl. 6, 10. Ps. 8, 5. 9, 20. 21., et non raro quoque in nomine יְהוָה. Imo interdum tropus, per quem vox a prima significatione ad alias notiones translata fuit, in similitudinem vel allegoriam transformatur, quae sine etymologia intelligi nequit, ut illud: carbones ignis congerere super caput inimici, Prov. 25, 22. Rom. 12, 20., quod non innuit, nisi illud, quod subest etymologiae צלה, صَلَّ igni applicare, torrere, assare, dein hominem quasi assare, i. e., sibi propensum reddere, denique Deum sibi propensum reddere seu orare; haec translationis ratio etiam observatur in Thalmudico בָּלַד. III. Quae interdum de singulari vocis significatione a reliquis longius recedente, oriuntur dubia, nonnisi per etymologiam dissipari possunt, qua ostenditur, posse voci

subesse hanc quoque notionem, exemplo sit מִכְתָּם, Ps. 16, 1, 46, 1. 47, 1. 48, 1. 49, 1. 60, 1., quod Alexandrinus et Theodotio vertit, inscriptio in lapide vel columna, στηλογραφια, a qua reliquae notiones abhorrere videntur; ast prima notio in dialecto Syriaca superstes, cicatrices impressit, signavit, omnia conciliat. IV. Voces et notiones, raro aut semel duntaxat occurrentes, neque a dialectis lucem mutuantes, ex serie orationis et materia substrata eruendae sunt; res plena aleae, nisi prima significatio lucem praeferat, ut in בּוֹשֵׁשׁ tardavit, Jud. 5, 28, a בּוֹשׁ. V. Versiones antiquae, quibus carere nequit interpres V. F., sine lumine etymologiae, quam saepe exprimunt, non intelliguntur; sic quum versio Alexandrina Hab. 1, 5. cf. Act. Apost. 13, 41. pro תְּמְהוּ habet αφανισθητε, quod Vulgata quidem recte reddit: admiramini; sed alias juxta derivatam notionem absque ullo sensu vertitur disparete prima vero notio τε αφανιζομαι et תָּמַהּ est odorem vel colorem mutare, hinc pallefieri, obstupescere, conf. Matth. 6, 16.

## §. 84. Limites etymologiae.

Si usum etymologiae urgemus, non id volumus, ut prima cujusvis verbi notio, quae saepe abstrusa est; aut prorsus periit, reapse inveniatur; sed id modo monere censuimus, investigationem esse continuandam, quousque progredi possumus; si inveniatur onomapoetica, aut saltem rei sensibus subjectae notio, ex qua omnes reliquae significationes, a viro linguarum perito, more orientali, commode deduci possunt; statuenda haec est significatio prima; quodsi tale nihil reperiri possit, contenti simus aliis, quae praesto sunt, de significatione testimoniis. Ceterum nequaquam requiritur, ut diversis notionibus eorum verborum, quae iisdem literis scriptae, diversa tamen pronunciatione distinguebantur, semper una communis prima notio

quaeratur, quae in pluribus nunquam erat, siquidem saepe reapse diversae sunt voces, quarum cuilibet quoque a linguae inventoribus diversa primum tributa fuit notio.

## §. 85. Antiqui interpretes testes usus loquendi.

Antiquos V. F. interpretes supra quidem §. 71., propter distantiam ab aevo, quo lingua adhuc erat vernacula, testes de usu loquendi diximus esse nequaquam idoneos, atque id quidem negari nequit, si sermo est de testibus directis et immediatis; ast id nihil impedit, ne sint testes mediati et indirecti, quorum auctoritas duobus momentis nititur. I. Quia plerique erant aevo, quo lingua Hebraica vernacula erat, propiores, et quam plurima Hebraica, usu communi, vel liturgico, vel scholastico conservata, noverant, quae in versiones suas deposuerunt, et nos ex iisdem haurire possumus. Id eo ampliorem locum habet, si agitur de illis, quae dialecto Hebraicae propria sunt, et in omnibus versionibus eadem significatione redduntur, atque per etymologiam quoque confirmantur. II. Plures antiqui interpretes aliqua dialecto, Hebraicae cognata, utebantur vernacula, et vel ideo ejusdem vastiori et perfectiori gaudebant cognitione, quae ipsis lumen amplius in Hebraicis praeferebat. Grave itaque est mediatum et indirectum interpretum antiquorum testimonium, quod negligendum non est, etsi eos alioquin collatione omnium dialectorum, et arte grammatica et critica superamus.

## §. 86. Duplex antiquarum versionum emolumentum.

Interpretes quidem sensum Hebraicarum dictionum, modo linguae suae accomodato exprimere, nec de verbis aut etymologia curare debuissent; ast, Symmacho excepto, alius vix ullus huic gravissimae interpretationis legi perpetuo satisfecit; fere omnes verbis anxie in-

haerent, et passim etymologiam exprimunt. Verum quod peccatum interpretationis est, in emolumentum saepe cedit nostrum, ut ex antiquis versionibus indicia quoque etymologiae capere possimus, quae ideo quidem non mox vera censenda, sed examinanda et rite dijudicanda est. Praecipua vero, quae e versionibus hauriamus, sunt notiones verborum, et sensus sententiarum, atque ad id quidem usum versionum esse necessarium, longa inductione ostendi posset, cum permultae sint voces, quarum praefinita notio ex dialectis peti nequit; sic אֵלָה et אֵלוֹן esse terebinthum, אַלָּה vero quercum, solae versiones docent; Aramaeum enim אִילָן arborem significat, unde deduci nequit, quaenam arbores illis vocibus Hebraicis designentur. Cf. etiam אסף, יָוֵן etc.

## §. 87. Quibus versionibus utendum.

Interpretes, qui versionem aliam antiquiorem in idioma suae gentis traduxerunt, textum Hebraicum nec inspexerunt, neque intellexerunt; quare de usu loquendi Hebraico testimonium dicere nequeunt; hinc omnes versiones mediatae ad interpretationem textus Hebraici nihil conferunt, ut solae restent immediatae, in quibus omnibus ea, quae interpretes Hebraica in usu communi, in liturgia, vel in scholis conservata repererunt, vel ope suae vernaculae alicujus dialecti cognatae perspexerunt, dispersa sunt; quare nulla quidem prorsus negligenda est, non omnes tamen aequalia praestant emolumenta, et hinc aliae, quae sunt vel meliores, aliis praeferendae, hoc fere ordine. I. Versio Alexandrina est antiquissima, quae, etsi passim erronea, quam plurima tamen complectitur utilia: quare jam antiquiores interpretes omnes ea usi sunt. Cum hac jungenda sunt fragmenta versionum Aquilae, Theodotionis, Symmachi, 5tae, 6tae et 7mae, quarum omnium assiduus usus simul optima est praeparatio ad

interpretationem Novi Foederis. II. Syriaca Pheschito, cujus auctores non modo antiquitate, sed etiam vernacula Syriaca, eruditione, et perspicacia aliis praecellunt. Ejus usus, quatenus cognitionem linguae Syriacae adjuvat, subsidia quoque interpretationis Novi Foederis auget. III. Vulgata Latina, excepto Psalterio, merito tertium locum occupat; auctor enim Hieronymus, omni scientiarum genere excultus, eruditissimis Judaeis praeceptoribus usus, fere omnia, quae tum de Hebraea lingua supererant, complexus est, et in versionem et commentaria sua deposuit. IV. Thargumim, pleraque quidem haud bona sunt, plura tamen utilissima et scitu necessaria exhibent. Auctores Chaldaica utebantur vernacula, et noverant quoque, inprimis antiquiores, quae de Hebraica usque ad illud tempus conservata fuerant. Usus harum paraphrasium fere unica est ratio combibendae dialecti Chaldaicae, quae ad interpretationem Novi Foederis necessaria est. V. Sequuntur reliquae versiones immediatae, inprimis Arabicae, quarum auctores nequaquam antiquitate, sed eo magis vernacula sua Arabica commendantur.

## §. 88. Ratio utendi versionibus.

Ratio utendi versionibus duplex est: I. liber quivis versionis integer ad verbum et ad sententiam confertur cum textu Hebraeo, et quae observantur utilia, notantur in charta; quae singulis lexici alicujus foliis inserta sit, ubi omni occasione facile reperiri possunt. Hic usus multa subsidia hermeneutica suppeditat, et indolem simul versionis docet, ideoque unicus teneri deberet, nisi vita brevis ad tantum laborem deficeret, quare unus tantum alterve liber hac ratione examinatur. II. Consuluntur versiones in locis duntaxat difficilioribus. Ad id multum conferunt concordantiae, quae adjecta exhibent verba Hebraica, in his enim uno intuitu omnes conspiciuntur notiones, quae voci in hac

versione subjectae sunt. Hujusmodi concordantiae habentur duntaxat duae in versionem Alexandrinam: altera Kircheri 1607., quae ordinem alphabeti Hebraici sequitur, appendicem vero habet ordine alphabeti Graeci digestam, altera est Tromii 1728., quae ad ordinem alphabethi Graeci exacta est, atque appendicem habet ordine alphabeti Hebraici compositam, nec non lexicon in Hexapla Origenis. His concordantiis jugendus est Novus Thesaurus philologico - criticus sive Lexicon in 70 — — post Bielium — — congessit et edidit J. Fr. Schleusner Lipsiae 1820 — 21 8vo. Partes V. addendae denique Glossae sacrae Hesychii 1785., atque Suidae et Phavorini 1786. singillatim editae ab Ernestio.

## §. 89. Requisita ad rectum versionum usum.

Ut usus versionum exoptata emolumenta praestet, requiritur: I. Cognitio dialectorum cognatarum; nam cum nulla sit versio sine multis erroribus: notiones expressae ad dialectos examinandae sunt: dein dialectorum expers lector saepius ignorantiam interpretis arguit, cujus ampliorem linquae notionem, testimonio dialectorum comprobatam, laudare debuisset, esto interpres, notionem alieno loco obtrudens, contra leges interpretandi peccaverit. II. Accurata et vasta cognitio linguae, in qua versio exarata est. Ex versionibus versionum haurire, non potest non in errores conjicere. Quanta requiratur cognitio linguae versionis, ex eo patet, quod viri, cetera non indocti, non pauca tamen loca nostrae Latinae Vulgatae non intellexerunt; prout expositiones vocum visitare, lucifer Jes. 14, 12. et nugae Zephan. 3, 18., comprobant. III. Ars critica, non solum, ut lectiones versionis dijudicentur, sed etiam, ne interpres antiquus erroris arguatur, ubi aliam lectionem expressit. IV. Solers observatio locorum difficilium et obscurorum, quae interpretes non intellexerunt, sed sensum ex substrata materia, ex serie

orationis aliisque adjunctis conjiciebant; quare de his testes esse non possunt; judicant enim, quid verisimilius sit, quod nos aeque aut melius possumus.

## §. 90. Josephus Flavius et Patres ecclesiae.

Versionibus accenseri quoque potest Josephi Archaeologia Judaica; nam etsi Josephus Alexandrinam versionem secutus est, saepe tamen textum quoque Hebraeum inspexisse, probant loca permulta, in quibus a versione Alexandrina longe recedit; atque de his testis est locuples; ceteris enim interpretibus, exceptis Alexandrinis, antiquior est, dialecto Chaldaica vernacula utebatur, atque sacerdos eruditus, et postremo imperator fuit exercitus Galilaeae in bello Romano, adeoque omnibus notitiis ecclesiasticis, civilibus et militaribus instructus erat. Cavendum vero, ne omnia, inprimis quae in favorem populi sui vel etiam ethnicorum pervertit, aut quae de templo sui aevi depromta, ad templum Salomonis transfert, ei temere credantur. — Quae in scriptis Origenis et Hieronymi Hebraica, aut in Augustini libris Punica reperiuntur, omnem attentionem merentur; plura enim in eis sunt, quibus meliora nemo hucusque protulit. Quae in Justino, Epiphanio et Theodoreto Hebraica occurrunt, pleraque ejusdem non sunt momenti, cum praecedentibus. Patres, qui ex versionibus hauserunt, testes de usu loquendi Hebraico esse nequeunt.

## §. 91. Decretum Tridentinum de interpretatione.

Haec quidem sunt principia, quae in interpretandis libris V. F. generaliter observare oportet. Cum vero experientia teste facile quis eis abuti possit, ac insuper viri doctissimi non in minoris tantum, sed etiam in maximi momenti locis interpretandis discrepent, et praeterea in nostris libris veritates intellectum humanum transcendentes contineantur, ad quas expli-

candas usus loquendi communis insufficiens est; Concilium Tridentinum, ne fideles omni vento doctrinae jactentur, Sess. IV. necessario, et prudentissime: »ad coërcenda petulantia ingenia, decernit »ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei »et morum ad aedificationem ecclesiae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus »contorquens, contra eum sensum, quem te»nuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus »est judicare de vero sensu sanctarum scripturarum, aut »etiam contra unanimem consensum Patrum, »ipsam scripturam interpretari audeat.« — Ut penitius sensum hujus decreti assequamur, pauca annotare lubet. I. Petulantia ingenia, quae carpit concilium, non sunt illi Catholici, qui cum reverentia Ecclesiae catholicae debita producunt testes, quos usum loquendi novisse et edicere velle, nullus dubitat, nempe dialectos, quae unam eandemque cum Hebraica constituunt linguam. Decretum petit novatores qui dogmata semper, et ubique credita eliminare volebant, et volunt. II. Prudentia sua, quam concilium reprobat: est jactata novatorum illius aevi perspicacia, qua ex perversa scripturae interpretatione antiquas doctrinas et institutiones pervertere nitebantur; est III. prudentia illa, cui innixus interpres sacram scripturam ad suos sensus contorquet, quod nullo non tempore in omnibus libris nefas fuit, est et erit; IV. Interpres prohibetur contorquere scripturam ad suos sensus in rebus fidei et morum ad aedificationem ecclesiae pertinentium, quae verba, ut Cardinalis Palavicini Hist. conc. Trid. L. VI. c. 8. testatur, non modo ad verba: contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, sed etiam ad illa: contra unanimem consensum Patrum, pertinent, ut hac concilii lege duntaxat cautum fit, ne quis, arroganti perspica-

ciae innixus, sacram scripturam in rebus fidei et morum, contra sensum ecclesiae, aut contra unanimem Patrum consensum, ad suas opiniones trahat repugnantem, quod sana ratio reprobat, et nullo non tempore, ut ipse Palavicini disertis verbis dicit, ex natura rei nefas erat. Ex his patet, SS. Synodum tantum decrevisse, ne quis in exponenda S. Scriptura magisterium Ecclesiae catholicae spernat, et hoc ipso S. Scripturam ad suos sensus contorqueat. Cf. Bannez Comment. in pr. S. Thomae Q. 1 art. 10. dub. 6. Tom. I., et Azor. Instit. mor. Tom. I. libr. 8. Calmet praefat. in proph. art. 5to.

---

# Caput quintum.

## Historia conditionis textus Hebraici.

### §. 92. Immutatio characterum Hebraicorum.

Characteres literarum, quibus Moses scripsit, e ruderibus antiquitatis erui nequeunt, nisi forte aliquando illi lapides, quibus Josua legem insculpi curavit, Jos. 8, 30. seqq. cf. Deut. 27, 1. seqq., felici fato reperiantur, et legi adhucdum possint, qui, collati cum inscriptionibus nummorum Hasmonaeorum, plura quoque de mutationibus scripturae Hebraicae, quae arti criticae proficua essent, patefacerent. Quamdiu haec omnia latent, ex moderna characterum forma id unicum colligitur, eos primitus exhibuisse rudem delineationem earum rerum, quas nomina literarum significant. Conf. meam Gramm. Hebr. ed. III. §. 1—2. p. 1—16. — Hanc primaevam literarum formam progressu temporis diversis modis fuisse mutatam, inconstantia et mutabilitas omnium rerum humanarum, dubitare non sinit, et collatio quoque characterum Hebraicorum, Phoeniciorum, Punicorum, Samaritanorum, et Syriacorum, evincit, qui omnes origine iidem fuerant, et

jam aevo Hieronymi, Origenis, inscriptionum Palmyrenarum, atque monetarum Phoeniciarum et Judaicarum, plurimum discrepabant.

Quum Hebraei in exilio Babylonio dialecto Aramaeae assuescerent, characteres quoque notabilius mutarunt, quod Rabbinos Jose et Zutra movisse videtur, ut in Thalmude Babylonio Sanhedrin II. p. 21. col. 1. assererent, characteres, qui post exilium invaluerunt, a Judaeis, ex Assyria (Babylonia) reducibus, allatos fuisse, et Ezram libros sacros his novis characteribus descripsisse, atque ita antiquos characteres Samaritanis relictos fuisse. Sunt vero Rabbini non pauci, qui in Thalmude huic assertioni adversantur, et quidem merito, siquidem nec Ezra, neque Josephus hujus repentinae mutationis meminit; Origenes dubius haesitat; Hieronymus primus audacius pronunciat, characteres, quibus sua aetate utebantur Hebraei, ab Ezra immutatos fuisse. Hieronymum coece secuti sunt demum recentiores, donec Capellus hanc sententiam impugnaret, accerimos nactus adversarios, inprimis Buxtorfium, conf. Wolfii Biblioth. Hebr. Vol. II. Sect. VI. p. 419. seqq. p. 623. Vol. IV. Sect. VI. p. 227 — 242.

## §. 93. An Hebraeis olim fuerint 22 characteres.

Quascunque vicissitudines Hebraici characteres longa seculorum serie subierint, numero tamen aucti non fuerunt; nam viginti duo jam versibus alphabethicis Psalmorum 34. 37. 111. 112. 119. 145. indicantur, adeoque aetate Davidis non sunt recentiores, sed potius, quia per ipsa haec carmina pro notissimis ponuntur, multo antiquiores, et cur non ab ipso literarum inventore? siquidem alius quicunque recentior, postquam ars scribendi ad plures gentes propagata erat, non potuisset literas, quas ipse novas invenisset, aliis gentibus, ut Phoenicibus, Aramaeis et Aegyptiis obtrudere, ut taceam, illam aetatem non fuisse grammaticalibus subtilitatibus adeo cultam, ut de augmento literarum cogitaret. — Cadmum Phoenicium 1519 ante Chr., adeoque 85 annis post exitum Hebraeorum ex Aegypto,

16 tantum characteres ex Phoenice attulisse in Graeciam scribit quidem Plinius et Plutarchus; ast, trecentis fere annis antiquior, Aristoteles, 18 allatas fuisse tradit; Herodotus vero antiquissimus, et qui eum secutus est Diodorus Siculus, de numero prorsus tacent; quare jam Dionysius Halicarnasseus T. II. p. 21. ed. Oxon. de numero characterum Cadmi dubitavit. Cadmum autem 22. characteres orientales attulisse, ipsa collatio literarum Graecarum ostendit, quam ideo hinc adjicere lubet:

Aא, Bב, Γג, Δד, Eה, Tו, Zז, Hח, Θט, Iי, Kכ, Λל, Mמ, Nנ, Ξס, Oע, Φפ, צ, Xק, Pר, Σש, Tת.

Unica itaque litera Zade desideratur, quae latet in charactere *σαυπι*, qui, ut Zade, numerum 90 designat. Addiderunt Graeci Psi et Pi, quo ultimo (Pi) carere orientales, jam monuit Hieronymus Comment. in Jes. 2.; nam Phe Hebraeis nunquam p., sed semper, ut Arabibus et Syris, f. sonuit. Audiendi igitur non sunt Graeci, qui de additione literarum, fama quidpiam acceperant, ex quo diversa hariolabantur; multo minus probari potest argumentum, quod Chishull, Cour de Gebelin et Bianconi ex nummis ducunt, in quorum inscriptionibus nonnisi 16 literae comparere dicuntur; nam, ut taceam, id veritate non niti, et non omnes literas in paucis vocibus inscriptionum, occurrere debere, nummi omnes multo recentiores sunt non modo Psalmis alphabethicis, sed etiam versibus Prov. 31. 10 — 31. et Jeremiae threnis alphabethicis, in quibus 22 literae occurunt.

## §. 94. Aetas punctorum vocalium.

Quum Judaei, antiquis inhaerere amantes, volumina synagogae, et Samaritani omnes codices sine punctis vocalibus scribant; conjici potest, antiquos quoque Hebraeos his signis usos non fuisse. Recentiores quidem Judaei puncta vocalia a Mose tradita accepisse videri volunt; at de ratione legendi textum

loqui censendi sunt. Puncta autem nostra olim non adfuisse, ostendunt antiqui interpretes, qui saepe aliis assumtis vocalibus verba vertunt; Origenes, textum Hebraeum literis Graecis scribens, in Hexaplis, et Hieronymus voces Hebraeas literis Latinis exhibens, aliis saepe utuntur vocalibus, quam quas nostra puncta indicant. Hieronymus quoque, sicut Thalmud et tractatus Sopherim, altum de punctis nostris, observat silentium etiam in locis, ubi ea, si adfuissent, tacere non potuisset. Quum autem I. liber Thalmud desiñente seculo Vto ad finem perductus fuerit, et tractatus Sopherim, qui Thalmud jam perfectum commemorat, ante seculum sextum scriptus esse nequeat: liquet, seculo sexto puncta adhucdum fuisse ignota. II. Seculo vero XI. Aharon ben Ascher et Jacobus ben Naphtali, toti sunt in punctis rite disponendis et eorum varietatibus dijudicandis; unde patet, hac aetate puncta nostra jam aliquo abhinc tempore adfuisse. III. Systema punctationis tantam artem prodit, et adeo expolitum est, ut non potuerit brevi tempore ad tantam perfectionem evehi. Accedit, in collatione textus orientalis cum occidentali, quae probabilius seculo VIII. debetur, occurrere duas punctorum varietates. Quare non longe aberrabimus, si statuerimus, negotium nostrae punctationis seculo VII. et VIII. coeptum, et seculo IX. et X. perfectum fuisse.

## §. 95. An literae אהוי olim vocales.

Hieronymus quidem saepius scribit, Hebraeos vocalibus in medio literis perraro uti; ast eum non loqui de matribus lectionis, seu literis אהוי, recte ex eo colligitur, quod vocalibus his literis Chet quoque et Ajin accenset, ut Praef. ad Comment. in Amos, et de Nomin. Hebr.; et alibi scribit, Hebraeos non habere in medio vocales. Errant itaque, qui inde colligunt, antiquis Hebraeis literas אהוי fuisse

vocales, et in textu Hebraeo multo frequentiores exstitisse, ac demum inventis punctis plerasque e textu fuisse ejectas. Neque facile percipi potest, has literas vocalium vices subiisse, siquidem He raro (in fine secundae personae pronominum et verborum singularium aoristi primi) est mater lectionis, Aleph omnes vocales recipit, Uau et Jod autem quiescentes producunt syllabam, et ea correpta pereunt.

## §. 96. An antiquis Hebraeis nulla signa vocalium.

Quamquam antiqui Hebraei nec nostris punctis, nec literis quiescentibus usi sunt pro vocalibus: voces tamen, quarum pronunciatio per seriem orationis non accurate definitur, postulasse videntur aliquod signum, quo lector de pronunciatione admoneretur, prout et Arabes, sine punctis scribentes, vocibus ambiguis passim aliquod signum vocale adjiciunt. — Syri reapse jam seculo sexto tradiderunt Arabibus non modo consonantes 22, sed tria etiam signa vocalia, quae demum seculo VIII. duobus aliis auxerunt. — Tria hujusmodi signa, literis annexa, reperiuntur quoque in scriptura Chaldaica Mendaeorum in Mesopotamia ad Mardin. — Ephraem Syrus, T. I. opp. p. 184. scribens, se nullibi legisse chmore, sed ubique chemre, praesentiam signi alicujus vocalis innuit, sine quo חמרא utroque modo legi potuisset. Hinc efficitur, Syros jam seculo IVto habuisse, si non illa tria signa vocalia seculi VI., signum tamen aliquod pronunciationis, et procul dubio illud punctum, quod non modo in scriptis Syriacis, quae punctis vocalibus carent, sed etiam in pluribus libris editis, praeter puncta vocalia, conspicitur, atque ab Amira Grammat. Syr. Romae 1596. L. I. c. 16 et 17. p. 51 — 64., tanquam signum lectionis pertractatur, quod diverso suo situ pronunciationem indicat. Simplicissimum hoc pronunciationis signum, dubio procul quoque antiquissimum est; nam

apud characteres quoque, fasciis Mumiarum Aegyptiacarum inscriptos, observatur. His vero nondum evictum est, antiquos quoque Hebraeos simili indicio pronunciationis vocum ambiguarum usos fuisse. Videtur quidem suffragari Hieronymus saepe commemorans accentum, quo pronunciatio praefiniatur; ast si omnia haec Hieronymi loca conferantur, apparet, accentus nomine ei venire quoque aspirationem literarum gutturalium, stridorem in pronunciatione Schin et Zade, et ipsam quoque syllabarum quantitatem, atque haec omnia referri possunt ad pronunciationem, inprimis cum signum vocale non raro adfirmat abesse. Si autem illa considerantur Hieronymi loca, quibus dicit, Hebraeos in medio vocales non habere, et vocalibus in medio literis perraro uti: liquet, ipsum tacite innuere, supra vel infra literas signa quaepiam adfuisse, quae, quia jam i, jam e, et jam o, jam u sonare poterant, vocales non accurate preafiniebant, qualia sunt ipsa quoque puncta vocalia Arabica, seculo VI. a Syris accepta. Atque adfuisse quaepiam hujusmodi signa manifeste innuit Hieronymus in Genes. 19, 33., ubi de בקומה scribit: »appingunt desuper quasi incredibile quid, quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem,« quibus verbis innuit puncta בקּוֹמה, ex quo patet, aevo Hieronymi punctum cholem et schurek adfuisse, unde colligi potest, non defuisse quoque punctum infra literam pro i et e, ut, ubi nullum punctum erat, a sonandum fuerit. Haec puncta intelligenda veniunt in locis Thalmudis, in quibus mentio de accentibus טַעְמִים et סִימָנִים, tanquam signis pronunciationis, occurrit, uti Berachoth p. 14. c. 1., Nedarim p. 37. c. 2. p. 52. c. 1., Sanhedrin p. 4. c. 1. — Duo itaque videntur aetate Hieronymi fuisse situs unius puncti, alterum supra literam pro o et u, quod tamen pro u, si mater lectionis Uau aderat, ventri ejus inprimebatur, alterum infra literam pro i et e. His deinceps, fortasse seculo V. vel VI. ad-

ditum signum pro a. Signa vero haec nonnisi vocibus ambiguis addebantur. Haec tria signa, quae nostro adhucdum punctationis systemati substrata sunt, demum sequentibus duobus aut tribus seculis aucta et in modernum systema redacta sunt.

## §. 97. Aetas Accentuum et reliquorum signorum diacriticorum.

Quod de punctis vocalibus dictum est, valet quoque de accentibus et reliquis signis diacriticis, nempe Raphe, Dagesch, Makkeph, Mapphik, Phsik, et puncto quod Schin a Sin discernit. Nam I. accentus et reliqua signa diacritica arcte cohaerent cum punctis vocalibus, quae pro diversitate accentuum et signorum diacriticorum mutantur, quod communem omnibus originem prodit. II. Antiqui interpretes persaepe ab interpunctionibus, per nostros accentus indicatis, et sensum optimum fundentibus, recesserunt, non recessuri, si haec interpunctionis signa in textu habuissent. III. Hieronymus et scriptores Thalmudici de accentibus et omnibus signis diacriticis silent, etsi occasio ea commemorandi non semel adfuit. — Qui ab Hieronymo et a Thalmudicis commemoratur accentus, non est signum toni et interpunctionis, sed omnem rationem pronunciandi indicat. Negandum quidem non est, nonnunquam nomine accentus venire quoque interpunctionem, uti Tract. Hagiga p. 2. de loco Exod. 24, 5. et Hieronym. Ep. ad Cyprian. de Ps. 90, 11.; ast hinc concludi nequit, nostros accentus adscriptos fuisse, sed hoc unicum colligitur, signum illud, quod accentus dicebatur, et plura diversa indicabat, nonnunquam fuisse quoque signum interpunctionis, quae antiquis, nequaquam ignota fuit.

Jam seculo XVII. quipiam conjectarunt, nostros accentus olim fuisse notas musicas, ad quas Psalmi in templo decantati

fuerint, hoc demum eorum officio obliterato, in signa interpunctionis transmutatos, et in reliquos quoque libros illatos fuisse. Ast tantae eos non esse antiquitatis, modo vidimus, et signa musica adhucdum sunt cantoribus Synagogarum, ut adeo hoc eorundem munus nunquam obliteratum fuerit Conf. Walton Proleg. III. §. 45. p. 142. seqq. §. 56. p. 169. seqq.

## §. 98. Intervalla verborum.

Antiquos ante seculum nonum verbum e verbo sine intervallis scripsisse, communis inde a Mureto, Justo Lipsio et Morino, est eruditorum sententia; ast recentiores diplomatici produxerunt multa antiqua monumenta Graeca et Latina, quae intervalla verborum exhibent. Verum non de his, sed de orientalibus nunc quidem agimus. In bibliotheca autem Vaticana, Medicea, Angelica S. Augustini, atque Mediolanensi adservantur codices Syriaci seculi VI., VII., et VIII. intervalla verborum exhibentes; adsunt porro inscriptiones Arabicae, et alia monumenta Arabica characteribus Cuficis, atque inscriptiones Persepolitanae, in quibus omnibus intervalla verborum observantur. Vide Adlers Beschreib. der Syrischen Uibersetzungen des N. T. Ol. Gerhard. Tyschen tabul. aeri incis. in Elementari Syriac. Rostochii 1793. Blanchini Evangeliarium quadruplex P. I. p. 541. Niebuhr Beschreib. von Arabien. S. 95. Kupfertafel IV — XI., und Reisebeschr. II. Th. S. 152. Kupfert. XXX. — Documenta Graeca et Latina, intervallis verborum carentia, nunc quidem de orientalibus agentes, negligere possemus; monendum tamen est non deesse antiquissima documenta alia Graeca et Latina; in quibus intervalla verborum observantur, ut neglectus in aliis, librariorum oscitantiae aut festinationi tribuendus sit, prout ex monumentis patet; quae intervalla nonnunquam loco injusto exhibent, uti in illa in-

scriptione Herculanea ὡς ἐνσο φον, loco ὡς ἐν σοφον. Le Pitture antiche d'Erculano 1760. Tab. VI. p. 34. not. 2. Si id in sculptura contigit, quis dubitet, librarios multo saepius intervalla injusto loco reliquisse aut neglexisse? Hinc explicandum est, si in Masora notantur undecim loca, in quibus literae unius vocis in duo verba separanda, et alia loca novem, in quibus duae voces in unam conjungendae praecipiuntur. Inde quoque repetendum, si veteres interpretes nonnunquam aliam verborum divisionem fecerunt, qui id multo crebrius fecissent, si in codicibus prorsus nulla verborum intervalla reperissent.

## §. 99. Divisio in versus.

Quilibet facile videt, sacros auctores non divisisse libros suos in minuta frustra, qualia sunt versus nostri quos aetate antiquorum non adfuisse, eorum versiones comprobant, in quibus non raro alia, non modo melior sed et deterior divisio observatur. Quum hae minutae sectiones cum accentibus et punctis vocalibus arcte cohaereant, concludendum est, ipsas eadem cum his aetate introductas fuisse. Nam ab his versibus prorsus diversa sunt hemistichia carminum, quae mox ab ipsis auctoribus divisim exarata fuerunt, quod ipsum in canticis, Exod. 15. Deut. 32. Jud. 5., et in antiquioribus quoque Jobi, Psalmorum et Proverbiorum codicibus retentum fuit. Stark Proleg. in Psalm. T. II. P. II. Sect. 14. Kenicott. Diss. I. super ratione textus Hebr. p. 308. Antiqui eandem scribendi rationem quoque de Ecclesiaste et Cantico testantur. Hieronym. Pref. in Jes. Epiph. de pond. et mens. c. 4. Cyrill. Jerus. Cataches. IV. Similis scribendi ratio, ut Hieronymus Pref. in Jes. et Ezech. testatur, demum ad libros quoque prosaicos, traducta est, ut ςιχηρως, seu per ςιχȣς, scriberentur, cujusmodi codices ςιχηρεις dicebantur. Duplices vero, ut

ex Hieronymi Praef. I. in Job. discimus, distinguebantur στίχοι, minores seu cola, et majores seu commata. Hae distinctiones, quae in Thalmudicorum שִׁטִּים et פְּסוּקִים latere videntur, Tract. Megilloth. c. 4. et Massecheth c. 4, sensum respiciebant, ut breves sententiae et incisa, una linea absoluta, dicerentur cola; integrae autem periodi et aliquantum etiam longiores partes, commata. Quidquid sit, dubio caret, omnes has antiquas divisiones a nostris versibus prorsus fuisse diversas. Conf. de Rossi Specimen Lect. variantium V. F. in Append. p. 399—440. Richard Simon Hist. Crit. du V. T. L. V. Ch. 28.

## §. 100. Divisio Pentateuchi in Pharaschas.

Pentateuchus in 50 et 54 Pharaschas, פָּרָשִׁיּוֹת, divisus est, ut in synagogis, prout annus lunaris est simplex vel intercalaris, omni hebdomade Pharascha, פָּרָשָׁה, atque per annum totus Pentateuchus legatur. Pharaschae per פפפ vel ססס indicantur. Cum vero hae longiores hebdomadum partes in minores, quae singulis diebus in synagoga a diversis viris leguntur, distinctae sint, hac minores per פ vel ס designantur. Per haec signa monentur librarii, ut post פפפ et post פ, i. e., פְּתוּחָה aperta, sequentem lineam a capite incipiant, et post ססס vel ס, i. e., סְתוּמָה vel סְמוּכָה clausa, relicto paulo majori intervallo, eandem lineam prosequantur. — Haec divisio in tractatu Sopherim, seculo VI. vel VII., commemoratur, et ex illa aetate, qua post reditum ex exilio lectio Pentateuchi in Synagogis statuta fuit, descendere videtur, ita tamen, ut longo tempore pars legenda arbitrio archisynagogi relicta fuerit, donec passim antistites constantem divisionem partium legendarum statuerent, unde diversae oriebantur partitiones, de quibus adhuc Maimonides conquestus est; tandem omnes in unam celebriorem consenserunt, quae in nostra biblia recepta est.

## §. 101. Haphtarae.

In synagogogis legitur quoqua omni Sabbatho pars prophetarum, quae הַפְטָרָה dicitur: quare quot sunt Pharaschae, totidem sunt quoque Haphtarae, i. e. partes ex prophetis decerptae, quae singillatim in codicibus descriptae habentur. — An consuetudo legendi quaepiam ex Prophetis, repetenda sit ex aevo Maccabaeorum, prout Elias Levita in Thisbi sub voce פטר, et Vitringa de Synagog. vet. L. III. P. II. p. 1008. censuit, sub judice lis est; aetate Jesu in synagogis prophetas legi solitos fuisse, constat ex Luc. 4, 16. seqq.; quisnam autem propheta praelegendus esset, archisynagogi arbitrio relictum fuisse videtur; locus enim Luc. 4, 16. ex Jes. 61, 1 — 3. praelectus in modernis Haphtaris non reperitur; quare praefinitio certarum partium, recentioris videtur esse aetatis.

## §. 102. Divisio in capita.

Divisio in capita seculo XIII., occasione concordantiarum, quae tum conscribebantur, in Vulgatam nostram introducta est, ut loca accuratius allegari, et facilius reperiri possent; quare caput quodlibet (nam versus in Latinam vulgatam primum a Rob. Stephano 1548. inducti, et numeris insigniti sunt) rursus per literas A. B. C. D. etc. juxta certum linearum numerum dispositas, in minores partes secabatur, ne opus esset, locum in concordantiis designatum operose quaerere. An haec divisio Stephano episcopo Cantuariensi († 1227), vel Hugoni Carensi († 1262) debeatur, discerni vix potest. Fortasse prima divisio descendit a Stephano, quae deinceps ab Hugone paululum mutata est; quare in diversis editionibus adhucdum passim variat. Quidquid sit, constat, ab anno 1240 allegationes capitum coepisse, Genebradus Chronol. L. IV. p. 644. Hanc divisionem R. Isaac Nathan primus, 1440

bibliis Hebraicis intulit, conf. Buxtorf. concordant. Biblior. Hebraic. 1623. Praef. col. 4 — 14. Hinc in editionem Danielis Bombergii 1525. immigravit. — Capitula, quae de textu Hebraeo et versione Alexandrina commemorat Hieronymus, Comment. in Mich. 6, 9., Sophon. 3, 14., Jer. 9, 22., Quaest. in Gen. 36, 14. etc. a nostris sectionibus in capita, prorsus diversa sunt, et forte cum illis סְדָרִים consonant, quae a Jacobo ben Chajjim in codice Geneseos, numero quadraginta duo, reperta, et in Correctorio quoque Parisiensi seculi XII. annotata sunt. Antiqui vero scriptores ecclesiastici loca Bibliorum nunquam per capitula designant; Judaei loca fusiora, fere ut Mohammedani Suras Korâni, a nomine alicujus personae, loci, vel rei, cujus ibidem mentio fit, denominabant, velut Philo de Agric. T. I. p. 316. allegat εν ταις αραις, i. e. Deut. 27.; Raschi in Hos. 9, 19. בְּפִלֶגֶשׁ, in concubina, i. e., Jud. 19 — 21., et in Ps. 2. בְּאַבְנֵר, in Abner, i. e., 2 Sam. 2, 8 — 3, 39.; Abenezra in Hos. 4, 8. בְּעֵלִי, in Eli, i. e., 1. Sam. 1 — 4.; ita quoque Jesus Marc. 12, 26. allegat επι της βατȣ, in rubo, i. e. Exod. 2 — 4. conf. Luc. 20, 37.; et Marc. 2, 26. εν Αβιαθαρ, in Abiathar, i. e., 1 Sam. 21 — 22.; atque Paulus Rom. 11, 2. εν Ελια, i. e., Reg. 17 — 19.

## §. 103. Divisio librorum V. F.

Libri V. F. dispertiti sunt a Judaeis in tres classes: in legem, הַתּוֹרָה, prophetas, הַנְּבִיאִים, et הַכְּתוּבִים seu scripta per eminentiam, quae nos quidem hagiographa compellare solemus. Haec divisio non modo a Josepho, Philone et scriptoribus Novi Foederis, sed etiam ab interprete Ecclesiastici in prologo, ut communis et notissima usurpatur, et ex illo aevo, quo canon fixus fuit, descendere videtur. Libri vero secundae et tertiae classis progressu temporis aliter dispositi sunt; nam Josephus numerat 13. prophetas,

et 4. hagiographa: Thalmudici vero, qui numerum librorum ad 24 extenderunt, quinque libros ex secunda classe in tertiam rejecerunt, quare 11 numerant hagiographa, et 8 prophetas, quod in nostris quoque bibliis observatur, in quibus porro prophetae quatuor vocantur רִאשׁוֹנִים, primi vel priores, nempe libri Josuae, Judicum, Samuelis et Regum; reliqui quatuor vero אַחֲרוֹנִים, posteriores dicuntur, nempe Jesaias, Jeremias, Ezechiel, et liber 12 prophetarum. In tertia vero classe sistuntur Psalmi, proverbia, Job, Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, Daniel, Ezras et Nehemias, atque Paralipomena. Alia classis librorum sub nomine quinque voluminum, מְגִלּוֹת, (Ruth, Esther, Canticum, Threni et Ecclesiastes) recentior est, cujus vero aetatis, ignoratur; occasionem singularis constituendae classis praebuit lectio certis festis in synagoga; quare hi libelli separato volumine descripti sunt. Ad divisiones vero inter Christianos receptas, quod adtinet, apud veteres, nunc plures, nunc pauciores classes Scripturarum V. F. occurrunt. Recentiores Theologi varias divisiones instituerunt, ex quibus satis est eam commemorare, juxta quam hi libri distribuuntur in I legales (5 libri Mosis) II historicos (Jos. Jud. Ruth Samuel 2, Reg. 2, Paralipom. 2. Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Judith, Esther, Job, Maccab. 2) III Sapientiales (Proverb, Cant. Sapient. Ecclesiastic.) IV. Propheticos (Psalmi, Jesaias etc.). Aliqui tertiam classem appellant librorum poeticorum, et doctrinalium, eisque adjungunt Job, et Psalmos, quod vulgo fieri videmus in recentioribus editionibus Latinis.

# Caput sextum.

## Fata textus Hebraici.

### §. 104. Textus a mendis nequaquam immunis.

Quamquam textus Hebraicus, ut §. 12 et 13. ostendimus, non fuit corruptus: ab omni tamen errore et mendo immunis conservari non potuit; nam librarii, etsi omnes fuissent eruditi, curiosi et attenti, evitare tamen non potuerunt errores, quorum saltem aliqui sensum fundebant, et hinc porro, quin corrigerentur, describebantur, ut tandem codices passim dissiderent, quin lector mox observare potuerit, quae lectio sit genuina, vel erronea, id est, ortae sunt lectiones variantes, quae ex collatione antiquarum versionum, locorum ab antiquis allegatorum, manuscriptorum codicum, et editionum nostrarum collectae jam sunt quam plurimae. Pleraeque quidem sunt minutiae; ast non desunt, quae sensum prorsus mutant in locis quoque majoris momenti, ut etiam a theologo negligi non possint.

Judaei, paucis qui codices contulerunt exceptis, omnem lectionis varietatem negant, atque his Protestantes, ut suum de claritate scripturae dogma tuerentur, assentiebant, donec circa dimidium seculi XVIIIvi, agente praesertim Joh. Dav. Michaelis, inciperent, magno molimine codices consulere, varietates colligere et dijudicare. Qui praecesserant defensores lectionum variantium, parum profecerant: celeberrimus est Ludovicus Capellus, cujus critica sacra nullibi locorum ad typum admissa est, et postquam a filio, qui in ecclesiam Catholicam reversus est, edita fuisset, a pluribus, inprimis a Buxtorfiis, patre et filio, accerrime impugnata fuit.

## §. 105. Fata textus usque ad versionem Alexandrinam.

De mendis, quae usque ad seculum tertium ante Christum, in textum Hebraicum irrepserunt vix quidquam constat; verendum tamen non est, ne numerus et gravitas fuerit tanta, ut substantialia textus mutarentur; nam si longiori temporis spatio, a seculo ante Christum tertio usque ad inventam typographiam, tale periculum non fuit: multo minus breviori illo temporis intervallo quod ab auctoribus usque ad seculum tertium ante Christum elapsum est, imminere potuit, quum antiquiori illa aetate libri rarius describerentur, et menda atque errores, a librariis commissi, in lingua tum vernacula, facilius observarentur, et tutius corrigerentur, atque correctio codicum eo majori cautione fieret, quo curiosius quaerebantur optime exacti codices. Haec cura corrigendi codices recenter descriptos, confirmatur consuetudine, quae nostro adhuc aevo in regionibus orientis viget, prout ab Alex. Russel von dem Zustande der Wissenschaften zu Alleppo 1798. S. 72. refertur, et ab Aryda confirmatur, nempe librarium praelegere descriptum exemplar collegio eruditorum, quorum quilibet suum ejusdem libri exemplar inspiciens attendit, an praelecta cum eo consentiant; quam primum observatur dissensus, sistit lector et oritur de lectione acris et non raro prolixa disceptatio. — Hinc apparet, cur numerus variantium graviorum lectionum non in immensum excreverit. — Quae de variationibus textus antiquioribus nota sunt, fere redeunt ad loca bis occurentia, quorum tamen dissensiones nequaquam omnes in censum variantium lectionum referri possunt; nam plures a secunda, magis limata, editione proficisci potuerunt, uti in Ps. 22. et 2 Sam. 22., vel fortasse auctor, qui locum ex alio libro mutuatus est; quaedam mutavit, ut forte Jes. 2, 2—4. coll. Mich. 4, 1—3. Vogel in Capelli critica sacra T. I.

L. I. c. 3. p. 31 — 45. In Psalmis alphabethicis desunt quaedam membra, quae in nullo codice, et partim in nulla versione reperiuntur, ut ante versionem Alexandrinam deperdita fuerint, cf. Ps. 25, 5 — 6. 17 — 18. Ps. 37, 20. 28. 145, 13 — 14.

## §. 106. Textus Hebraicus ab aevo versionis Alexandrinae usque ad annum 200 post Chr.

A seculo tertio ante Christum usque ad finem seculi secundi post Christum, in versione Alexandrina et Syriaca Pheschito, in fragmentis Aquilae, Theodot. Symmachi, Vtae, VItae et VIImae versionis, in paraphrasi Onkelosi, in locis, quae in Novo Foedere allegantur, in Josepho Flavio, et in locis, quae in Mischna Thalmudis adferuntur, varietates observantur quam plurimae, quarum quidem multae erroribus, licentiae et negligentiae interpretum debentur, non paucae tamen in nostris quoque manuscriptis Hebraeis repertae sunt: unde patet, in Hebraeis antiquis codicibus, quibus interpretes usi fuerunt, lectas fuisse. Capelli Critic. sacr. T. I. L. I. c. 1 — 3. §. 2 — 69. T. II. L. IV. c. 2 — 14. et Kenicotti Diss. super ratione text. Hebr. p. 319 — 321. Juverit autem observasse, interpretes Alexandrinos frequentius, quam interpretes secundi post Christum seculi, a textu nostro dissentire, partim quia textus tertio ante Christum seculo paucioribus, quam seculo II. post Chr., mendis laborabat; partim quia interpretes Alexandrini grammatica Hebraica minus instructi, saepius errabant; partim etiam quia majore interpretandi licentia utebantur quam interpretes IIdi post Chr. seculi, qui Judaeos vel Christianos, invicem dimicantes, diligentius edocere volebant, quid textus Hebraeus exhibeat.

## §. 107. Textus Hebraeus ab anno 200 usque ad annum 500.

Textum Hebraeum ab anno 200 usque ad annum

500, sistunt Origenes in Hexaplis, Hieronymus in versione Latina et in commentariis, Jonathan in paraphrasi Prophetarum, atque praeceptores Judaeorum in allegatis Gemarae. Varietates vix sunt plures aut graviores quam in versionibus secundi seculi. Discrepantiae autem codicum Hebraicorum seculo secundo aut saltem tertio, attentionem Judaeorum excitaverunt; quare codices conferre, et varietates colligere coeperunt, quae in genera diversa dispertitae, referuntur in Thalmude Jerosolymitano, circa annum 280. Sunt autem I. עִטּוּר סוֹפְרִים, ablatio scribarum, in 5 locis, in quibus praecipitur abjiciendum esse Uau praefixum, ut Gen. 18, 5. אַחַר, pro וְאַחַר. II. תִּיקּוּן סוֹפְרִים, correctio scribarum, in 16 vel 18. locis, in quibus e duabus lectionibus electa est, quae visa fuit vera, ut 1 Sam. 3, 13. לָהֶם illis, pro לִי mihi. III. Puncta extraordinaria super una, pluribus, vel omnibus literis vocis alicujus, in locis 15., ut Num. 21, 3. אשר, pro quo Samaritanus et versio Alexandrina habet אֵשׁ et Ps. 27, 13. לולא. Puncta haec, saltem pleraque videntur inde orta, quod librarius literam vel vocem male scriptam, delere noluit, et his punctis damnavit; alii autem sequentes librarii porro una cum punctis descripserunt; ast Judaei punctum super Uau in Gen. 19, 33. בקומה. ut supra laudatus Hieronymus refert, alia ratione explicarunt. IV. קְרִי וְלֹא כְתִיב, legendum etsi non scriptum, ubi vox omissa, quae in aliis documentis reperta fuit, suppleta est, neque tamen illata in textum, ubi sola vocis puncta exhibentur, et vox ipsa in margine scribitur; in locis 6. 10. vel 13.; ut 2 Sam. 8, 3. in textu ָ ְ, in margine vero פרת, i. e., פְּרָת. V. כְתִיב וְלֹא קְרִי scriptum et non legendum, in 6. locis, in quibus, quod in textu sine punctis vocalibus scriptum est, ommittendum praecipitur, quia in aliis codicibus inventum non fuit, ut 2 Reg. 5, 18. נא. VI. קְרִי כְתִיב lege scriptum, nempe pro eo, quod scrip-

**tum est in textu, aliud legendum praecipitur in margine scriptum**, ad quod puncta, voci textus subjecta, referenda sunt. Loca, hac nota insignia, nunc quidem numerantur 793 — 1299.; quae omnia ipsas literas seu consonantes concernunt, et pleraque exhibent lectionem variam, ut Eccl. 9, 4. יְבֻחַר, pro יְחֻבַּר, atque in multis locis לֹא, pro לוֹ, et vicissim; aliqua tamen exhibent explanationes verborum difficilium, ut 1 Sam. 5, 6. 9. 6, 4. 5. 11. 17. et Deut. 28, 27. טְחֹרִים pro עֳפָלִים, aut etiam paraphrases verborum, quae putabantur obscoena, ut 2 Reg. 18, 17. Jes. 36, 12. מֵי רַגְלֵיהֶם, a q u a s p e d u m s u o r u m, pro שֵׁינֵיהֶם u r i n a m s u a m; quaepiam complectuntur alias minutias. C a p e l l. C r i t. S a c r. T. I. p. 176 — 422. W a l t o n i P r o l e g. VIII. §. 20 — 23. K e n n i c o t t i Diss. II. s u p e r r a t i o n e t e x t. H e b r. p. 275 s e q q, VII. פִּסְקָא aut פִּרְנְמָה, spatium in medio versu vacuum, plerumque circello insignitum, indicat, aliquid deesse, vel, ut alii opinantur, sensum hic finiri; primum convenit loco Gen. 4, 8.; alterum autem quibusdam aliis locis, quae omnia sunt numero 18; ast ante Masoram, quae recentior est cognita non fuerunt. C a p e l l. C r i t. S a c r. T. I. p. 460. VIII. In Masora annotatae quoque sunt conjecturae eruditorum, quae סְבִירִים dicuntur, ut Exod. 2, 19. מִצְרַיְמָה, pro מִצְרַיִם.

## §. 108. M a s o r a.

Hae modo enumeratae, aliaeque in Thalmude occurrentes annotationes de literis minusculis, majusculis, inversis et suspensis, basim constituunt Masorae, quae volumini separato inscibebatur, et progressu temporis augebatur. Hoc opus non coepit ante seculum sextum, et auctores praecipuos habuit praeceptores Tiberiadenses, qui sequentibus quoque seculis collegerunt observationes de numero literarum, verborum et versuum cujusvis libri; de media cujusvis libri lite-

ra, voce et versu; de locis, in quibus idem verbum cum vel sine matre lectionis scribitur; de versibus, qui omnes alphabethi literas, vel certum literarum numerum complectuntur; de verbis, in quorum fine litera mediana, et in quorum medio litera finalis scripta est; de numero literarum finalium in omnibus libris, etc. Haec omnia in unum volumen conscripta, quae continenter augebantur, dicuntur מְסוֹרָה, מַסוֹרָה, vel מַסוֹרֶת, et auctores inde audiunt Masorethae, qui hac micrologia textum contra mutationes munire conabantur. Waltoni Proleg. VIII. §. 1—12. Capelli Crit. S. T. II. C. 12. Buxtorfii Tiberias 1656. Basileae. — Progressu temporis hoc opus, sine ullo ordine congestum, primitus multis scripturae compendiis, et tandem integrum, ad marginem codicum literis minusculis perscriptum fuit, et illa, quae margo non capieb t, in finem cujusque libri conjecta sunt; unde ortum est discrimen Masorae parvae, magnae et finalis. Waltoni Proleg. VII. §. 9 et 11. Confusio hujus faraginis, impedimento fuit, ne omnes aliae lectiones, quarum profecto non paucae genuinae sunt, e codicibus eliminarentur; nam cum librarii integram Masoram neque memoria tenere, neque etiam, deficiente ordine, evolvere possent: fideliter scripserunt, quae in codicibus inveniebant, atque nonnisi quae ex Masora memoria tenebant, in codices intulerunt; unde liquet, Masoram integritati textus plus nocuisse quam profuisse, etsi multas lectiones, et inter has etiam quaspiam genuinas, quae alias periissent, conservavit. Walton Prol. VIII. §. 14—17. R. Simon Histor. Crit. du V. T. L. I. ch. 24 — 26. Kennicott. Diss. II. super rat. text. Hebr. 279.

## §. 109. Lectiones orientales et occidentales.

Quum a seculo sexto usque ad decimum, quo aevo Masora condita est, celebres essent Judaeorum scho-

lae Babylone seu Seleuciae in oriente, et Tiberiade in occidente, in quibus sacri libri frequentius describebantur: ortae sunt in his diversis plagis duae codicum familiae; quae demum seculo VIII. vel IX. collatae sunt. Discrepantiae, quae observatae sunt, vocantur מַחֲלִיפוֹת הַקְּרִיאָה varietates lectionis, et nobis veniunt nomine lectionum orientalium et occidentalium. Numerantur jam 210, jam 216, jam 220, omnes in consonantibus, excepto puncto Mapphik in עָשָׂה Amos. 3, 6., et in עֵצָה Jerem. 6, 6. Nostrae editiones a lectionibus orientalibus in 55 locis discedunt. Walton Prol. VIII. §. 27—28. Capellus Crit. S. T. I. L. III. c, 17. — Textus, ut videtur, orientalis, hujus aevi sistitur quoque in versione Saadiae Haggaon, et ex aliqua parte etiam in Thargumim recentioribus, in quibus aliunde quidem non magni aestimandis, plures tamen bonae lectiones conservatae sunt, quae eo majoris sunt momenti, si cum aliis antiquioribus versionibus contra Masoram et nostrum textum masorethicum faciunt.

## §. 110. Recensio Aharonis ben Ascher et Jacobi ben Naphtali.

Primo seculi XImi dimidio Aharon ben Ascher Tiberiade, et Jacob ben Naphtali Babylone seu Seleuciae, codices contulerunt. Dissensiones observatae ultra 864, concernunt puncta vocalia et accentus, unico excepto loco Cant. 8, 6., in quo Jacob ben Naphtali praecipit, legendum esse שַׁלְהֶבֶת יָה, pro quo Aharon ben Ascher habet שַׁלְהֶבֶתְיָה. Hae varietates non magni quidem sunt momenti, docent tamen, hoc aevo systema punctationis jam fuisse perfectum, et hos duumviros huic operi coronidem imposuisse. Quum vero codices, ad hanc normam punctati, facilius legerentur: vestustiores prorsus non punctati, vel non ad

hanc normam exacti, parvi fiebant et exitio relicti sunt. Haec praecipua videtur esse caussa, cur nullus supersit codex Hebraicus, qui argumentis indubiis seculo undecimo antiquior statui posset. — Nostrae editiones, paucis locis exceptis, sequuntur recensionem Aharonis ben Ascher.

## §. 111. Textus ab anno 1040 usque ad annum 1477.

Judaei eruditi, qui dimidiante seculo undecimo ex oriente commigrarunt in Europam, attulerunt codices punctatos, et codices seculo XII. et XIII. majori cum cura describebant et corrigebant, quam seculis sequentibus factum est. Verum I. Grammatica Hebraica, a Saadia Haggaon primo dimidio seculi decimi composita atque deinde magis exculta, facile inducere potuit librarios ejusdem gnaros, ut anomalias textus corrigerent; id tamen perraro ausos fuisse, testantur tot anomaliae, quae restant. Quum vero suspicio oriri non possit, lectionem, grammaticae consonantem, mutatam fuisse in anomalam, valet regula, lectionem anomalam, ceteris paribus, versimiliorem esse ea, quae grammaticae consonat. Haec regula sana quidem, nequaquam tamen nimium urgenda est; nam lectio anomala ex errore quoque calami oriri potuit. II. Praeceptores Judaeorum horum temporum non raro allegant loca, tum aliter lecta, et memorant nonnunquam etiam lectionis varietates; unde constat, codices dissensisse. Provocant quoque ad codices, ad quos alii, recenter scripti, corrigebantur. Hi quidem codices normales in diversis regionibus erant diversi; ast omnes exhibebant quoque spurias quasdam lectiones, quae per correctores in omnes alios ejusdem regionis codices propagabantur. Quare omnes ejusdem regionis codices unam eandem familiam constituunt, et tanquam testes colludentes in cri-

tica nonnisi unico suffragio gaudent. Quum porro ex una alterave regione multo plures codices supersint, quam ex aliis, non valet regula generalis, lectionem plurium codicum semper esse verisimiliorem. III. Masora quidem his seculis a non paucis Judaeis parvi pendebatur, multis tamen erat norma infallibilis, neque dubitari potest, illos codices normales, ad quos ceteri corrigi solebant, ad Masoram, quantum fieri poterat, fuisse exactos, et librarios plerosque illis praeceptis Masorae, quae noverant, obedivisse quare Masora cum codicibus consentientibus unicum constituit testem, et hinc lectio amasorethica verisimilior est quam masorethica. IV. Lectiones, Christianis minus faventes, jam temporibus antiquioribus propagatae sunt, et quum nunc in codicibus illis normalibus existerent, in omnes fere codices transierunt, ut שילה Gen. 49, 10., quae lectio ante seculum saltem octavum prorsus ignorabatur. V, Judaeos hoc aevo textum hinc inde ex paraphrasibus quoque Chaldaicis, quibus assueti erant, correxisse, non est verisimile; nam textum originalem paraphrasibus longe praeferebant; videntur potius paraphrases nonnunquam ad textum Hebraeum refinxisse; quare testimonia paraphrasium si fieri posset, ex antiquissimis codicibus depromenda forent.

## §. 112. Praecipuae editiones textus Hebraei.

Tales erant codices, ex quibus primae editiones typis excusae sunt. Editores primi laudant quidem antiquitatem et bonitatem codicum, quibus usi sunt, sed vix intelligebant, quinam sint codices antiqui et boni, atque non modo versiones antiquas, sed omnes etiam alios codices negligebant. Quare non potuerunt non omnes errores unius codicis, quo utebantur, in suam editionem transferre, ideoque primae editiones nequaquam quidem optimae, magni tamen

momenti sunt, quia supplent vices codicum ex quibus desumtae sunt. Editiones, quae illas primas secutae sunt, perraro ad codices manuscriptos emendatae, saepius ad grammaticam et Masoram accommodatae sunt. Quare mirandum non est, D. Brunsium deprehendisse primas editiones codicibus accuratius respondere quam subsequentes. Kenicott Diss. General. ed. Bruns. p. 123. Editiones primae sunt sequentes: I. 1477. in 4. maj. Psalterium cum Comment. Kimchi; typus erroribus scatet, et matres lectionis pro arbitrio positae et omissae sunt. II. 1482. in Fol. Bononiae Pentateuchus cum paraphrasi Onkelosi, typus est accuratus. III. 1485 — 86. in Fol. Soncini Prophetae priores et posteriores; typus est accuratus. IV. 1487. in Fol. min. Neapoli Psalterium cum comment. Kimchi et reliqua hagiographa cum commentariis; typus minus accuratus est. — 1488. in Fol. min. Soncini Biblia Hebraica; Pentateuchus ad editionem Bononiensem 1482. expressus, Bibliis van der Hooghtianis consonat; prophetae priores et posteriores ad editionem Soncinensem 1485 — 86., atque Hagiographa ad editionem Neapolitanam 1487. exacta sunt. Ex hac editione manavit 1494. editio Brixiensis, ex qua, vel ex praecedente Soncinensi quam plurimae sequentes editiones impressae sunt. 1502 — 1517. in Fol. 6. T. Biblia polyglotta Complutensia, quae, praeter versionem Alexandrinam, Latinam Vulgatam, et Thargum Onkelosi, textum Hebraeum ad codices expressum cum punctis vocalibus sed sine accentibus exhibent.

Duae editiones Bombergianae cum Thargumim et commentariis Rabbinorum, Venetiis; primam 1518. curavit Felix Pratensis Judaeo Christianus; alteram 1525 — 26. curavit Jacob ben Chajjim, quae 1547 — 49. accuratius recusa fuit, plurium sequentium editionum mater. 1569 — 72. in Fol. 8. T. Biblia

polyglotta Antverpiensia, etiam regia dicta, quae complectuntur textum Hebraicum ad editionem Complutensem, paucis mutatis, expressum, Thargum Onkelosi, Jonathanis in Prophetas, Thargum Jobi et quinque Megilloth ex secunda editione Bombergiana, atque Alexandrinam et Vulgatam Latinam versionem, 1629—45. in Fol. 9 T. Biblia polyglotta Parisiensia, quae praeter ea, quae in Antverpiensibus legimus, exhibent etiam versionem Syriacam Pheschito, versionem Arabicam, textum et versionem Samaritanam. 1657. in Fol. 6. T. Biblia polyglotta Londinensia, quae praeter ea, quae in Parisiensibus habentur, complectuntur versionem Aethiopicam Psalterii et Cantici, atque Persicam versionem Pentateuchi. Ad haec polyglotta pertinet Heptaglotton Castelli 2 T. in Fol.

Tres itaque sunt fundamentales textus Hebraei editiones, nempe I. Soncinensis 1488., repetita in Brixiensi 1494.; II. Complutensis 1517., et III. Bombergiana secunda 1526—27. Ex his omnes editiones reliquae immediate vel mediate manarunt; in perpaucis quaepiam ex codicibus manuscriptis emendata sunt quarum celeberrima est editio Jos. Athiae 1661. Amstelodami. Editio vero van der Hoogtii 1705., quibusdam lectionibus variantibus instructa, per collationem Kennicottianam celebrior facta est. Quamquam autem omnes editiones ex illis tribus manarunt, et paucae complectuntur emendationes quaspiam ex codicibus manuscriptis desumtas; in multis tamen disentiunt, et quaspiam etiam exhibent lectiones, quae in nullo manuscripto codice repertae sunt.

## §. 113. Origo textus Samaritani.

Pentateuchus, quem Samaritani propriis characteribus conservarunt, sine dubio ex illa aetate descendit, qua (975 ante Chr.) decem tribus se a regno Juda

separarunt; nam quum perpetua deinceps ferveret inter duo regna aemulatio, decem tribus, aut saltem sacerdotes vitulorum aureorum, codices ex regno Juda non suscipiebant, sed ex propriis codicibus describebant, et ad posteros propagabant. Deportatis, 740 et 722 ante Chr., decem tribubus, immissi coloni cum reliquiis Israelitarum commixti, et Samaritani dicti, ob infestationem leonum susceperunt missum a rege Assyriae sacerdotem Israelitam; qui in Bethel, ubi pridem vitulus aureus colebatur, sedem fixit, adeoque sacerdos vituli erat, quare codicem suum Israeliticum attulit; e regno enim Juda mutuari, pro antiquo suo in illud odio, profecto nefas duxit. Ex hoc codice alia exemplaria inter Samaritanos propagata, usque ad nostra tempora conservata sunt, quin unquam ad Judaicos codices refingerentur, quod mutuum illud inter Samaritanos et Judaeos odium adeo non permisit, ut nequidem transfugae Judaei illas, quas deprehendimus a Judaicis codicibus discrepantias, tollere ausi fuerint.

## §. 114. Fata textus Samaritani.

Textus Samaritanus nec ad Masoram mutatus, neque, quum Samaritani pauciores essent, tam frequenter descriptus est; quare paucioribus quidem mendis infectus fuisse videtur; ast reapse permulta alterius generis vitia contraxit, quibus caret textus Judaicus. Nam I. literae gutturales, quas Samaritani non pronunciant, frequenter permutatae esse deprehenduntur; quare varietates inde exsurgentes, nequidem in censum lectionum variantium venire possunt, sed manifestis erroribus adnumerandae sunt. II. Matres lectionis sunt frequentiores, et juxta certas regulas positae, quum textus Judaicus antiquam libertatem orthographiae constantius retinuerit. III. Plures occurunt lectiones, quae ex praejudicatis quibusdam opinionibus inductae sunt, uti aetas patriarcharum Genes. 5 et 11. progredientibus

generationibus, gradatim aequali et constanti proportione, deficiens, ubi Hieronymus Quaest. in Gen. 5, 25 — 28. textum Samariticum nondum ita dispositum reperit. IV. Quaepiam ex conjectura, aut, ut difficultas solveretur, mutata esse videntur, ut Gen. 3, 2. הַכָּרָשׁ mendax, pro הַנָּחָשׁ serpens; Gen. 3, 53. יִשְׁפֹּט judicet, pro יִשְׁפְּטוּ judicent. V. Plura alia intrusa esse videntur, quae in textu Judaico desunt, ut Exod. 12, 40., et in locis, quae Kennicottus in textu Judaico defectu laborare existimavit, nempe Exod. 6, 9. 7, 18. 8, 4—5. 23. 9, 5. 19. 10, 6. 11, 4. 18, 4. 20, 17. 19. 22.

# Caput septimum.

## De arte critica.

### §. 115. Ars critica necessaria.

Cum editiones in non paucis locis a se invicem dissentiant, et plures etiam spurias lectiones complectantur, ac aliae permultae exstent lectiones: codicibus emendandis, ut scribit Augustinus L. II. de doctr. Christ., primitus debet invigilare solertia eorum, qui scripturas divinas nosse desiderant, i. e., requiritur in interprete et theologo ars critica, qua variae lectiones rite dijudicentur, spuriae dignoscantur, et genuinae aut saltem verisimillimae restituantur. Negotium hoc, in quo de facto, quid auctor scripserit quaeritur, simile est judicio, in quo criticus pro tribunali sedet, et textus mutatae lectionis accusatur. Testes, quam lectionem auctor scripserit, sunt codices manuscripti, editiones antiquae, veteres versiones, et alii libri vetusti, quorum auctores textus ex

codicibus allegarunt. Quum vero testes hi invicem pugnent, et ex testimoniis eorum persaepe veritas erui nequeat: in subsidium vocantur, prout in judiciis fieri consuevit, argumenta, ex visceribus caussae petita, seu interna, nempe facilitas vel difficultas recentioris originis, defectus omnis vel saltem congruentis sensus, convenientia vel inconvenientia lectionis cum serie orationis et scopo, probabilitas vel improbabilitas, auctorem hoc scripsisse, atque loca parallela consonantia vel repugnantia. Leges denique, ad quas sententiam pronunciat criticus, sunt regulae criticae.

## §. 116. Aetas codicum.

Ut codices, testes lectionum, rite aestimentur, *aetas*, et *bonitas* seu sinceritas eorum examinanda est, seu quinam prae ceteris veram lectionem exhibere *possint*, et fideliter edicere *velint*. Primum praecipue ab aetate dependet; antiquior enim codex veritatem facilius referre *potest*, quia caret mendis, quae subsequenti aevo irrepserunt, nisi recentior codex forte immediate ex multo antiquiori descriptus sit. Aetas codicibus permultis subscripta est, ubi anni plerumque a creatione mundi computantur, omissis millibus, quod per לפ׳ ק׳ i. e., לפרט קטן, *juxta computum minorem*, indicatur. Chronologia autem Judaeorum deficit 240 vel 242 annis, qui proinde praeter 5000 annorum addendi sunt; demum a summa subtrahendi anni 4000, ut annus nostrae aerae obtineatur. In paucis codicibus numerantur anni juxta *aeram contractuum*, לשטרות, quae 311 annis ante Chr. incipit. In aliquibus codicibus subscriptio mendax est. — Difficilius definitur aetas codicum, qui subscriptione carent. Nam indicia, ex quibus conjectura de aetate capienda est, ambigua sunt, velut *atramentum evanidum*, *et recentius illitum*; *flavus membranae solidae, mollis et detritae color*; *defectus*

punctorum vocalium, Masorae et K'ri k'tib; diversitas atramenti in consonantibus et vocalibus; forma literarum etc.; haec enim omnia etiam aliunde commode repeti possunt. Kennicottus vero Diss. Gen. p. 330—334., et de Rossi Var. Lection. V. T. T. I. Prol. §. 13. contendunt, haec indicia, si omnia adsint, admodum remotam codicis aetatem comprobare. Conf. Schnurrer de Codd. Hebr. aetate difficulter determin. §. 10—16. Ceterum de Rossi codices seculo XIImo antiquiores dicit antiquissimos; codices seculi XII et XIII. usque ad dimidium seculi XIVti antiquos; et reliquos usque ad finem seculi XV. recentiores.

## §. 117. Bonitas codicum.

Quamquam ex pluribus codicis cujuspiam erroribus calami et mendis manifestis, legitime colligitur mala fides testis, veritatem non accurate edicentis: nequaquam tamen ex paucitate apertorum calami errorum recte concluditur, codicem esse testem, qui veritatem sincere referat; argumento enim id solummodo est, librarium hujus codicis fuisse curiosum et sollicitum, nequaquam autem codicem etiam, ex quo descripsit, et omnes ejusdem antecessores aequali cura descriptos fuisse. Quare ad examinandam codicis bonitatem, singulares ejusdem lectiones cum antiquissimis testibus, inprimis cum antiquis versionibus, conferendae sunt, et si his consentire deprehenduntur, recte concluditur, codicem hunc et omnes ejus antecessores solerter fuisse descriptos, et antiquas lectiones tenaciter conservasse. — Negligendum autem non est, quod supra §. 111. II. diximus codices cujusvis regionis, jam inde a seculo XI. in qualibet fere provincia ad unum aliquem normalem codicem fuisse correctos, et hinc in lectionibus singularibus convenire, adeoque ad unam eandemque familiam vel recensionem pertinere, et uni-

co in critica gaudere suffragio. Familiae vero codicum, non modo lectionibus, sed externo quoque habitu distinctae, sunt tres vel quatuor: I. Hispanici, qui ad codicem Hillelianum corrigebantur, accuratius sequuntur Masoram; quare a Judaeis permagni, a criticis vero parvi aestimantur, characteres habent perfecte quadratos, simplices et elegantes, ferme quales sunt in editione Plantini et Stephani; atramentum est pallidum; paginae raro sunt in tres columnas divisae; Psalmi per hemistichia scripti, et paraphrases Chaldaicae non interlineares, sed in columnis separatis, vel literis minusculis in margine exaratae sunt. II. Orientales Hispanicis similes sunt, ut utrique in eandem classem conjici possint. III. Germanici Masoram parum curant et hinc a Judaeis parvi, a criticis autem magni aestimantur; literas habent rudes, rotundas et informes, quales fere sunt in editione Münsteri Basileae 1536.; literae initiales sunt majusculae et ornatae, matres lectionis frequentiores, atramentum nigerrimum, et paraphrases Chaldaicae interlineares. IV. Italici inter Hispanicos et Germanicos medium tenent locum, tam quod accurationem Masorae, quam quod formam characterum concernit. Exempla characterum Hispanicorum, Germanicorum et Italicorum aeri incisa exhibuit Brunsius in Kennicotti Diss. Gen. Brunovici 1783.; ast forma in codicibus haudquaquam perpetuo est prorsus eadem, sed persaepe adeo varia, ut judicium sit anceps.

## §. 118. Auctoritas antiquarum editionum.

Editiones primae et fundamentales ejusdem sunt auctoritatis, cujus erant codices manuscripti, ex quibus manarunt. Reliquae editiones fere omnes vel ex

Soncinensi 1488. aut Brixiensi 1494., vel ex polyglottis Complutensibus 1517., vel denique ex editione Bombergiana 1525 — 26., aut ex Bombergiana recusa 1547 — 49. manarunt, atque ferme omnes masorethicae sunt, paucis exceptis amasorethicis, in quibus quaepiam ex codicibus emendata fuerunt; his de Rossi accenset omnes, quae Bombergianam secundam 1525 — 26. praecesserunt, posteriores vero omnes dicit esse masorethicas. Amasorethicae sunt majoris momenti quam masorethicae.

## §. 117. Auctoritas antiquarum versionum.

A seculo undecimo retro usque ad scriptores sacros, non restant codices lectionum testes, adsunt autem versiones, quarum auctores, ut ferebat illa aetas, antiquis et accuratis codicibus usi sunt, et quod in ipsis legebant, in versionibus exprimebant. Quare antiquorum interpretum de lectionibus testimonium est tanti, quanti est testimonium illorum antiquorum codicum, quibus usi sunt, si modo ex interpretatione certo perspici potest, quid interpres in codice suo legerit; si vero id non certo perspicitur, aut prorsus non potest conjici: auctoritas imminuitur, aut prorsus evanescit. Id fere accidit: I. Si quaestio est de lectionibus, quae sensum non mutant. II. Si lectiones controversae sunt minutiae, quas interpres, etsi in codice legerit, in versione negligere potuit; quod si autem eas expressit, eas quoque legisse testatur. III. Potuit vero interpres non modo voculam levis momenti, sed etiam graviorem vocem aut dictionem ad explanationem quoque addere, ut ad dicendum testimonium admitti vix possit, nisi haec vox vel dictio in codice manuscripto, nequaquam de mutatione suspecto, inventa fuerit, aut alia ratio urgeat, velut si versiones in Psalmis alphabethicis exhibent membrum, quod ex textu Hebraeo excidit, ut Ps. 37, 28. 145, 14. IV. Si interpres quid-

piam mutavit, ut sermonem genio suae linguae accommodaret, vel rem ipsam planius explicaret, a dicendo testimonio arcendus est. V. Si vox obscura aut difficilis, quam interpres fortasse non intellexit, omissa, aut ex conjectura traducta est: concludi nequit, in codice illius non extitisse, vel aliam scriptam fuisse. VI. Si interpres circumscribit, aut sensum duntaxat exprimit, cogitandum non est, eum in codice suo alia verba legisse, atque saepe nec conjici facile potest, quae verba legerit; quare testis mutus est. Hinc versiones, quae verbum e verbo sistunt, critico majorem opem ferunt, quam quae sensum solummodo resonant.

Versiones quidem ipsae mendis et lectionum varietatibus minime carent, hae tamen non eaedem cum variationibus Hebraicis, nec iisdem locis occurrunt. Versiones mediatae, quarum auctores codices Hebraeos nec inspexerunt, neque intellexerunt, testimonium de lectionibus duntaxat illius versionis dicunt, ex qua haustae sunt. Quodsi versio immediata in locis quibusdam cum alia versione cognata esse videtur, testimonium ejus de lectione horum locorum suspectum est. Si vero versio antiqua in locis quibusdam recentiori aevo ad textum Hebraeum reficta fuit, testimonium ejus in hujusmodi locis recentius est, et eandem cum reliquo textu gravitatem habere nequit. — Archaeologia Josephi Flavii maxima ex parte versionibus mediatis accensenda est; hausta enim fuit ex versione Alexandrina; ast in locis, in quibus a versione Alexandrina singulari modo recedit: Josephus codices Hebraeos inspexit, et testimonium pro lectione textus Hebraei gravissimum dicit.

## §. 120. Allegata in Novo Foedere.

Quae in Novo Foedere ex Veteri adducta leguntur loca, pleraque ex versione Alexandrina depromta sunt, atque de lectionibus hujus versionis testimonium dicunt.

Quae vero ex textu Hebraico hausta sunt, testantur de lectione codicum Hebraicorum illius aevi. Nonnunquam locus quidem ex versione Alexandrina allegatur; ast quum ille, qui loquens inducitur, non Graeca, sed Aramaea lingua locutus fuerit, et vel textum ipsum Hebraicum, vel in dialectum Aramaeam conversum, produxerit: liquet, codices quoque Hebraeos eo tempore eandem, quam profert, exhibuisse lectionem, ut Act. Ap. 15, 19. collato Amos 9, 12. Ceterum observandum est, scriptores Novi Foederis solum saepe sensum loci, neglectis verbis, adducere, aut plura loca in unam seriem orationis conjungere, uti Rom. 3, 11—18.; unde concludendum non est, eos in codicibus alia legisse. Memoratu digna est hujusmodi allegatio Matth. 27, 9. ex Zacharia 11, 12—13.

## §. 121. Loca in Thalmude allegata.

Loca, quae in Thalmude allegantur, depromta sunt ex codicibus seculi II. usque ad V., aut paulo antiquioribus, et testimonium illis aequivalet, atque eo gravius est, si cum versionibus contra textum masorethicum facit; uti si allegatur ex Ps. 16, 10. חֲסִידְךָ, pro חֲסִידֶיךָ, et ex Gen. 49. 10. שִׁלֹה, pro שִׁילֹה. Ast nequaquam omnes Thalmudicorum dissensiones a textu masorethico, sunt lectionis varietates; nam hi scriptores non raro sensum neglectis verbis adducunt, aut textum mutilant, vel verba quaepiam data opera omittunt vel plura loca in unum conflant, saepe quoque ad locum quemdam duntaxat alludunt, aut, ut paronomasiam extorqueant, aliquid in textu mutant, et ita legere jubent, etsi in codicibus scriptum non erat; quare in usu testimoniorum Thalmudicorum cautum esse oportet.

## §. 122. Masorae testimonium.

Masora quidem plures bonas lectiones e textu ex-

trusit, aut in paucis codicibus reliquit: multas tamen quoque lectiones bonas conservavit, quae e codicibus exciderunt, aut in perpaucis conservatae sunt, ut כָּאֲרִי Ps. 22. 17., in Masora Num. 24, 9. conservatum. Testimonium ejus aequale est codicibus, ex quibus lectiones desumtae sunt, id vero est, codicibus seculorum illorum a VI. usque ad X. Ceterum observandum est, Masoram, si cum Thalmudicis et cum codicibus consentit, cum iisdem unico gaudere suffragio; si vero dissentit, singulare testimonium dicere. — Annotationes illae קְרִי dictae (conf. §. 107.) jam in Thalmude Jerosolymitano memoratae, et in Masora repetitae, pleraeque sunt variae lectiones, quarum alteram, quae notata est in margine, praeferendam esse praecipitur; ast praeceptum non obligat criticum, qui codices, quos illi Judaei nequidem nominarunt, dijudicare non potest; sed ex testimonio versionum et codicum vel ex argumentis internis sententiam ferre debet.

## §. 123. Allegata Rabbinorum.

Judaeorum praeceptores, qui a seculo praesertim XI. usque ad XV. floruerunt, loca Bibliorum, quae adducunt, ex codicibus sui aevi aut paulo antiquioribus depromserunt; et allegatae ab illis lectiones eandem cum codicibus illorum temporum habent auctoritatem. Verum quum textus hoc aevo jam in formam masorethicam redactus esset, allegata quoque eorum fere textui nostro consentiunt; aliquae tamen graviores differentiae observatae sunt quae eo majoris sunt momenti, quod Masorae et Thargumim repugnant, et antiquissimis versionibus consentiunt, velut Gen. 49, 10. שלה et שלו pro שִׁילֹה. — In allegatis Rabbinorum eadem cautela opus est, quam in Thalmudicis commendavimus, nempe non omnem a textu recepto dissensum variis lectionibus accensendum esse; nam saepe neglectis verbis sensum adducunt, aut

ad locum duntaxat alludunt, aut e labili saepe memoria verba textus minus accurate referunt, atque non modo quaepiam verba omittunt, aut cum aliis permutant, sed alia quoque addunt, ex quibus non sunt exsculpendae lectionum varietates. Quare testimonium eorum eo gravius est, quo minus dubitari potest, eos e codice evoluto descripsisse verba textus, velut in commentariis, et inprimis si ex ipsa explanatione apparet, lectionem fuisse hanc et non aliam, ut ne suspicioni quidem sit locus, verba a librariis vel ab editoribus fuisse mutata; sic in Bereschith Rabba, Tanchuma et Jarchi Gen. 49, 10. שלו non modo scribitur, sed etiam explicatur. — Qui sunt e Rabbinis critici, velut R. Meir seu Todrozius sec. XIII., R. Menachem de Lonzano et R. Salomo Norzi sec. XVI. passim ex antiquissimis codicibus, qui vero seculum XI. vix superant, proferunt lectiones varias, quae contemnendae non sunt, etsi pleraeque exigui sint momenti.

## §. 124. Allegata Patrum Ecclesiae.

Scriptores ecclesiastici loca scripturae, quae adducunt, ex versione suae ecclesiae depromserunt, adeoque de lectionibus hujus duntaxat versionis testantur. Origenes et Hieronymus sunt soli, quos constat usos esse codicibus Hebraicis, et eorum testimonia codicibus illius aetatis aequalia sunt. Si qui alii ecclesiae Patres ad textum Hebraicum provocant, sua fere ex Origine et Hieronymo hauserunt.

## §. 125. Collectiones lectionum variantium.

Brevior est vita hominis, quam ut, praeter permulta alia aeque praestanda, omnia illa monumenta, sine quibus esse ars critica nequit, perscrutari possit; verum quum plures progrediente tempore eruditi di-

versa documenta excuterent, ortae tandem sunt locupletiores lectionum variantium collectiones, quas criticus in rem suam vertere debet. — Initia quaepiam jam facta erant per antiquos illos Judaeos, quibus ablationes et correctiones scribarum, et reliquas supra §. 107. expositas annotationes debemus. Recentiori aevo Todrozius, Menachem et Norzi paulo ampliores apparatus collegerunt. — Ex Christianis primum Münsterus editioni 1536. quaspiam lectiones varias adjecit; nec multo plures inveniuntur in editione van der Hoogti 1705.; in editione vero Joh. Henr. Michaelis 1720. variationes quinque codicum et novemdecim editionum exhibentur. — Haec erant tenuia initia, quum 1753. Presbyter oratorii Parisiensis Houbigantius editionem criticam V. F. ad textum van der Hoogti curaret, sed permulta corrigeret, quo ausu eruditi excitati sunt ad indolem textus Hebraici curiosius examinandam. Hinc prodierunt plures collationes codicum Hebraicorum, donec Kenicottus per totam Europam codices conferri curaret, et demum variationes 615 codicum, 52 editionum et utriusque Thalmudis collectas, editioni suae juxta textum van der Hoogtianum, adjiceret. Prodiit editio 2 T. in Fol. 1776 — 1780. Oxonii. Kennicott Dissert. Gen. edita a Brunsio p. 279 — 329. — Ex hoc apparatu graviora excerpsit de Rossi, et collatis aliis codicibus 731, et editionibus 300, consultis quoque passim antiquis versionibus et libris etiam manuscriptis Rabbinorum, omnes observatas varietates quatuor voluminibus in 4to 1784 — 1788. Parmae edidit, quibus addidit 1798. supplementa seu scholia critica. Dolendum, de Rossi, ut ipse Vol. IV. Diss. praelim. p. 19. col. 2. fatetur, monumenta sua non integra contulisse, sed fere in iis tantum locis inspexisse, in quibus Kennicottus et alii quipiam critici varietatem annotaverant.

Grandes quidem sunt hi apparatus, plura tamen ad perfectionem criticae V. F. desiderantur; nam codices nec accurate

descripti, neque in familias redacti, et plurimi non integri collati, sed in quibusdam duntaxat locis inspecti sunt, ad quos referendi fere omnes codices de Rossi; Masora nondum integra excerpta est, versiones pleraeque nec critici opem repererunt, neque integrae collatae sunt; haec pluraque alia posteris praestanda relinquuntur.

## §. 126. De argumentis criticis internis.

Argumenta quidem lectionum praecipua sunt externa seu testes, de quibus hucusque diximus; quum vero hi plerumque acriter inter se pugnent, ut ex eorum auctoritate sententia ferri non possit: in subsidium vocanda sunt argumenta interna, quibus lis dirimatur. Horum praecipua sunt; quae petuntur ex rationibus seu modis, quibus lectiones spuriae oriuntur; nam quo difficilius lectio ex alia oriri potuit, eo probabilius ab ipso scriptore descendit; et quo facilius ex alia lectione oriri potuit, eo magis prodit recentiorem originem et falsitatem suam. Ut argumenta haec rite deducantur, opus est, ab experientia diligenter abstrahere rationes, quibus errores nascuntur. Satis constat, lectiones spurias oriri duplici ex fonte, nempe ex erroribus calami, et ex judicio erroneo librarii. — Errores calami rursus quadruplicis sunt generis, vel enim quidpiam omittitur, vel permutatur. Permutationes porro oriuntur vel ex errore oculorum, vel aurium si dictatur, vel memoriae. — Ex erroneo judicio loca vel ex aliis locis parallelis mutantur, vel ex compendiis scribendi male perceptis pervertuntur, vel notae marginales in seriem orationis inferuntur, vel denique rectum, quod erroneum putatur, male corrigitur. De omnibus his jam singillatim agendum.

## §. 127. Errores, qui omissione committuntur.

Librarii facile omittunt literam, syllabam, vocem, imo sententiam quoque et periodum, inprimis si adsint ὁμοιοτέλευτα, i. e., si initium aut finis sequentis sententiae aut periodi idem vel similis sit. Sic; Thren. 2, 4. כָּל pro כָּל נַעַר, quod Thargum asservavit; integrae sen-tententiae sunt omissae in Ps. 25, 5. 145, 13.; omissio ob similiter desinentia observatur Ps. 37, 28., ubi ob simile לְעוֹלָם נִשְׁמָרוּ, omissum est עַוָּלִים נִשְׁמָדוּ, quod versio Alexandrina asservavit. Omissiones in codicibus sunt adeo frequentes, ut pleraeque meris erroribus calami adnumerandae sint, nisi in diligentissime exaratis codicibus occurrant. Hinc permulti testes, pro omissione edicentes, nihil evincunt, et pauci testes sufficiunt ad assumendum illud, quod omissum est, imo et unicus testis veritatem ejus, quod omissum est, evincere potest, si alia gravia argumenta interna accedunt.

## §. 128. Errores ex additione orti.

Haec tamen regula nimium urgenda non est, quia librarii facile quoque addunt literam, syllabam, aut verbum; ast integram sententiam errore calami non facile quis adjecerit. Potest additamentum etiam inde descendere, quod librarius literam, syllabam aut verbum, subtili linea damnatum, descripserit. Nonnunquam judicium ambiguum est, an omissio, vel adjectio, sit verisimilior, nisi alia succurrant argumenta. Matres lectionis, quae interdum magni sunt momenti, plerumque pro arbitrio, et interdum quoque loco injusto scribere consueverunt librarii, unde ortum est Gen. 49, 10. שילה pro שלה Hinc repetenda est quoque orthographia Arabica nonnunquam obvia, uti קָאם pro קָם Hos. 10, 14. Si vero in libro quopiam, uti in Jobo, haec orthographia frequentior est, dubio procul auc-

toris manum prodit; percipi enim nequit, cur librarii in hoc inprimis libro saepius exoticam orthographiam secuti essent. Dubitandum autem non est, oscitantes librarios saepe addidisse articulum ה, ה paragogicum, particulam אֵת, et voculam כל. Vide Jes. 29, 11. Mich. 3, 2. 1. Sam. 26, 22.

## §. 129. Transpositiones.

Proclives quoque sunt librarii, ut literas, verba, vel sententias transponant; sic Eccl. 9, 4. legitur יבחר, pro יְחֻבַּר, quod Alexandrinus et Thargum expressit, et series orationis postulat; 2 Sam. 21, 19. post יַעְרֵי legitur אֹרְגִים, quod ex linea inferiori huc translatum est. Transpositiones versuum habentur Thren. 2. 3. et 4. c. in litera Ajin et Phe. Kennicott Diss. Gen. p. 42—47. refert codices, in quibus Psalmi et capita librorum transposita sunt.

## §. 130. Permutata errore oculorum.

Frequenter errore visus permutantur literae aut verba, unde permultae ortae sunt lectiones variae, ad quas dijudicandas observandae sunt literae, quae sibi similes sunt, aut si forte litera una duabus, vel duae uni similes sint, et permutari potuerint, Ps. 11, 1. הַרְכֶם permutatum fuit cum הַר כְּמוֹ, quod Alexandrinus expressit. Dolendum est, ignotam esse antiquiorum characterum formam, ex qua antiquissimae lectionum varietates explicari possent; occurrunt tamen varietates antiquae ex permutatione literarum, quae nunc sibi similes sunt, ortae, velut Jos. 15, 47. הַגְּבוּל k'ri הַגָּדוֹל. Ex hoc fonte manarunt multi et magni errores in numeris, qui olim literis exprimebantur, quarum permutatione ingentes illi numeri facile oriri potuerunt, qui in libris historicis passim occurrunt. Sic 2 Paral. 22, 2. כב 22, cum מב 42 permutatum fuit, ut ex 2 Reg. 8, 26. patet.

## §. 131. Permutata defectu memoriae.

Quum librarii inspecto exemplari plura verba apprehenderent, quae deinceps scribebant; fallax interdum memoria aliud verbum, praesertim synonymum aut simile, suggerebat. Hinc saepe permutatae occurrunt particulae, ut אֶל cum Lamed praefixo, מִן cum Mem praefixo, לֹא cum אַל et כָּל. Ita quoque permutatum interdum fuit וַיֹּאמֶר cum וַיְדַבֵּר. In 2 Sam. 22, 1. codices 10 habent וּמִכַּף pro וּמִיַּד; e contrario Ps. 18, 1. in pluribus codicibus legitur וּמִיַּד pro וּמִכַּף. Frequens hinc etiam venit permutatio nominum Dei יְהוָה, אֲדֹנָי et אֱלֹהִים; cum enim Judaei jam a 2000 abhinc annis pro יְהוָה constanter legant אֲדֹנָי, aut si hoc nomen simul adest, אֱלֹהִים; memoria librariis has non raro voces pro illa suggessit.

## §. 132. Permutata errore auditus.

Si pluribus librariis dictabatur, unus alterve vocem interdum male percepit, et aliam pronunciatione affinem scripsit. Hinc ortae videntur illae 17 permutationes לֹא cum לו, quae in tractatu Sopherim et in margine librorum nostrorum annotatae sunt. Hinc quoque venire videtur permutatio He cum Aleph, ut אֲדוֹרָם 1 Reg. 12, 18., et 2 Paral. 10, 18. הֲדוֹרָם; sic etiam 2 Reg. 8, 28. אֲרַמִּים, et 2 Paral. 22, 5. הָרַמִּים.

## §. 133. Mutationes ex locis parallelis.

Fons uberrimus mutationum erant loca parallela, quae librario erant notiora, et hinc invito subrepebant; vel quae incautior librarius conformia reddi debere opinabatur. Sic Ps. 28, 8. עֹז לָמוֹ, in quibusdam codicibus ex Ps. 29. 11 in עֹז לְעַמּוֹ, mutatum est. Mutationes autem hujusmodi non nimium augendae sunt, quum ex collatione librorum Samuelis Regumque et librorum Paralipomenon, constet, librarios in conformatione

locorum parallelorum, haudquaquam omnia sibi indulsisse.

## §. 134. Compendia scribendi male intellecta.

Compendia scribendi in codicibus Hebraicis rariora quidem sunt, observantur tamen quaepiam, quae interdum male intellecta fuisse videntur. Sic illud compendium nominis Jehova in Thargumim ׳י, Alexandrinus interpres Jonae, 1, 9. עבדי׳, pro עֶבֶד יְהוָה, reperisse videtur, et male legisse עַבְדִּי δȣλος μȣ; ita quoque Jer. 6, 11. חמתי׳, pro חֲמַת יְהוָה, legisse videtur חֲמָתִי θυμου μȣ. Codex 76. Kenicotti ultimas literas frequenter omittit, ut אב׳ pro אֲבוֹתֵינוּ; מושי׳ pro מוֹשִׁיעַ; במו׳ pro במות.

## §. 135. Ex margine in textum illata.

Quae passim in margine codicum adscribebantur annotationes, a librariis nonnunquam pro parte orationis habitae, et in textum illatae sunt, ut Jes. 40, 7. אָכֵן חָצִיר הָעָם, vere gramen est populus, et Jes. 7, 17. אֵת מֶלֶךְ אַשּׁוּר Tale est et illud 1 Sam. 6, 19. חֲמִשִּׁים אֶלֶף אִישׁ 50000 virorum, quod ordini verborum repugnat, et in Josepho Arch. VI. 2, 4. desideratur. Huc etiam referre volunt multi recentiorum loca 1 Sam. 17, 12 — 31. 50. 55 — 58. 18, 1 — 5. 9 — 11. 17 — 19, quorum sententiam egregie refellit Dr. A. Th. Dereser in opere: Die heil. Schrift des A. T. Part. II. Tom. 1.

## §. 135. Perversa verborum separatio.

Etsi orientales intervalla verborum reliquerunt, vel finem singularum vocum punctis indicarunt, non raro tamen a librariis properantibus vel oscitantibus neglecta, et verba saepe conjuncta fuerunt, quae alii, quum rursus separarent, nonnunquam minus recte discernebant, et perversam faciebant literarum divisionem, ut literam ad antecedentem vocem traherent, quae pertinebat ad sequentem, aut vicissim, vel etiam unicum

verbum in duo separarent, vel duo verba in unum conjungerent. Sic Ps. 48, 15. עַל מוּת ortum est ex עֲלָמוֹת, quod in 143. codicibus legitur, atque in versione Alexandrina et in paraphrasi Chaldaica expressum est. Ita quoque Ps. 55, 16. יַשִּׁימוֹת k'ri יַשִּׁי מָוֶת vel יַשִּׁיא, quod in pluribus quoque editionibus et ab interprete Alexandrino, Aquila, Symmacho, Hieronymo, auctore Syriacae Pheschito expressum est. Sic quoque Hos. 6, 5. וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא, pro וּמִשְׁפָּטִי כָאוֹר יֵצֵא.

## §. 137. Emendationes malesanae.

Textum hinc inde ad Grammaticam vel Masoram male correctum fuisse, jam §. 108 et 111. observavimus; quare lectio grammaticae et Masorae dissentiens de mutatione minus suspecta, et ideo verisimilior est quam consentiens. Quum vero librarii et lectores codicum proclives quoque essent ad corrigenda ea, quae rariora et difficiliora, aut ipsis ignota aut impervia erant, vel offendiculo esse videbantur: lectio rarior, difficilior, et quae offendiculo esse posset, verisimilior est quam frequens, facilis et omni offendiculo vacua, quae vel ideo de recentiori mutatione suspecta est. Haec regula quasi lapis Lydius est boni et cordati critici.

## §. 138. Variantes lectiones ex corruptione ortae?

Quamquam textus Hebraicus corruptus non fuit, potuissent tamen corruptiones tentari, et hinc saltem lectionum varietates oriri; verum hujusmodi tentamen corruptionis exemplis varietatum, quae ex hoc fonte manassent, comprobari non potest, nisi huc referri visum fuerit mutationem גְּרִיזִים in עֵיבָל, Deut. 27, 4., et מֹשֶׁה in מְנַשֶּׁה Jud. 18, 30., in quo ultimo loco ipsi librarii per Nun suspensum candide monuerunt, genuinam lectionem esse מֹשֶׁה, et Masorethae quoque disserte referunt, illud Nun insertum fuisse, ne primus idoli sa-

cerdos diceretur nepos Mosis. Etsi autem lectiones aliae ex corruptione natae, non adsunt: non desunt tamen exempla, librarios lectiones, Christianis minus faventes, praetulisse et late per codices propagasse, ut חֲסִידֶיךָ Ps 16, 10.; כָּאֲרִי Ps. 22, 17.; et שִׁילֹה Gen. 49, 10.; quare lectio sensu Judaico minus orthodoxa versimilior est quam orthodoxa, ut major quoque testium, qui pro ea deponunt, multitudo exceptionem admittat.

## §. 139. Argumentum criticum ex serie orationis.

Quidquid ex depositionibus testium, et ex investigatione, quaenam lectio ex altera facilius oriri potuerit, resultet: conferenda tamen est series orationis; nam etsi veritas lectionis ex contextu erui nequit, quia falsa quoque lectio seriei orationis bene respondere potest: lectio tamen, quae contextui repugnat, certo spuria est; nullus enim sanae mentis auctor verba sensu vacua, aut a nexu orationis abhorrentia scribit. Magna vero circumspectione opus est, ne lectio, quae primo intuitu videtur contextui repugnare, aut sensum non fundere congruentem, mox reprobetur; potest enim esse lectio difficilior, quae, recte intellecta, cum contextu amice conspiret, et vel ob ipsam hanc difficultatem, quam continet, ut supra §. 137. monuimus, praeferenda sit. Ad contextum vero pertinet non modo, quod in orationis serie praecessit et sequitur, sed ipsa etiam sententiae syntaxis, in cujus collatione multo majori cautione opus est, primum quidem, quia nulla regula sine exceptione est, et quod anomalum putatur, legitima potest esse exceptio a regula; dein vero, quia soloecismus quoque ab ipso auctore proficisci potuit, dummodo anomalia a genio linguae non sit nimium abnormis, qualis est illa 1 Sam, 6, 19. in שִׁבְעִים אִישׁ חֲמִשִּׁים אֶלֶף אִישׁ.

## §. 140. Argumentum criticum ex parallelismo poëtico.

In poëmatibus collationi contextus opem non contemnendam fert parallelismus poëticus. Nam cum membra in poësi Hebraica sint vel synonyma, vel antithetica, vel saltem syntactice sibi conformia: se invicem quoque illustrant, et lectio, quae membro parallelo repugnat, est spuria, quamquam e contrario statui non potest, lectionem membro parallelo consentientem esse genuinam, quum et spuria lectio, inprimis quae ex erroneo librariorum judicio orta est, membro parallelo apprime consentire possit. In canticis alphabethicis facile observantur omissiones versuum Ps. 25, 4—5. 17—18., 37, 28. 39. 145, 13—14., et etiam additiones vel transpositiones verborum, uti Ps. 37, 39. additio praefixae literae Uau in וּתְשׁוּעַת, versus enim a Thau incipere debet; ita quoque transpositio verborum Ps. 25, 2. אֱלֹהַי בְּךָ, pro בְּךָ אֱלֹהַי; nam prima versus litera Beth esse debet.

## §. 141. Argumentum ex locis parallelis.

Quum librarii loca parallela non raro reddiderint conformia, regula est critica: lectio a loco parallelo dissentiens, ceteris paribus, verisimilior est quam consentiens. Quum autem ex collatione locorum parallelorum pateat, librarios, pruritu mutandi loca parallela, non adeo late grassatos esse, ut manifestos quoque errores intactos reliquerint: dubium non est, menda etiam ex locis parallelis emendanda esse; ita locus 2 Paral. 22, 2., ubi filius dicitur 42 annorum, igitur coll. 2 Paral. 21, 20. duobus annis suo patre senior, dubio procul ex 2 Reg. 8, 26. restituendus erit, ut filius sit 22 annorum; nam ex כב, 22, errore oculorum facile ortum est מב, 42. Non raro vero loca parallela talia sunt, ut anceps sit judi-

cium. — Si loca parallela ejusdem libri invicem pugnant, alteruter quidem locus procul dubio mendosus est; rimandum itaque est, quae lectio ex altera facilius oriri potuerit, quod ipsum non raro destituit criticum. — Quodsi auctor recentior respicit quempiam locum antiquioris libri, in quo nunc est lectio varians, testimonium dicit amplissimum de vera illius loci lectione. Sic Ezechiel c. 21, 27 vel 32. testatur, Gen. 49, 10. suo aevo lectum fuisse שֶׁלֹּה, exponit enim per אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט.

## §. 142. Probabilitas, quid auctor scripserit.

Quum auctor quilibet in regione certa, loco singulari, aetate definita, et adjunctis determinatis scripserit, haec omnia orationi ejus impressa sunt, et subtiliori attentione observari possunt; unde regula critica prodit, *lectionem regioni, loco, aetati et adjunctis auctoris repugnantem esse spuriam*; atque hinc liquet, historiam auctorum critico esse necessariam. — Cuilibet quoque scriptori est peculiaris linguae conformatio, stili character, ratio cogitandi, certus complexus troporum, certa denique doctrinae ratio, ex quibus omnibus quoque regulae criticae, cuilibet libro singulares, deducendae sunt, quae res magnam subtilitatem, attentionem, et saepe repetitam lectionem librorum deposcit.

## §. 143. Regulae criticae generales.

Critico vastissima et accuratissima rerum plurimarum et minutissimarum necessaria est notitia, inprimis de manuscriptis codicibus, de editionibus, de versionibus, de scriptis antiquorum Judaeorum et Christianorum, de origine variantium lectionum, de fatis textus et versionum, atque de aliis innumerabilibus minutiis. Criticum praeterea subtili judicio, felici memoria, acri attentione instructum, et lectione magnorum criticorum exercitatum esse oportet. Quodsi his omnibus instruc-

tus est, nihilominus rem plenam aleae tractat, uti tot errores summorum virorum luculenter docent. Itaque tirones critici meminerint, in re difficili summa sibi cautione opus esse, et quidem eo magis in libris sacris qui multo majori cum cura descripti fuerunt quam profani, in quorum tamen critica eadem commendari solet cautio. Quare generales quaspiam regulas adjicimus, quae modum procedendi, quem optimi critici tenuerunt, paucis sistant. I. Criticus, non secus ac judex, ab omni partium studio, i. e., ab omni praejudicata opinione immunis esto. Quare non modo nulla cupiditate occupatum esse oportet, lectionem receptam tuendi aut mutandi, sed etiam ante maturum testium et argumentorum internorum examen non est ferenda sententia. II. Quemadmodum judex non modo argumenta actoris, sed etiam rei audit et examinat: ita quoque a critico non modo argumenta contra lectionem receptam, sed illa quoque, quae faciunt pro ea, cura eadem examinanda sunt, quo in negotio cavendum est, ne testes omnes, qui pro lectione variante non adducuntur, pro recepta lectione stare existimentur; sunt enim plures non raro testes muti, id est, codices hoc loco habent lacunam, aut ex versionibus colligi non potest, quid interpres legerit. III. Quum lectiones spuriae per Masoram, vel per codices normales, ex quibus multi alii descripti vel correcti fuerunt, vel etiam quia erant magis orthodoxae ex sententia Judaeorum, latissime propagari potuerint: non omnis lectio, pro qua plurimi testes deponunt, censenda est genuina, quae etiam a paucis testibus, vel ab unico quoque conservata esse potest ut a solo Alexandrino interprete conservatum est illud עַוָלִים נִשְׁמָדוּ. Ps. 37, 28.; quare testes, velut in foro politico et criminali, non solum numerandi, sed etiam diiudicandi, eorumque testimonia examinanda, quae opponi possunt, excutienda, et interna quoque argumenta expendenda sunt. IV. Quodsi omnia reliqua sint pa-

ria, quod rarum est; standum est testium numero, qui, quo major est, eo majorem quoque parit verisimilitudinem. E numero testium vero non modo omnes versiones mediatae excludendae sunt, sed etiam codices ejusdem recensionis seu familiae, respiciendi forent tanquam testis unicus, quod autem, quamdiu codices in familias redacti non sunt, fieri nequit. V. Si pro altera lectione testes edicunt multo antiquiores, aut codices meliores vel graviora pugnant argumenta interna haudquaquam omnia sunt paria; nam testes antiquiores sunt graviores, versiones vetustae majoris sunt momenti quam codices, atque antiquiores aut meliores codices junioribus et deterioribus praeferendi sunt, et argumenta interna testibus magnum persaepe momentum addunt. VI. Lectiones pro quibus omnes aut fere omnes versiones, codices et editiones unanimes edicunt, et interna quoque argumenta pugnant, critice certae sunt. Quum haec, exceptis paucis varietatibus sensum mutantibus, pro omnibus lectionibus veteris foederis pugnent: liquet, textum universum critica gaudere certitudine, qua incorruptio librorum V. F. amplius confirmatur.

## §. 144. Conjectura critica.

Egimus hucusque de emendatione textus ex testimoniis antiquorum; jam quaeritur, an nunquam liceat emendare textum Hebraicum sine ullo veterum testimonio ex argumentis duntaxat internis, seu ex conjectura critica. Si hanc vetare visum fuerit, comprobandum erit, sub manibus librariorum lapsu tot seculorum, ex quorum postremis quinque quidem plures adsunt testes codices, ex illis autem temporibus a seculo decimo post Christum usque ad tertium ante Christum, duntaxat aliquae versiones et quaepiam a scriptoribus horum seculorum allegata loca, a seculo demum tertio ante Chr. usque ad

ipsos auctores nulli testes lectionum praesto sunt, nullam periisse lectionem genuinam. Quodsi periisse lectiones genuinas concedere cogimur, fatendum quoque erit, ut saltem illae spuriae lectiones, quae sensum mutant, ex solis argumentis internis, seu per conjecturam criticam restituantur.

## §. 145. Usus conjecturae criticae.

Si ars critica, quae testibus agit, multo magis, quae sine testibus conjicit, graviter et moderate exercenda est. Data opera conjecturas quaerere, aut levibus momentis lectionem mutare, et mutationem in textum inferre, pruritum atque scabiem corrigendi compellant cordati critici, qui statuunt, conjecturas non esse tentandas, nisi quando n e c e s s i t a s urget, aut p e r m a g n a v e r i s i m i l i t u d o suadet, atque tum quoque non in textum recipiendas, sed in notas conjiciendas esse censent. — N e c e s s i t a s urget, quando interpres e r u d i t u s et e x e r c i t a t u s (tironum enim non est hoc negotium) ex omnibus, quae supersunt loci lectionibus, tentatis omnibus aliis mediis nullum sensum congruum elicere potest, aut sensus historiae certae et auctori libri bene cognitae, vel doctrinae, ab eodem auctore alibi propositae, repugnat. Atque hoc casu conjectura non quaeri, sed se ipsa offerre ac obtrudere, et in exigua verbi mutatione juxta analogiam, qua lectiones spuriae oriuntur, consistere debet. Sic Ps. 107, 3. מִיָּם mutandum videtur in מִיָּמִין. M a g n a pugnat pro conjectura v e r i s i m i l i t u d o, si lectio quaepiam sensum tolerabilem quidem, contextui tamen non usquequaque convenientem fundit, et exigua, juxta analogiam, qua menda oriuntur, facta mutatione omnia optime cohaerent, uti si Jud. 14, 14. t r e s d i e s, d i e a u t e m s e p t i m o, mutetur שְׁלֹשֶׁת, seu 'ג, 3,, in שֵׁשֶׁת seu 'ו, 6, omnia salva sunt. — Quodsi p r o b a b i l i t a s mendi sit l e v i o r, vel m u t a t i o

*lectionis sit major*, aut *ab analogia*, qua menda oriuntur, *longius recedat*, conjectura, etsi se offerat repudienda est; ita I. D. Michaelis sine ratione sufficiente conjecit, 1. Sam. 8. 16. pro חֲמֹרֵיכֶם *asinos vestros*, legendum esse חֲמוּדֵיכֶם *pretiosa vestra*, quodsi melior hujus loci lectio desideretur, offertur ab interprete Alexandrino, qui expressit בְּקָרֵיכֶם *boves vestros*. — Conjectura, quae textum *grammaticae conformem* reddere tentat, scabiem corrigendi prodit.

## §. 146. Conjectura dogmatica.

*Mutatio lectionis sine teste ex argumentis dogmaticis*, nomine conjecturae dogmaticae venit, quae non est nisi corruptio, et in nullo libro toleratur. Id solum monendum est, argumenta, quibus haec conjectura innititur, omnia illa esse, quae ex praejudicatis sententiis ducuntur; quare non modo conjectura dogmatica fuit, si Judaei Deut. 27, 4. גְּרִזִים in עֵיבָל mutarunt, ut Samaritanis argumentum pro hoc loco adorationis praeriperent, sed etiam quum Samaritani Exod. 12, 40. *commorationi Israelitarum in Aegypto*, addebant: *et in Canaan*; quia ex praejudicata sententia conjecerunt, 430 annos quatuor generationibus non convenire. Imo cavendum quoque est critico, ne unquam argumentis dogmaticis moveatur, ut vel testibus, vel argumentis internis ideo amplius momentum tribuat, quia lectio, pro qua militant, certis sententiis favet.

## §. 147. Ars critica sublimior.

Sublimior ars critica a conjectura critica non distinguitur, nisi quod non singulis verbis aut dictionibus, sed sententiis et prolixioribus commatibus, atque libris quoque integris occupatur, qui ex argumentis internis esse, vel non esse hujus scriptoris vel aetatis

arguuntur. — In libris V. F., de quorum historia perpauca a testibus discimus, hac sublimiori arte carere non possumus, cujus ope detecta sunt non pauca, quae ad historicam accedunt certitudinem. Exercitium autem ejus, ut conjecturae criticae, esse oportet sobrium et modestum; non est innitendum illis, quae esse aut fieri forte potuerunt; nam a possibili ad actum non est legitima conclusio; nec res agenda est levibus momentis, ex quibus non efficitur nisi exigua quaepiam probabilitas, quae, re attentius perlustrata, in fumum abit. Errores in dignoscendis aliunde bene cognitis nostri aevi auctoribus, qui anonymi lingua vernacula scripserunt, commissi, insigni documento esse deberent audacioribus nostrae aetatis criticis, ut hac ancipiti arte cautius uterentur, et Scaligerorum ac Casauboniorum exemplum severius in imitationem traherent. Suspicionibus aut leviculis rationibus nihil probatur, sed docendum est, librum vel libri partem res manifeste recentiores, vel talia continere, quae ab illo auctore ob aetatem, qua vixit, vel ob disciplinam, quam secutus est, vel propter orationem, qua usus est, plane et perfecte nobis cognitam, scribi prorsus non potuerunt. Cavendum denique, ne unquam argumenta dogmatica, quae ex quibuscunque praejudicatis sententiis ducuntur, in subsidium vocentur.

# Pars secunda.

## Introductio specialis in singulos libros Veteris Foederis.

### §. 1. Ordo tractatus.

Examinatis illis, quae omnibus V. F. libris communia sunt, progredimur ad examen singulorum librorum, quos non eo pertractabimus ordine, quo in codicibus et editionibus digesti sunt, sed sequemur, quatenus fieri potest, aetatem, qua libri singuli scripti sunt, aut cujus historiam exponunt. Exordium ducimus a libris historicis, progressuri dein ad propheticos, ad hagiographos, et demum ad deuterocanonicos, atque ita tractatio quatuor sectionibus absolvetur.

# Sectio prima.

## De libris historicis V. F.

# Caput primum.

## De Pentateucho.

### §. 2. Argumentum Pentateuchi.

In Pentateucho narrantur quae a Deo, inde a creatione hominis usque ad obitum Mosis, ad condendam, firmandam, conservandam et promovendam religionem et religiosam morum probitatem, disposita sunt. Longe maxima pars versatur in his, quae Deus per Mosen constituit, ut illa, quae praecedunt, sint introductio, sine qua autem sequentia non possent recte et plene intelligi. Quinque nunc quidem numerantur libri, sed tres proprie sunt partes argumenti, quarum I. Genesis, complectitur divinas dispositiones in subsidium religionis et probitatis ante legislationem Mosaicam, a creatione hominis usque ad obitum Josephi, anno mundi 2318. In his duae rursus distingui possunt partes: prima Gen. 1, 1—11, 26., paucis documentis sistit praecipua a creatione hominis usque ad nativitatem Abrahami anno 1948., et refert hujus Patriarchae majores, qui religionem et studium probitatis coluerunt et custodierunt; altera exhibet Gen. 11, 27—50, 26. ple-

niorem historiam Abrahami, Isaaci et Jacobi usque ad obitum Josephi, per annos 295., ubi promissiones, his Patriarchis datae, utramque faciunt paginam. — II. Exodus, Leviticus et liber Numerorum refert historiam Mosis et legislationis Mosaicae, et docet, qua ratione illis promissis, quae Patriarchis factae fuerant, eventus responderit, scilicet multiplicationem posterorum, liberationem ex Aegypto, ac constitutum theocratiae ordinem et adparatum, quo religio et religiosa morum probitas conservanda esset usque ad illam aetatem, qua, ut Patriarchis promissum fuit, ad alias gentes propagari posset. Pleraque ex duobus primis annis, longe pauciora autem et praecipua duntaxat ex sequentibus 37 annis Num. c. 15 — 19, et ex anno quadragesimo Num. c. 20 — 36. narrantur. — III. In Deuteronomio monentur Hebraei, ut legem custodiant, quaepiam leges, adcuratius definitae, repetuntur, quaepiam mutantur, quaepiam etiam adduntur, et bona, quae Hebraeos legem custodientes manent, ac mala, quae eam negligentibus imminent, exponuntur. Narratur demum restauratio foederis cum Deo Rege, et adjicitur propheticum de futura gentis sorte carmen, ab Hebraeis memoriae mandandum. Haec omnia concernunt habitationem in Canaan, quae jam jam occupanda erat. Moses denique librum publice tradit sacerdotibus et proceribus populi, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam foederis custodiatur, et omni septennio, festo tabernaculorum, populo praelegatur. Deut. 33 multis ab alio Scriptore sacro adjectum esse videtur. Jannssens Herm. S. Vol. I. pag. 178. Verum Blekkius in bibl. exeget. Repertorii Vol. I. a Rosenmüllero edit. Lipsiae 1822 probavit, nihil hoc cantico contineri, quod Mosi auctori repugnet. Caput 34, in quo Mosis mors et sepultura narratur, alius sacer scriptor certe addidit.

## §. 3. Argumenta interna pro auctore Mose.

Ingenium et indoles, seu character scriptoris, argumentum librorum, seu quae referuntur aut attinguntur historica, politica et geographica, proprietas linguae et stili, et dispositio ac forma horum librorum, omnia clamant auctorem esse Mosen. Nam I. in Deuteronomio loquitur vir senex, qui (a) populum, intercedentibus multis et magnis miraculis, ex Aegypto eduxit, ad radicem montis Sinai ex quo Deus leges ferebat in theocratiam consociavit, in itinere per Arabiam usque ad Jordanem (40 annos) gubernavit, multis extra ordinem beneficiis affecit, et, quando necessarium erat, singularibus quoque suppliciis coërcuit, (b) loquitur populo, qui haec omnia vidit et expertus est, ad quod etiam saepe provocat, dicens: vos vidistis, audiistis, experti estis; (c) loquitur cum affectu et sollicitudine senis, paulo post morituri, et ea cum libertate, fortitudine et vehementia loquitur, qua uti non potuit, nisi qui tot et tanta pro populo gessit, et de futura ejus sorte sollicitus erat; paucis, qui in Deuteronomio loquitur, totus versatur in singularibus adjunctis Mosis, et quae ab eo dicuntur, respondent singularibus adjunctis populi, ut nullus alius se totum in omnia haec tam singularia adjuncta ita transferre potuerit, quin ullibi impingeret. Qui id impugnant, aut levis momenti esse opinantur, producant aliquod simile scriptum antiquum, quod totum spiret ingenium, indolem, aetatem et singularia adjuncta auctoris alieni et primorum ejus aevi lectorum. — Deuteronomium autem non solum argumentum praecedentium librorum, sed etiam scriptos ponit libros Numerorum, Levitici et Exodi; nam qui in Deuteronomio loquitur et scribit, profecto negligere non potuit scribere hos tres libros, ad quorum argumentum persaepe provocat;

custodiam legum, quae in ipsis leguntur, urget, et a gestis quae in eis narrantur, rationes obediendi legibus depromit, atque sine quibus lectores Deuteronomium nequidem intelligere potuissent. — Hi autem quatuor libri ex iisdem rationibus rursus scriptam ponunt Genesim. — II. In Pentateucho permulta referuntur, aut etiam leviter duntaxat attinguntur historica, religiosa, politica et geographica remotissimae antiquitatis et diversarum regionum et gentium, inprimis Aegyptiaca et Arabica, quae omnia, quatenus in tanta penuria scriptorum antiquiorum examinari possunt, illis temporibus, regionibus et gentibus adprime conveniunt. His accedunt plura ex historia naturali, de morbis, de artibus, de re militari, etc. Auctor itaque erat vir, a juventute solerter institutus, bene excultus, plurimarum rerum gnarus, et felici ingenio praeditus, qui antiquis temporibus vixit, qualis erat Moses, in regia aula Aegyti educatus, dux numerosi et inflexibilis populi per invia Arabiae quadraginta annos. Recentior quiscunque non omnia haec diversissima ita tenere potuit, ut nullo errore se proderet, et nunquam aliena, ab illis regionibus, gentibus et temporibus abhorrentia, aut recentiora, vel externa huc non pertinentia intermisceret. — III. Lingua Pentateuchi est Hebraica antiquior, quae a lingua Psalmorum et aliorum recentiorum librorum non parum distat; nam in Pentateucho non leguntur verba exotica, nisi antiqua Aegyptiaca, ut יאר, אברך, תבה, חרטמים, שעטנז, טוטפת, אחו, חנט etc.; occurrunt archaismi, ut הוא et נער foeminine usurpata; verba ult. Aleph et He saepe permutata, perfrequens He locale, frequentes flexiones verborum ult. Aleph accrescente in fine litera sine Aleph, flexiones verborum aoristi secundi in personis foemininis pluralibus sine He in fine, et alia similia, quae in recentioribus libris sunt multo rariora; alii archaismi grammaticales procul dubio recentiori aevo correcti fue-

runt, uti ipsum quoque הוא et נער pronunciatum et punctatum fuit הִוא et נַעֲרָ. Occurrunt permultae voces et phrases Pentateucho peculiares, et multae aliae libris recentioribus peculiares in Pentateucho nequaquam obviae sunt; atque etiam in Pentateucho rarae, in libris autem recentioribus, frequentes, et vicissim. Cujuslibet generis harum vocum et phrasium collegi ultra centum, omissis plerisque ἁπαξλεγομενοις et illis, de quarum objectis non erat in aliis libris occasio loquendi. Omnes enumerare, hujus libri limites non admittunt, aliquas tamen adducere, non abs re erit. Pentateucho sunt peculiares: זָכוּר pro זָכָר, הָאֵל pro הָאֵלֶּה, אסון, עֲקֶת, הִתִּלֵּד pro quo alibi הִתְיַחֵשׂ, פְּלֵא נֶדֶר, et תַּפְלִיא נֶדֶר, שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן, פדר, חֶרְמֵשׁ pro quo alibi מַגָּל, אִשֵּׁי לַיְיָ, קָבַב, שְׁכָבָה, בָּסַס, פָּרַם, טֶנֶא, הַצֹּאן, עַשְׁתְּרֹת; בֵּית אָבוֹת, הָאַלֻּפִים, שֶׁגֶר etc.; in Pentateucho non leguntur: קֶטֶר, גִּיל, תֵּבֵל, בַּל, אֱלֹהֵי צְבָאוֹת vel יְהוָה, אַשְׁרֵי, אָזַר, קִבֵּל, אֱיָל, אַיֶּלֶת, קָלַס, בִּשֵּׂר, אַתָּה, שָׁאַג, הִשְׁגִּיחַ, בּוּץ, טָלֶה, חִידָה, דָּרוֹם, חָסִין, חָסוֹן, עָלַס, עָלַז, עָלַץ, הִלֵּל de laudibus Dei, לְנַצֵּחַ, הֵסִיר, הָרוֹם, עֶד, et עַד aeternitas, etc. IV. Stilus in carminibus comtus et sublimis, in prosa planus et melior quam in ullo alio libro Hebraico, qualis nimirum ab alumno regio et ingenio culto exspectandus est; nequaquam tamen ubique aequalis, in Deuteronomio multo verbosior, et in adhortationibus fere oratorius et vehementior; indicium operosae et de posterorum sorte sollicitae senectutis. Ordo orationis non ubique commodus, sed non raro praeposterus; oratio progrediens saepe per disrupta sine nexu fragmenta, frequenter singulari clausula terminata. Haec omnia arguunt auctorem multis aliis negotiis distentum, non continenter scribentem, sed saepe interruptum et interruptiones praevidentem, et hinc partes clausula terminantem; arguunt scriptorem, qui hoc labore multis annis occupatus fuit, quibus labentibus, lingua et stilus, ut fieri solet, aliquas vicissitu-

dines subiit; scriptorem, qui fortasse etiam quaepiam, pro more olim consueto, notario dictavit, quo stilus quoque nonnihil variatur; qui quaepiam acta publica, a notariis scripta, suis interseruit. Tali et non alio stilo scripta a Mose exspectari possunt, qui tot negotiis obrutus, saepe interruptus, frequentibus itineribus et migrationibus de loco in locum distractus, per quadraginta fere annos hos libros exaravit, et Deuteronomium demum senex et morti proximus scripsit. — V. Selectus et dispositio materiae prodit legislatorem, qui historiam suae legislationis in commentarios redegit. In exordio seu introductione, quam ab historia antiquissima repetit, (a) prae ceteris narrat et diligentius commendat illa, quae ad legislationem et theocratiam, et ad omnem illum apparatum, deinde introductum, praeparant, nempe religionem unius Dei creatoris et gubernatoris omnium, inde a primo homine derivatam, Patriarchis demum divinis promissionibus confirmatam, sacrificia Patriarcharum, et divinam ex Aegypto liberationem ceu initium complementi illarum promissionum etc.; (b) historiae legislationis interserit fere sola illa gesta, quae legibus occasionem praebuerunt, vel ad urgendam legum observationem, atque ad obluctationem populi spectant; in progressu tamen saepe reticet actiones et quaestiones propositas, quae ad leges ferendas moverunt, quasi temporis angustia pressus, aut scriptione etiam defatigatus; unde plura disrupta exsurgunt fragmenta. (c) Leges exhibet fere omnes eo ordine, quo latae fuerunt, insertis passim non solum historiis eorum quae contingebant, sed etiam adhortationibus, promissionibus et comminationibus; (d) aliquas leges, quae labente tempore negligebantur, aut sinistra interpretatione pervertebantur, aut dubia movebant, repetit et explicat; (e) alias, mutatis temporis adjunctis, mutat. — Nullus nisi legislator naturam et ordinem legislationis ita penetrabat, ut non interpone-

ret alia ad rem non pertinentia vel etiam recentiora; ut hunc et non alium commodiorem legum ordinem, affinitati objectorum et actionum congruentem praeferret, aut saltem illas legum earundem repetitiones, et inprimis leges, progressu temporis mutatas, omitteret. Cf. Janssens l. c. p. 176. sqq.

## §. 4. Auctor Pentateuchi se dicit Mosen.

Ex his argumentis internis, prono fluit alveo, auctorem Pentateuchi non solum esse posse, sed etiam, saltem verisimilius, reapse esse Mosen, atque hoc ipsum disertis verbis et iteratis vicibus dicit auctor in ipsa orationis serie et eodem prorsus stili et linguae charactere, eodem quoque affectu et sollicitudine, Deut. 31, 9—13. 22. 24—26., ubi ait, hunc integrum librum a principio usque ad finem a se esse conscriptum, proceribus populi et sacerdotibus traditum, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam foederis custodiatur; et omni septennio, diebus festi tabernaculorum, universo populo praelegatur. Qui dicunt, id ad solum Deuteronomium spectare, meminerint, quod supra ostendimus, hunc librum scriptos ponere libros Numeri, Levitici, Exodi et Geneseos. — Haec itaque omnia scripta Moses non solum Deut. 31, 9—13. 22. 24—26., sed etiam Deut. 1, 5. 4, 44—45. 17, 18. 28, 58. 61. 29, 19. 20. 26. 30, 10., ubi simul de praecedentibus scriptis loquitur, nuncupat legem, הַתּוֹרָה (das Gesetz) et hanc legem, הַתּוֹרָה הַזֹּאת, scilicet, contentum pro continente, uti explicat, cum haec nomina permutat cum סֵפֶר הַתּוֹרָה seu libro legis, id est: religionis; nam תּוֹרָה proprie doctrinam et inprimis doctrinam religionis significat, ad quam non solum leges, sed etiam doctrina de vero Deo, et universa illa historia promissionum, comminationum, beneficiorum et castigationum ac reliquorum factorum divino-

rum pertinet, per quae religio condita, conservata, demum a superstitionibus Aegyptiacis purgata et per theocratiam civilem suffulta fuit. Cum haec opera divina non solum in Deuteronomio, in quo paucis duntaxat recapitulantur et alibi scripta ponuntur, sed etiam et quidem inprimis et fusius in Genesi, Exodo, Levitico et libro Numerorum narrentur: nomina illa: lex, lex haec, liber legis, hos omnes libros; tanquam unum, nondum in quinque libros dispertitum, opus designant. Hic horum nominum complexus confirmatur I. Exod. 17, 14., ubi Deus jubet Mosen, insidias, quas Amalekitae Hebraeis itinere defatigatis et debilibus struxerant, bellum, quod consecutum est, et decretum illis futuro aevo excidium, scribere בַּסֵּפֶר, in certum librum, (in das Buch), vel si mavelis legere בְּסֵפֶר in quempiam librum, (in ein Buch), manifestum nihilominus est, Mosen jam tum scripsisse vel incepisse scribere librum historicum. — II. Exod. 24, 4. 7. 34, 27. annotatur, Mosen non solum leges, sed etiam apparationes Dei, adeoque facta historica literis consignasse. — III. Num. 33, 1—2. Moses scripsisse refertur stativa Hebraeorum in Arabia, quae profecto sunt historica. — Si igitur Moses, inde ab egressu ex Aegypto, leges et gesta in librum conscripsit: hic profecto non est alius, quam ille, quem Deut. 1, 5. 4, 44—45. 17, 18. 28, 58. 61. 29, 19. 20. 26. 30, 10. 31, 9—13. 24—26. compellat legem, legem hanc, et librum legis, seu religionis, atque publice sacerdotibus et proceribus populi tradidit in adyto tabernaculi custodiendum. Haec pro auctore Mose sunt multo graviora testimonia, quam quae pro ullo antiquo scriptore proferuntur; nam (a) nullius libri antiqui editio fuit adeo solemnis, publica et omnibus coaevis notissima; (b) nullius libri auctor tanta certitudine constabat, et in illa librorum paucitate potuit tanta facilitate ad posteros propagari; (c) nullus alius liber in

loco publico et sanctissimo asservabatur, et (d) per publicam observationem legum, quae nunquam omnes et penitus negligebantur, publicum et per omnes aetates constans recepit testimonium; nam leges observabantur propterea, quia in libro Mosis scriptae, et auctoritate illius Dei latae erant, qui universa creavit, diluvium immisit, Patriarchis amplas promissiones fecit, et partim etiam jam opere complevit, atque in Aegypto et Arabia grandia illa miracula patravit. (Conf. P. I. §. 8.) Hoc perpetuum de Mose, auctore Pentateuchi, testimonium pluribus confirmare non abs re erit, quod gradatim praestabimus.

Qui monent, ex his non esse concludendum, non solum leges sed etiam reliqua omnia a Mose descendere, videant, quid velint; anne omnibus segmentis adjunctam postulant notam a Mose conscripta esse? an unquam de ullo alio libro antiquo, etsi per fragmenta scripto, uti de historia Herodoti, Diodori Siculi, Albufedae, Makrizi etc., aliquid simile postulatum fuit? In Pentateucho, etsi per fragmenta exarato, omnia tamen cohaerent in fine, ad quem tendunt, ut doctrinis, legibus, historiis, promissionibus et comminationibus ducant ad religionem et religiosam morum probitatem. Antiquorum imo et multo etiam recentiorum orientalium non fuit ea ars scribendi, quae omnia disparata apte nectere novit. Denique Moses tot aliis negotiis ecclesiasticis, civilibus et juridicialibus occupatus, et frequentibus itineribus distractus, non habuit illud otium, quo scriptores recentiores ad connectenda et expolienda sua scripta abundant, in quibus nihilominus non pauci hiatus observantur, quin ideo hae partes illis abjudicentur, ut Moses immoderatis criticis respondere possit: ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν πρῶτος τὸν λίθον ἐπ' ἐμοὶ βαλέτω.

## §. 5. Argumentum Pentateuchi omni aetate publice notum.

Argumentum Pentateuchi inde a Josua per omnes aetates publice notum fuisse, liquet ex forma reipublicae et ecclesiae, atque ex legibus politicis et religiosis, quae historiae et auctoritati miraculorum Mo-

saicorum innitebantur, et nullo non tempore vigebant; quodsi quaepiam nonnunquam aliquo temporis spatio neglectae erant, paulo post rursus omnia ad tenorem horum librorum restituebantur. In libris sequentibus per omnia secula respicitur ad historiam non minus quam ad leges Pentateuchi; in libris historicis perpetuo laudantur, quae libris Mosis consentanea, et arguuntur, quae eisdem contraria acta sunt; Psalmi et Proverbia spirant indolem Pentateuchi; prophetae perpetuo urgent obedientiam huic libro praestandam, plures quoque referunt historiae partes, quas ex eo depromserunt, atque promittunt et minantur, quae Pentateuchus promittit et minatur, ut dici possit, omnes libros recentiores esse commentarios Pentateuchi.

## §. 6. Argumentum Pentateuchi omni aetati nomine legis Jehovae notum.

Argumentum Pentateuchi per omnes sequentes aetates nomine Legis, tanquam proprio libri nomine, et etiam plenius nomine Legis Jehovae, commemoratur, et sicut Hebraeis mox in Deuteronomio non modo leges, sed etiam eventus historici, et beneficia divina, in his libris exposita, inculcantur, ut haec omnia memoria retineant, saepe perpendant, et posteris custodienda committant: ita eadem mox Jos. 1, 7—8. leguntur, et in omnibus reliquis libris perpetuo repetuntur, Ps. 1, 1—6. 8, 7—9. 12, 6—7. 19, 1—12. 33, 5—9. 66, 5—6. 77, 15—21. 99, 7—8. 104, 3.; Ps. 119, 1—176. 68, 2—15. 81, 4—8.; Ps. 105, 1—45.; Ps. 78, 1—55.; in exilio Ps. 106, 1—48. etc. In Prophetis loca hujus generis sunt infinita. Qui argutantur, non ipsa Pentateuchi verba adferri, meminerint, non fuisse morem antiquorum loca aliorum librorum verbotenus adducere. Cf. Exod. 34, 6. et Num. 14, 18. cum Ps. 86, 15.

103, 8. Joel. 2, 13. Jon. 4, 2.: Num. 14, 22 — 23. cum Ps. 95. 7.; Lev. 26, 5. cum. Amos 9, 13.

## §. 7. Pentateuchus ut Lex Mosis notus.

Quemadmodum Pentateuchus per omnes libros nomine Legis; et Legis Jehovae, memoratur; ita quoque frequens est ejus mentio nomine Legis Mosis, aut Legis, quam Deus per Mosen tulit, atque utrumque hoc nomen saepe ita concurrit, ut manifeste liqueat, Legem, Legem Dei, Legem Mosis, et Legem quam Deus per Mosen tulit, esse unum eundemque Pentateuchum, quem jam Moses, prout §. 4. vidimus, nomine Legis insignivit. Frequentissima est Pentateuchi nomine Legis Mosis mentio in libro Josuae, qui, etsi aetate Josuae multo recentior est, ex commentariis tamen coaevis, ut porro videbimus, fere ad verbum excerptus fuit *). Eadem mentio passim occurrit in libris Judicum, Regum, Paralipomenon et prophetis, Jud. 3, 4—5. 2 Reg. 18, 12. 21, 7—8. 1 Paral. 15, 15. 2 Paral. 8, 13. 30, 16. 33, 8. Jes. 63, 11—14. Jer. 15, 1. etc.

## §. 8. Pentateuchus, ut liber Mosis omni aetate notus.

Hanc Legem, Legem Jehovae, Legem Mosis, Legem quam Jehova per Mosen tulit, fuisse non oretenus traditam, sed librum hoc nomine insignitum, permulta loca testantur. Ita mox post obitum Mosis monetur Josua c. 1, 7—8., ut li-

*) Ita fert mos scriptorum orientalium, cf. Romel in Abulfedae Descript. Arab. §. 4. p. 10. Chr. Mart. Frähn Aegyptus auctore Ibn al. Vardi §. 2. Joh. Melch. Hartmann Edrisii Africa ed. II. p. LXXXIV — LXXXV. Reiske Praef. Annal. Moslem. Abulfedae p. 12. et Prodidagm. ad Hagi Chalph. Tab. p. 223.

brum legis Mosis perpetuo legat; et Josua c. 23, 3 – 16. monet primores Israelitarum, ut faciant omnia, quae in libro legis Mosis scripta sunt; pluresque non modo leges, sed etiam historias, comminationes et promissiones ex eo allegat. Ita quoque Josua in comitiis ultimis c. 24., praecipua Pentateuchi capita paucis adducit, foedus cum Deo restaurat, idque inscribit fini libri Legis Jehovae, qui non est alius, quam ille, qui c. 1, 7—8. et 23. 6. dictus est liber Legis Mosis, duo nomina ejusdem Pentateuchi, sicut quoque qui Jos. c. 8, 34. dicitur liber Legis, ibidem v. 32. liber Legis Mosis nuncupatur. Qui contendunt, librum legis dici ab antiquiori scriptore commentarii, librum legis Mosis autem a recentiori redactore, hypotheseos gratia id gratis sumunt, nec comprobare possunt; videbimus paulo post similem horum nominum permutationem. — David Ps. 119. saepius repetit, se legere, meditari et custodire legem Dei, prout Deut. 17, 18—20. praescriptum est, mandat 1 Paral. 16, 40., ut Gibeone juxta statuta legis Mosis, offerantur sacrificia, et demum moriturus, ad filium loquens, attribuit legem hanc, volumine libri comprehensam Mosi 1 Reg. 2, 3. 1 Paral. 22, 13. — Josaphat mittit 2 Paral. 17, 9. sacerdotes et Levitas cum libro Legis Jehovae (qui profecto, sicut Jos. 24. 26. 1 Reg. 2, 3. 1 Paral. 22, 13. idem est liber legis Mosis) in civitates et oppida, ut populum instruant. — Jojada praecipit 2 Paral. 23. 18., ut holocausta offerantur, sicut in Lege Mosis scriptum est. — Amazias parcit 2 Reg. 14, 6. 2 Paral. 25, 4. filiis perduellium, sicut in Lege Mosis scriptum est, et Jehova mandavit. — Sub Hizkia (Ezechia) non modo 2 Reg. 17, 37. liber Legis Jehovae scriptus memoratur, sed etiam 2 Paral. 30, 16—18. 31, 3. 4. 21, hic rex pascha celebrat, sicut in Lege li-

Vater in Comment. in Pentat. T. III. asserit, ex his allegationibus duntaxat colligi, sub his nominibus quaspiam leges et historias scriptas exstitisse, non autem integrum Pentateuchum adfuisse, qui partibus constat minime cohaerentibus, quarum permultae antiquis Mosis scriptis recentiori aevo insertae sint; argumenta autem, quibus hanc sententiam probare nititur, non sunt nisi conjecturae, vel potius suspiciones. — De Wette in den Beyträgen zur Einl. ins A. T., cui assentitur Augusti in der Einl. ins A. T., totum Pentateuchum ita cohaerere reperit, ut hunc librum censeat esse poema epicum; verum si argumenta, quae adfert, id evincunt, omnes libri historici, qui aliquam integram historiam narrant, in poemata epica convertuntur, ut taceam de artificiis, quibus usus est, ut sententiam improbabilem redderet aliquatenus probabilem et difficultatibus quoquo modo expediret, quas lector nihilominus ubique offendit. Cf. Jenaer Litt. Zeit. 1. Jän. 1812., et Leip. Litt. Zeit. 9. Jän. 1812.

## §. 9. Geneseos auctor est Moses.

Quum ea, quae in Genesi et primis Exodi capitibus narrantur; non minus ac reliqua, mox sub Josua et omnibus sequentibus seculis perpetuo pro notis ponantur: recte concluditur, Genesim quoque inde a Josua omni aetate communi denominatione Legis, Legis Jehovae, Legis Mosis, et libri Legis Mosis comprehensam et Mosi tributam fuisse, de quo quidem eo minus dubitandum est, quod Genesis et prima Exodi capita necessaria sunt praeparatio ad sequentia, quae frequenter ad illa in Genesi et primis Exodi capitibus narrata referuntur, atque adeo hae ambae partes arctissimo nexu cohaerent, ut neutra sine altera perfecta sit. Nam Hebraei, ex quibus multi in Aegypto ad divinum creaturarum cultum inducti fuerant, ut Moses praevidit, perpetuo ad idolatriam proni, edocendi erant in Genesi et primis Exodi capitibus, quisnam sit ille Deus, quem ad montem Sinai regem susceperunt, a quo legem receperunt, et cui per sabbatha et festa solennia, per sacrificia et primitias, per obedientiam legibus praestan-

dam, et per omnem cultum, venerationem suam et gratum pro tantis beneficiis animum testarentur. Sublata hac Pentateuchi parte Hebraei ignorassent, quis sit ille Deus rex, quem colebant; neque enim illis temporibus sine hac doctrina regem suum Deum creatorem et gubernatorem mundi cognoscere, aut saepius recurrentia nomina: Deus Abraham, Isaak et Jacob intelligere, vel assequi poterant, unde sint, aut quid sibi velint repetitae toties promissiones Patriarchis factae, et quaenam ac qualia sint illa miranda opera in subsequentibus libris toties laudata; sola traditio oralis (quam adversarii nostri alias non amant, hoc autem loco adeo extollunt) per proclivitatem ad idololatriam post aliquas generationes depravata et obliterata fuisset. Quare qui tantam Hebraeorum etiam posterorum curam gessit et reliqua scripsit etiam Genesim et prima Exodi capita, necessariam Hebraeis, inprimis posteris, institutionem et doctrinam, traditioni orali relinquere non potuit, nec reliquisse putandus est.

## §. 10. Interpolationes Pentateuchi.

Libros hos a communi antiquorum librorum sorte mansisse immunes, et non fuisse interpolatos exspectandum non esse videtur. Etsi enim Hebraei libros hos tanti aestimabant, ut quidquam consulto et mala fide mutare, summae sibi religioni ducerent: id tamen non impediebat, ut alii vel scriptores sacri successu temporis e. g. explicationis causa aliquid adderent. Loca hujus generis jam a Rabbinis octodecim adnotata fuerunt. Recentiores multo plura interpolationis arguunt. De singulis agere et γνησιοτητα eorum probare angustiae libelli non admittunt. Observasse sufficiat, interpolationis suspecta profecto non esse loca 1 Exod. 6, 13—29. 7, 7. 11, 1—3 Cf. Dereser die heil. Schrift des A. T. part. Ima. Frankf. a. M. 1820. Rosen-

müller Scholia in Exod. edit. 3tia Lipsiae 1822, et supra not. ad §. 4. II. Deuter. 2, 10—12, continent enim confirmationem spei Israelitarum regionis concedendae; vv. 20—23 animum eis addunt. III. Deuter. 3, 9—14 nam optime cum praecedentibus cohaerent, si vv. 9, et 13 a verbis כלחבל cum v. 14 Parentheses esse animadvertis. — Difficilior est locus Deuter. 10, 6—9, collatus cum Num. 33, 30. 31. 38, et Deuter. 32, 50; quare recte statuitur, errorem commissum esse a librariis, et quidem antiquissimis; locus Num. 12, 3 ab alio Scriptore Sacro additus dici potest. Ast Geneseos 36 serius insertum fuisse, probari nequit.

## §. 11. Pentateuchus non recentiori aevo compilatus.

Pentateuchum aetate Davidis aut exilii Babylonici, partim ex legibus, quas solas Moses scriptas reliquerit, et partim ex traditionibus oralibus, canticis, fragmentis historicis, inscriptionibus hieroglyphicis, et monumentis in memoriam gestorum publice prostantibus, quorum significatio ex conjecturis petita fuerit, compilatum fuisse, prout quipiam conjectant, historiae repugnat. Nam Samaritani eundem Pentateuchum, quem habent Judaei, acceperunt a sacerdote decem tribuum, quae ex regno Juda librum, non solum religionem, sed etiam formam reipublicae et leges civiles definientem, profecto non receperant: quare Pentateuchus, qualem habent Samaritani, jam illa aetate, qua decem tribus schisma fecerunt, ab immemoriali tempore adfuit; nam cum Jeroboam nullum non moveret lapidem, ut decem tribus a posteris Davidis et regno Juda in perpetuum alienaret: eruisset profecto e tenebris antiqua illa scripta (quae sola nunc a quibusdam Mosi deberi putantur), si vel fama de illis quidquam innotuisset; non defuissent senes 80 et 90 annorum, qui dixissent, patrem vel avum suum de aliis scriptis Mosis narrasse, vel avum suum a patre aut avo

suo quidquam de aliis scriptis retulisse, atque Jeroboam, ut animos civium a regno Juda alienaret, alios senes idem edicentes conquisivisset, scripta Mosis antiquissima indagasset et restituisset, aut saltem hoc praetextu usus fuisset, ad quaepiam sibi contraria e Pentateucho eliminanda aut mutanda, uti historiam de vitulo aureo, leges tribum Levi ministerio sacro deputantes, et praefinitionem mensis, quo festum tabernaculorum celebrandum erat. — Imo quum autographum Mosis in adyto tabernaculi custodiretur, et non tantum omni septennio praelegeretur, sed etiam apographa manibus sacerdotum et plurium laicorum, praesertim judicum, tererentur: nova compilatio libri fieri non potuisset, quin motus atque altercationes ortae fuissent, quae in historia ejus aevi silentio praeteriri non potuissent. Quum horum omnium nihil reperiatur, patet, nostrum Pentateuchum fere ducentis annis esse antiquiorem Salomone; falluntur itaque, qui cum aetate Davidis aut Salomonis auctum et in hanc formam redactum fuisse suspicantur. Ducentis autem annis (i. e. 5 aut 6 generationibus) ante Salomonem, temporibus Judicum, talem compilationem factam fuisse, nemo suspicabitur, igitur liber legis Mosis, qui Jos. 1, 3—8. 8, 31—35. 24, 26. commemoratur, fuit idem cum libro aetate Rehabeami (Roboami), et idem cum Pentateucho Samaritano et nostro.

## §. 12. Argumenta contra γνησιότητα Pentateuchi.

Indicia, quae quibusdam visa sunt arguere, Mosen non scripsisse nisi leges, historica autem recentiori aetate ex traditionibus, seu mythis, fuisse inserta, inprimis redeunt ad narrationem miraculorum; reliqua enim Mosi facile relinquuntur. Innituntur itaque tacito syllogismo: »si Moses hanc miraculorum historiam »scripsisset, vera et divina essent, quae in ipsa nar»rantur miracula; atqui miracula fieri non pos-

»sunt, igitur Moses hanc historiam non scripsit.« Pro concesso itaque ponitur, quod demonstrandum erat; argumenta enim, quibus contendunt evincere, miracula fieri non posse, non sunt nisi inanes verborum lusus, quibus abundant scholae philosophorum, prout historia philosophiae antiquae, recentioris et recentissimae, affatim docet. Quidquid sit, omnia hujus generis argumenta, philosophiae alicui dogmaticae innitentia, in quaestione historica et critica vim non habent. Reliqua autem, quae proferuntur argumenta, non probant, nisi Pentateuchum esse posse, seu historice cogitari posse opus spurium, vel recentiori aevo ex traditionibus consarcinatum, quod autem, si suspicionibus et conjecturis arbitrariis, ut hic fieri solet, indulgere licet, de omnibus fere antiquis libris cogitari potest. Ostendendum autem erat, Pentateuchum nec esse posse, nec historice cogitari posse genuinum Mosis opus; sed necessario et esse et historice cogitari debere opus recentius, et id quidem argumentis historicis et criticis evincendum fuit. Minime sufficit, movisse dubia, protulisse suspiciones, opposuisse conjecturas, arguisse dispositionem operis in fragmenta, observasse aliquam stili et linguae variationem, sed comprobandum erat, characterem scriptoris, argumentum, linguam, stilum, formam et dispositionem operis, atque finem, ad quem totum vel partes aliquae tendunt, Mosi et aetati ac locis commorationis ejus prorsus repugnare, ut ab hoc auctore et ex illa aetate descendere non possit, nec historice ut opus Mosis et ejus aetatis cogitari possit. Nam nequaquam aequalis est adversariorum et defensorum hac in controversia caussa; hi enim arcem habent in subscriptione auctoris Deut. 31, 9—13. 22. 24—26., et in ejus commemoratione Num. 33, 1 — 2. Exod. 17, 14. 24, 4—7, 34, 27., atque in testimoniis, quae inde a Josua, in omnibus libris dispersa sunt (cf. supra

§. 5—8); arx haec est inexpugnabilis, nulla enim testimonia contraria adduci possunt, Pentateuchum fuisse recentiori aevo compilatum; imo neque certa indicia pro hac suspicione proferri possunt, uti e. g., historiam testari, motus de forma, argumento, et amplitudine scriptorum Mosaicorum ortos fuisse. Minutis conclusiunculis suspectam reddidisse illorum testimoniorum fidem, nihil evincit; siquidem conjecturis et artificiis hujus generis, etiam integerrimorum virorum fides in dubium vocari potest, quin labefactetur judici integro; sed ostendendum omnino est, I. ipsum auctorem et omnes subsequentes testes vel non posse vel non velle edicere veritatem, et II. Pentateuchum nulla penitus ratione posse esse et cogitari illius aetatis et auctoris Mosis opus. Si ex dispositione libri per disrupta fragmenta, ex repetitionibus, ex legibus, quae in subsequentibus leguntur mutatae, ex praepostero nonnunquam ordine et aliis similibus observationibus concluditur, opus non esse Mosis: ostendendum est, Mosen non potuisse opus hac ratione digerere. Si ex aliquali stili diversitate probanda est diversitas auctoris: evincendum venit, stilum Mosis per annos sub tot et tantis vicissitudinibus casuum nec potuisse nec debuisse mutari, et Mosen nec potuisse nec debuisse interdum notario dictare, aut scripta a notariis adoptare et sua facere. Et quanta denique est stili diversitas? profecto non tanta, quantam lector observat inter Bar Hebraei Syriacam Dynastiarum historiam et continuationem ejus a p. 573 l. penult.; non tanta, quanta est inter genuina Ciceronis opera et librum de Consolatione ipsi affictum. Diversitates, quae urgentur, sunt minutiae, uti in Exodo semper commemorari Sinai, in Deuteronomio autem Choreb; in Deuteronomio frequentem esse usum verbi בִּעֵר abstulit, in praecedentibus autem libris usurpari נִכְרַת excisus est, et הִכְרִית excidit, etc.; ast docendum fuit,

Mosen per intervallum multorum annorum non potuisse nec debuisse assuescere nonnullis aliis verbis; accedit, Choreb occurrere quoque Exod. 3, 1. 17, 6. 33, 6.; nempe ubi de radice montis sermo est, dicitur Choreb; cacumen autem montis venit nomine Sinai. — Quam nimium urgeant exiguam diversitatem linguae Pentateuchi a lingua recentissimorum librorum sacrorum, jam supra §. 3. et P. I. §. 75. refutavimus, juvèrit tamen quaepiam adjicere. Discrepantia linguae Pentateuchi a lingua Psalmorum et antiquiorum Prophetarum, atque horum a lingua librorum in exilio vel post exilium exaratorum, sane non est nulla, nec tamen magna, sed omnium peritorum consensu tanta, ut ab attento lectore non observari non possit. Psalmi Davidis autem distant a scriptis Nehemiae et Malachiae fere 600 annis, quorum lapsu gens et lingua ingentibus cladibus jactata est: linguae autem variatio in utriusque hujus aetatis operibus non est multo major, quam illa, quae linguam Psalmorum inter et linguam Pentateuchi intercedit, cujus intervallum 500 annis absolvitur, quibus gens et lingua nequaquam tantis stragibus subjecta fuit. Minor linguae mutatio facile explicatur, quod orientales antiquis inhaerere quam novare malunt; quod Hebraei cincti fuerunt gentibus, eadem vel parum diversa dialecto utentibus, et quod scriptores linguam suam lectione Pentateuchi excoluerunt. Denique si Moses, ut adversarii contendunt, scripsit leges, in his tamen linguae diversitas non observatur major, quam in historicis, ut eadem difficultas, quae fingitur, maneat. —

Mirari subit, viros perspicaces, Vater et de Wette, uti argumentis, quorum vim esse nullam, nemo non videt, uti cum dicunt, legem de uno totius gentis altari, antiquiori aevo non adfuisse, quia sacrificabatur in excelsis, ac si violatio legis argumentum esset, legem non exstitisse, quodsi ita, neque decalogus in duabus tabulis exstitit, quia gens toties in idololatriam relapsa est, ac homicidia, furta ac adulteria

committebantur; aut si contendunt, Pentateuchum, si adfuisset, saepius commemorandum fuisse, quod si ita, neque decalogus adfuit, quia non commemoratur usque ad translationem arcae foederis in templum 1 Reg. 8, 9.; nec sabbathum erat, quia non commemoratur usque ad Jesaiam; hujus generis sunt fere reliqua. Hi viri eruditi in ea videntur esse opinione, γνησιότητα librorum antiquorum probandam esse argumentis, quibus in foro civili et criminali facta recentia probanda sunt, quae autem in universa historia antiqua desunt, nec pro ullo libro proferri possunt. — Negari profecto non potest, longe praeponderare argumenta pro origine Mosaica, et adversarios nullum producere posse tesimonium alicujus scriptoris antiqui pro recentiori Pentateuchi origine. Vater imitatus est Wolfium, qui γνησιότητα Odysseae et Iliados similibus et aliquantum validioribus argumentis impugnavit, neque tamen eruditis satisfecit, an igitur Vateri quaesitis conjecturis cedendum erit? perpendant, qui nulla praejudicata sententia ducuntur.

## §. 13. Pentateuchus non fuit refictus.

Quae hucusque pro Pentateucho, a Mose scripto, dicta sunt, abunde quidem sufficiunt; quia vero adversarii fervide urgent, opus fuisse recentiori aevo refictum, hypotheses, quae proferuntur, examinandae veniunt; praemittenda tamen sunt, quae refictioni, in quamcunque aetatem rejiciatur, obstant; quia vero nec ante Davidem, neque post Ezram factam esse, ullus asserit, intervallo inter Davidem et Ezram sistemus.

I. Si opus Mosis fuisset refictum, indoles linguae et stili recentiorem saperet aetatem, offenderentur verba, quae in recentioribus operibus obvia sunt, verba autem, Pentateucho peculiaria, saltem pleraque, et archaismi essent a refictore eliminati; nam haec omnia minutiis deputata, nec adeo studiose curata fuissent. Characterem hunc stili his libris et inprimis Deuteronomonio nullus inprimere, nullus ita totus personam Mosis induere, atque hac ratione ad populum in illis ad-

junctis constitutum loqui potuisset. II. Quiscunque scripta Mosis refinxisse statuatur, (a) non quaelibet, uti in diario fieri solet, prout tempore se se excipiebant, digessisset, ut jam leges, jam gesta, jam monitiones, jam rursus leges referret; (b) nec leges quaspiam toties repetiisset, quoties promulgatae fuerunt; aut (c) saltem leges, quae in Deuteronomio mutantur, in prioribus omisisset, neque etiam (d) post accurate descriptam formam tabernaculi et omnium partium utensiliumque, rursus, quum omnia parata fuissent, totam illam minutam descriptionem omnium partium repetiisset; tale quid hac ratione scribere et repetere non potuit, nisi qui scripsit, cum haec omnia conficienda mandabat, et cum ea confecta recipiebat, ut in publicis actorum commentariis fieri consuevit. III. In opere, quod sub Davide, aut recentiori aetate refictum fuisset, mentio quaepiam honorifica de majoribus stirpis regiae, de ordine successionis, contra Schisma regni; quaepiam de precibus et cantandis in tabernaculo Dei laudibus inprimis Num. 6, 22—27.; quaepiam de aedificando templo; leges contra ebrietatem, aliaque plura exspectanda essent, uti e contrario plura fuissent omissa, quae leguntur, praesertim illa, quae sequiori tempore erant mutata, aut neglecta, uti annus Jobelaeus, dimissio mancipiorum Hebraeorum anno septimo cf. Jer. 34., aut quae invicem pugnare videntur. IV. Decem tribus refictum sub Davide aut recentiori aetate opus vel ideo rejecissent, quia vitulos aureos, sacerdotes qui non sunt de genere Aharonis, et festum tabernaculorum mense octavo, damnat. Conf. Exod. 32. et 16, 8—17, 11.

Dicant jam, qua aetate reficta fuisse scripta Mosis censeant. — 1. Nec Ezras, nec quisquam ejus aetatis hanc potuit linguam et hunc stilum scribere. Ezras ex libro suo notus est, ex quo perspicitur, linguam et stilum Pentateuchi ipsius opus esse non posse. Quae Judaei ac quipiam alii retulerunt,

legem amissam, et ab Ezra, qui eam memoriter tenebat, restitutam fuisse, fabulae sunt. Denique Samaritani opus ab Ezra refictum nunquam recepissent. — II. Sacerdos a rege Assyriae in Samariam missus, ut colonos religionem Jehovae doceret, erat exul et sacerdos vituli, qui multo minus linguam hanc et stilum scribere, ac omnia recentiora evitare potuisset, et saltem illam historiam de vitulo aureo, et mandata illa de sacerdotibus Aharonicis et de festo tabernaculorum mense septimo, omisisset, ut taceam, regnum Judae opus, a sacerdote vituli refictum, nunquam suscepturum fuisse. — III. Chilkias, qui forte, 2 Reg. 22, 8. 2 Paral. 34, 14., sub praetextu codicis in templo inventi, refictum librum obtrudit, unde et territus fuit rex. Verum rex non miratur, inventum fuisse librum Mosis, sed auditis demum ominosis imprecationibus, quarum complementum per Chaldaeos jam jam imminebat, exterritus fuit. Accedit Samaritanos librum a Chilkia, sacerdote Judaeo, refictum rejecturos, et antiquam libri formam conservaturos fuisse. — IV. Sub Davide, ut jam monuimus, inserta quaepiam fuissent de majoribus familiae regiae, et omissae non modo leges regibus scriptae, Deut. 17, sed etiam illae de non expugnandis Moabitis, Ammonitis et Edomitis, Deut. 2, 4 — 9., quos David armis suo subjecit imperio.

Si Ezras non fuit par refingendis scriptis Mosis, multo minus potuit illos integros ex cerebro suo confingere et Mosi supponere, siquidem simul omnia opera, in quibus Pentateuchus allegatur aut adesse ponitur, nempe libros Josuae, Judicum, Samuelis, Regum, Psalmos et prophetas supponere debuisset. Ridendi itaque potius quam refutandi sunt, qui clamant, Ezram libros Mosi supposuisse.

## §. 14. An Moses ipse scripsit?

Si Moses, prout Rich. Simon Hist. crit. du V. T. L. I. Ch. 2. p. 17., conjectavit, non scripsisset nisi

leges, historiam vero notariis publicis, qui prophetae dicti fuerint, scribendam reliquisset, (a) stilus pro variis diversorum auctorum scriptis magis variaret. (b) Notarii prophetae nunquam commemorantur, nec genealogi, שׁוֹטְרִים, proprie scribae, unquam nomine prophetarum salutantur. Esto autem (c), ut hi quaepiam consignaverint, uti e. g. tabulam receptarum partium tabernaculi Exod. 36, 8—39, 31., catalogum populi et Levitarum, castra et ordines Hebraeorum, dona principum Num. 1, 1—4, 49. 7, 1—88. 26, 1—61., et quaepiam alia, quorum stilus acta publica redolet; Moses tamen, ea acceptando fecit sua. Ex quibusdam autem locis adparet, Mosen nonnunquam, more olim valde usitato, notariis dictasse. Denique (d) castra Israelitarum atque adeo historica, teste loco Num. 33, 2. a Mose conscripta fuerunt. — Quae R. Simon protulit Josephi Fl., Rabbinorum et Patrum ecclesiae loca, nec edicunt, quae vult Simon, nec factum tam antiquum contestari possunt.

## §. 15. Genesis ex antiquis documentis collecta.

Quum I. omnis historia antiquioris aevi, ex antiquioribus documentis hauriatur: exceptio pro Genesi, quae historiam Mose priorem exhibet, locum habere nequit. II. Diversae inscriptiones, quae in primis capitibus Gen. 2, 4. 5, 1. 6, 9. 10, 1. 11, 10. 27. recurrunt, monent lectorem, haec totidem antiquiora esse documenta. Idem confirmat III. stili variatio, quae saltem usque ad historiam Josephi observatur, nec characterem Mosaicum refert. Conf. inprimis Gen. c. 14. et c. 23. ac c. 5 et c. 10., et IV. constans in locis etiam fusioribus nominum יְהוָה et אֱלֹהִים usus. Cf. Calmet praefat in Pentat. Tobenz Instit. S. Script. P. II. p. 15.

Nomen quidem יְהוָה primum Exod. 3, 14. 6, 2, seqq. ortum fuisse videri posset; ast observandum est, nomen hoc ad Aramaeam radicem הֲוָה vel הֲוָא, accedere, et Exod. 3, 14.

duntaxat per Hebraicum אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, ero qui fui, et יִהְיֶה erit, explicari. Altero vero loco Exod. 6, 2. non dicitur, nomen prius fuisse ignotum, sed id, quod hoc nomine significatur, non fuisse experientia cognitum, nempe, Deum non ipso opere Patriarchis ostendisse, se esse יְהוָה, seu semper eundem, qui opere promissiones compleat, quod aetate demum Mosis apparuit. Quamquam autem nomen hoc Dei multo est Mose antiquius, minus tamen frequens, et in lingua quidem primaeva prorsus ignotum fuisse videtur, ut Gen. c. 2 et 3. c. 4, 1. 14, 22. etc., cum alio obsoleto nomine Dei permutatum fuerit, sicut et alia Hebraica nomina propria, quae ex aetate ante diluvium, quando nondum erat lingua hebraica, occurrunt, ex antiquiori lingua conversa sunt. Cf Tobenz l. c. p. 17.

## §. 16. Monumenta in Genesi collecta.

Astruc 1753 primus observavit, in Genesi antiquiora documenta esse collecta, et quidem numero 12, ac ex his capita quoque prima Exodi hausta esse contendit, quod vix quisquam cordatus ipsi dabit. — D. Eichhorn Einleit. ins A. T. II. Th. §. 416 — 427. haec ita refinxit, ut documenta duntaxat duo, alterum Dei nomine יְהוָה, et alterum nomine Dei אֱלֹהִים insigne, statuat. — D. Ilgen Urkunden des Jerusalemischen Tempelarchivs 1798. tria documenta, quorum duo nomine Dei אֱלֹהִים, tertium Dei nomine יְהוָה, distinguit. — Haec quidem omnia subtiliter excogitata sunt, nequaquam vero res eo deducta est, ut una omnibus probaretur sententia. Quaelibet (a) innititur opinionibus a longe quaesitis et arbitrariis, et (b) collectorem sistit fere talem, qualis ipse est hypotheseos cujuslibet auctor. Possent (c) aliae hujusmodi hypotheses exornari, uti reapse novam proposuit Kelle 1811 — 12. (Vorurtheilsfreye Würdigung der Mosaischen Schriften); neque tamen ulla unquam omnibus arridebit; quodsi (d) aliqua subtilioribus argumentis stabiliri posset, emolumentum tamen id esset unicum, ut do-

cumenta ex quibus Genesis collecta est, numerare possemus. Cf. Tobenz l. c. p. 15 et 16, Janssens l. c. Vol. 1. p. 163.

## §. 17. Aetas horum documentorum.

Aetatem horum documentorum definire, indiciorum defectus prohibet; id tamen ex indole et charactere eorum liquet, esse antiquissima, et priora quidem multo antiquiora quam postrema. Nam I. Lingua in primis fragmentis est jejuna, pauper et passim duriuscula, in progressu ditescit, et fit magis flexibilis, ubique tamen offenduntur voces obsoletae et antiquitate obscuratae, quae nonnunquam paucis explicantur, uti ערום Gen. 2, 25. 3, 1. nudus et callidus, כפר Gen. 6, 14. et משק Gen. 15, 2.; אברהם Gen. 17, 5. addita expositione אב המון גוים, בית הסהר Gen. 39, 20. addita explicatione מקום אשר אסירי המלך אסורים; נבלו Gen. 11, 7.; שם pro signo Gen. 11, 4.; שוף Gen. 3, 16. cum notione, quae aliis locis Job 9, 27. Ps. 129, 11. non congruit. Ita quoque phrases peculiares: Gen. 9, 19. נפצה כל־הארץ: ; Gen. 10, 18. נפצו משפחות:, ac Gen. 10, 4. מאלה נפרדו איי הגוים etc. Hinc quoque est illa obscuritas geographica in Gen. 10 et 14. II. Vitae ratio simplicissima, de Aegypto duntaxat in sequentibus major refertur luxus, de quo etiam profani scriptores, et rudera aedificiorum testantur. III. Quaepiam primis lectoribus notiora fuisse ponuntur, uti de Lamecho Gen. 4, 23—24., de gigantibus Gen. 7, 4.; de Nimrodo Gen. 10, 9., quae arguunt, haec documenta ex aetate descendere, qua de his viris plura pervulgata erant. Cf. Janssens l. c. p. 164.

Quae pro recentiori aetate horum documentorum proferuntur, jam sexcenties ab interpretibus repulsa sunt, ut cum dicitur, Canaanaeos tum fuisse in regione Gen. 12. 6., ac si recentiori aevo id fuisset ignotum quod nec simplicissimus Hebraeorum nescivit; verum indicatur, jam tum adfuisse; aut cum prolepsis nominum Bethel, Zoar Gen. 12, 8.

13, 3. coll. 35, 1. 13. 14, 2. 8. coll. 19, 22 — 23., et similium obtinet, quae tantum arguit, non ante exorta haec nomina; non autem multo recentiori aevo scripta esse; ita etiam si Gen. 36, 31. dicitur, Edomitis fuisse reges, antequam Hebraei reges haberent, quod respicit ad Gen. 17, 6. 16., ubi reges ex posteris Abrahami orituri promittuntur etc.

## §. 18. Fides historica horum documentorum.

Documenta haec, utcunque antiqua, gestis tamen, quae referunt, recentiora sunt, ut notitiae hae historicae aliquo tempore, et partim multis seculis traditione orali propagatae fuerint; narrationis tamen substantia non fuit depravata; nec sunt fictiones aut allegoriae, quibus antiquissimi sapientes philosophemata sua tegere voluerint; neque sunt mythi, aut historiae mythis mixtae, similes illis, quas gentes aliae de aevo antiquissimo referunt, sed historiae sunt certae; nam relationes hae I. mille fere annis citius, quam mythi antiquissimarum gentium, scripto exaratae fuerunt. Antiquiori autem aetate adeo longaevi erant homines, ut opus non fuerit, eas per ora multarum generationum transire; nam Methuschelach primis 243 vitae annis Adamum, et postremis 600 annis Noachum coaevum vidit, qui et ipse rursus postremis 58 annis Abrahamo coaevus vixit. — Historia Abrahami, Isaaci et Jacobi paulo post literis mandata fuit, ut taceam, a Jacobo usque ad Mosen non intercessisse nisi quatuor generationes. (Vide infra not. 1 et 2.) Accedit religiosos illos patriarchas, notitias has ut fundamentum religionis, maximi fecisse, filiis inculcasse, et senes centies repetitas rursus saepius repetiisse, ut non facile minus recte intelligi aut perverti potuerint. Quae in carmina redacta erant, quorum vestigia occurrunt Gen. 4, 23 — 24., multo adhuc facilius memoria tenebantur, et perverti non poterant, quin membrorum parallelismus turbaretur, aut melodia dissentiret, et mutatio mox observaretur, et corrigeretur. II. Quo antiquiores et diutius traditione conser-

vatae sunt hae relationes, eo pauciora referunt, et eo quoque sunt obscuriores; quo vero sunt recentiores, eo etiam sunt locupletiores; ex quo liquet, collectorem omnia incerta et suspecta, quae ex antiquiori aevo forsan plura aderant, repudiasse, nec recepisse nisi certa, atque ad dispellendas hinc inde tenebras vix quaspiam minutias adjicere ausum esse. III. Res et gesta, quae narrantur, simplicissima sunt, et illis, quae ab aliis gentibus de antiquissimo aevo referuntur, prorsus dissimilia; quodsi in quibusdam tenuis quaepiam cum eisdem deprehenditur similitudo, apparet tamen, haec ficta aut figmentis aucta et perversa esse, nostra autem simplicem veritatem edicere, prout illi ethnici, illiterati non minus quam literati, qui primis fidei temporibus ad his mythis a Biblia accesserunt, sine haesitatione agnoverunt. IV. Mythi seu narrationes incertae aut figmentis auctae, vel si placet, philosophemata allegoriis vestita; singularia sunt fragmenta, quae nec ad se invicem, neque ad historiam, ullam realem dicunt rationem; in nostris vero documentis omnia inter se et cum historia certa indissolubili nexu cohaerent. V. Mythi scatent figmentis, inprimis de diis et deabus, de semidiis, eorumque omnium bellis et obscoenis etiam commerciis cum foeminis et viris; porro de daemonibus, heroibus, nymphis, metamorphosibus, de inventoribus rerum utilium, et auctoribus seu stirpibus familiarum illustrium, quos ex concubitu deorum dearumve cum hominibus, descendere fabulantur; in nostris vero fragmentis nihil simile, sed unus Deus creator et rector universi, qui religionem et morum probitatem curat, perpetuo laudatur, et omnia ad condendam, tuendam et promovendam hanc eandem religioni innixam probitatem conspirant, atque felicius aliquando aevum annunciant, quo vera religio et probitatis studium ad omnes gentes propagandum esset, quod et opere completum esse, neque pertinacissimus negare audet. VI, Quodsi

concedere quis vellet, has nostras historias alteratas fuisse, praecipua tamen capita, quibus subsequens historia innititur, suspecta esse nequeunt, ut addita aut ficta sola essent illa mirabilia, nempe revelationes divinae; ast repugnat, homines illos quoscunqne, qui has revelationes finxisse putantur, praesagire potuisse, posteros suos religionem hanc non modo esse constanter retenturos, sed etiam quondam ad omnes alias gentes propagaturos; Gen. 12, 3. 18, 18. 22, 18. 26, 4. 28, 14. Imo viri illi neque per semet ipsos hanc Dei ideam, quae in his documentis ubique obvia est, invenire potuerunt. VII. Si hae narrationes, ut mythi aliarum gentium, mutatae fuissent, profecto, quum morum probitas ubique inculcetur, illa, quae offendere possent, improba, aut ambigua, personis primariis parum honorifica omissa fuissent; debilitas Isaaci (filii parentum senum) in majorem ejus senectutem relata fuisset; sermones Jacobi Gen. 43, 1—14. et Judae Gen. 44, 18—34. non forent personis adeo accommodati; quae sistitur indoles personarum, exorbitaret, neque sibi similis per omnem aetatem cujuslibet persisteret; anni 400 Gen. 15, 13. mutati essent in 430.; apparentes antilogiae compositae essent; denique tota narratio illi rerum cursui, qui in historia alias observatur, non esset per omnia consentanea.

1. Longaevitatem hominum primae mundi aetatis permulti quidem mythis accensent, hac sola ratione ducti, quod corpus hominis tot annos subsistere nequit: ast illa aetate, imprimis ante diluvium omnia fuisse eadem, quae nunc sunt, affirmare nemo sanus potest: hinc eandem fuisse hominum aetatem, quae nunc est, quis affirmare ausit? Quum omnes aliae gentes longaevitatem hominum illius aetatis plurium millium annorum referant: nostra documenta, longaevitatem minimam statuentia, in suspicionem adduci non possunt.
2. Communis sententia fert, Exod. 7, 14—19. aliquas generationes esse omissas, quia 430 annis non quatuor, sed 13.

generationes respondent; verum cum Gen. 15, 13. disertis verbis quatuor generationes 400 annis aequiparentur, et illi quoque 215 anni, quibus Abrahamus, Isaacus et Jacobus in Canaan versati sunt, duas tantum generationes exhibeant: liquet, generationem eo aevo, non, ut aevo multo recentiori 34, sed 100 annis absolutam fuisse. Cf. Num. 27, 1.

## §. 19. Argumenta pro mythis in Pentateucho.

Argumenta, quae contra fidem horum documentorum proferuntur, non efficiunt, fuisse alterata, sed duntaxat alterari potuisse, id vero est, nihil efficiunt; a possibili enim ad actum non est legitima concludendi ratio. Quae producta sunt, ut doceretur, narrationes sinceras esse non posse, vana sunt. Sic e. g. quum asseritur, protoparentes ea, quae Gen. 2, 5—3, 25. referuntur, defectu verborum non potuisse narrare, et, quum lingua verbis aucta esset, non potuisse recordari eorum, quae annis primis infantiae contigerant, quia sine verbis non est rerum memoria nisi obscura. Ast neutrum hic quidem locum habet; nam protoparentes primo momento erant adulti, qui omnes animi facultates et omnia corporis membra ad usum habebant expedita; aderat quoque facultas et stimulus loquendi, quare mox notiones capere et loqui incipiebant: et quum illa, quae primis temporibus, aetate qua erant adulta, observabant, aut a Deo quacunque ratione docebantur, eo ipso, quod prima erant, vehementius ferirent sensus et animum: altiori quoque manebant mente reposta, ut tota reliqua vita eorum facillime recordarentur, et quum lingua paulisper esset locupletata, narrare possent. Cf. Meyer Apologie der geschichtlichen Auffassung der historischen Bücher des A. T. 1811. Sulzbach.

## §. 20. An Gen. 1, 1—2, 3. antiquius documentum.

An historia creationis Gen. 1, 1—2, 3., antiquioribus quoque documentis accensenda sit, disputatur. Id quidem dubio caret, doctrinam de Deo creatore at-

que adeo etiam de creatione et ortu rerum omnium, per totam Genesin notam esse: nam omnia haec documenta eo fine referuntur, ut doceatur, doctrinam hanc protoparentibus fuisse revelatam, et singulari dispositione divina usque ad Abrahamum conservatam atque porro conservandam, et quondam ad omnes gentes propagandam esse. Quaepiam hujus historiae creationis in sequentibus diserte repetuntur, ut Gen. 6, 7. 5, 1 et 9, 6. 14. 19. Qua vero aetate haec narratio literis mandata, sit, defectu historiae expediri nequit. Antiquior tamen I. esse videtur quam narratio diluvii; nam nihil hic de discrimine animalium mundorum et immundorum, nulla distinctio volucrium juxta alas et ungues, nec eadem est divisio animalium, quae in historia diluvii deprehenditur. II. Antiquior quoque esse videtur quam genealogia Gen. 5., et lex contra homicidas Gen. 9, 6.; nam duo haec documenta Gen. 5, 1 — 2. et 9, 6. memorant imaginem Dei in homine, quae Gen. 1, 26 — 27. docetur. III. Videtur esse antiquior Mose et omnibus reliquis documentis Geneseos; nam (a) non solum f u n d a m e n t u m e s t t h e o l o g i a e totius Geneseos, sed etiam (b) l i n g u a verborum penuria laborante concepta est; (c) omnia o p t i c e et prout in sensus cadunt, sistit; (d) d i e s non numerat, ut Moses, a vespera ad vesperam, sed a vespera ad mane; (e) a n i m a l i u m duo duntaxat facit genera, alterum quidem aquatile et volatile, alterum vero terrestre; animalia terrestria porro dividit in cicuria, fera, et reptilia, omnia secus ac Moses; (f) animalia i m m u n d a prorsus ignorat; (g) denique in p r a e c e p t o S a b b a t h i Exod. 20, 8 — 9. 31, 12 — 17, disertis verbis allegatur, nec Deut. 5, 12 — 14. prorsus siletur, neque Exod. 31, 13. 17. (conf. Ezech. 20, 12 — 20.) excluditur, imo jam Gen. 7, 4. 10. 8, 10. 12. 29, 28. obiter attingitur.

Cui vero aetati haec historia creationis debeatur, ex eo conjici aliquatenus potest, quod tota collineat ad

id ut divinus creaturarum cultus, ad quem homines primae mundi aetatis proclives erant, praecaveatur; quare haec doctrina ex prima hominum aetate descendere videtur; literis vero mandata fuerit durante commoratione in Aegypto, ubi sol, luna, astra, diversa animalia et plantae colebantur, et malus quoque deus Typho existere credebatur, et multi Israelitarum ad idololatriam seducti fuerunt. Hinc haec historia creationis quae fundamentum est totius theologiae Pentateuchi, Prophetarum et Psalmorum, non exhibet, ut quipiam opinantur, figmentum, creatio enim non est f i g m e n t u m; nec est repraesentatio creationis p o ë t i c a, poëticum enim in ea nihil occurrit; neque p h i l o s o p h e m a est alicujus antiqui sapientis, hujusmodi enim documentum, teste historia, vires sapientissimorum virorum totius antiquitatis longe superat; exhibet itaque, prout et ipsa narrationis ratio prorsus historica innuit, historiam. Quum vero creatio Universi a teste, qui nullus fuit, referri non potuerit, patet, eam ex revelatione divina descendere, qua primi homines eo modo, quo capere poterant, edocti sunt, n i h i l e s s e d i v i n u m a u t c o l e n d u m n i s i c r e a t o r e m, r e l i q u a v e r o o m n i a u s u i h o m i n u m d e s t i n a t a e s s e, u t n o n s i n t h o m i n u m n u m i n a, s e d h o m o i l l o r u m s i t D e u s.

## §. 21. Qua ratione haec monumenta digesta sint.

Argumentum, indoles, dispositio et elocutio horum monumentorum indicia ubique exhibet, illum, qui ea collegit, eadem cum religione illis usum esse, qua ante eum custodita fuerant; nam I. ea intacta reliquit, quod non modo s t i l i v a r i a t i o, sed u s u s q u o q u e d i v e r s o r u m n o m i n u m D e i יְהוָֹה, אֱלֹהִים et יְהוָה אֱלֹהִים pro diversitate monumentorum, et retentio inscriptionum probat. In primis undecim capitibus monumenta,

prout erant, in ordinem redacta sunt; in reliquis arctior nonnihil observatur nexus, stilus tamen passim variat, imprimis c. 14 et 23. Redactor nequidem discrepantias in nominibus uxorum Esaui, Gen. 26, 34. 28, 9. 36, 2. 3. tollere, sibi permisit. In historia Josephi stilus uniformis quidem, nequaquam tamen stilus Mosis est. Sermones, qui adducuntur, indoli personarum adeo congruunt, ut reficti esse nequeant, conf. Gen. 43, 1—14. 44, 18—34. 45, 1—28, II. Quaepiam quidem praetermissa esse videntur, ut Gen. 2, 4., ubi inscriptio aliam historiam creationis promittit, sed demum ea tantummodo leguntur, quae priorem c. 1, 1—2, 3. supplere possunt. Nullum autem est indicium, alia adjecta fuisse nisi pauca ad explicationem quorundam verborum obsoletorum, et fortasse hinc inde vocula ad connectendas diversas partes, ac fortasse quaepiam ad supplendam recentiorem historiam, ut Gen. 36, 31—43. — Doctrina de vero Deo cum reliquis ea ratione connexa est, ut recentiori aevo inserta esse nequeat. III. Hinc inde duo documenta in unum coaluerunt; sic caput quintum Geneseos insertum est documento Gen. c. 4, 1—26. et c. 6, 1—6.; nam Gen. c. 4, 1—26. cum c. 6, 1. arcte cohaeret; sic quoque in historia diluvii duo documenta commixta sunt; nam repetitiones ejusdem rei, variatio stili cum usu diversorum nominum Dei pari passu procedunt. IV. Nihil pro arbitrio mutatum fuisse, liquet non tantum ex repraesentatione indolis cujuslibet personae, quae sistitur perpetuo sibi constans, naturae conveniens, et nullibi abnormis; sed etiam ex eo; quod, quae patriarchis non sunt honorifica, candide referuntur, Gen. 9, 18—27. 12, 11—20. 20, 1—18. 13, 6—11. 19, 31—38. 27, 5—29. 30, 37—42. 34, 25—29. 37, 18—28. 38, 7—27. etc. Cf. Tobenz. l. c. p. 16.

Mosen esse, qui haec monumenta collegit, jam supra §. 9. ostendimus.

## §. 22. Editio Pentateuchi.

Mosen scripsisse commentarium rerum gestarum, patet ex Exod. 17, 14. 34, 27. Num. c. 33, 1—2. et aliquas etiam partes mox edidisse, colligimus ex Exod. 24, 7. et ex accuratis illis praefinitionibus totius apparatus ad cultum divinum Exod. 25, 1—31, 18., quae forma actorum exaratae sunt, et quibus artifices alioquin sine scripto documento satisfacere non potuissent; eandem actorum formam refert etiam tabula receptarum partium sacri tabernaculi Exod. 36, 1—40, 33., census populi, relatio donorum, et descriptio castrorum ac ordinis tribuum Num. 1, 1—4; 49. 7, 1—88. 26—65. Haec, et fortasse quaepiam alia, a notariis scripta, Moses adoptando, sua fecit, et scriptis suis adjecit. Ita etiam illa, quae sacerdotibus mandata erant, mox eisdem scripta tradi et ita edi debebant. Ultimis autem annis Moses pro singulari sua cura, qua futuris quoque aetatibus providebat, omnia digessit, atque aliqua addidit, aut in alium locum conjecit, uti leges de festo Paschatis, Exod. 12, 15—20., et asservationem Mannae in tabernaculo, Exod. 16, 32—34. — Deuteronomium exaravit anno quadragesimo; saepius enim meminit victoriae, quam hoc anno Israelitae de Sichon et Og retulerunt, Deut. 1, 4. 2, 14—3, 19. 4, 1—4. 46—49., prout et haesitationem suam ad aquam contradictionis, Num. 20, 7—13., saepius deplorat, Deut. 1, 37. 3, 23—29. 4, 21—22. 31, 2. Totum autem opus edidit paulo ante mortem, quum illud sacerdotibus et principibus populi traderet, ut in adyto tabernaculi penes arcam foederis asservaretur, Deut. 31, 9—13. 24—26.

Divisio scriptorum Mosis in quinque libros, commemoratur primum a Josepho Flavio, facta autem esse videtur, quum

post exilium Pentateuchi lectio in Synagogis institueretur. Hinc jam in versione Alexandrina observatur. In antiquo foedere perpetuo nomina singularis numeri usurpantur.

---

# Caput secundum.

## De libro Josuae.

### §. 23. Argumentum libri Josuae.

Liber Josuae narrat res gestas post obitum Mosis, nempe explorationem urbis Jericho, transitum populi per Jordanem, circumcisionem eorum, qui, ob incommoda itineris per Arabiam, non fuerant circumcisi, celebrationem primi paschatis in regione Canaan, ac occupationem urbis Jericho, quae diris devota fuit, c. 1—6. — Repulso assultu urbis Ai, et animis populi dejectis, sorte deprehensum est sacrilegium Achanis, quo lapidato capta est Ai, atque demum mandato Deut. 27. satisfactum, c. 7—8, — Foedus, ad quod Gibeonitae obrepserunt, occasionem ulterioribus praeliis praebuit; nam quum novis his sociis bellum a rege urbis Jebus seu Jerusalem; et a reliquis Canaanaeorum australium regibus immineret; Josua suppetias tulit, et omnem fere Canaan australem devicit. Paulo post reges Canaanaeorum borealium, bellum parantes, praevenit, et ingenti clade prostravit, qua totam fere aquilonarem Canaan cepit, c. 9—12. — Anno 7mo vel 8vo post irruptionem, regio geographice descripta, et per sortem in tribus divisa fuit, qua occasione partitio regionis trans Jordanem repetitur. Designatae sunt urbes asyli, ubi rursus urbes asyli trans Jordanem repetuntur. Levitis traditae sunt urbes 48, ex quibus 14 in australi regionis parte cesserunt sacerdotibus; c. 13—22. Denique referuntur duo comitia et obitus Josuae c. 23—24.

## §. 24. Scopus auctoris.

Ex hac expositione argumenti patet, auctorem voluisse edocere lectores, qua ratione illae Patriarchis toties repetitae promissiones de possessione Canaan, opere completae fuerint, et quaenam pars cuilibet tribui obvenerit; hinc etiam antiquiorem occupationem et partitionem regionis trans Jordanem repetit, Jos. 12, 1—6. 13, 7—33. 20, 8. Recentiorem mutationem partitionis non attingit; nam occupatio urbium Hebron et Debir per Calebum, Jos. 15, 13—19., sub Josua contigit, et Jud. 1, 10—15. 20. duntaxat ex antiquiori aevo in memoriam revocatur. Quae de tribubus Juda, Ephraim, et Manasse Jos. 15, 63. 16, 10. 17, 12—13. leguntur, non arguunt recentiorem aetatem. Denique loca Jos. 15, 9. 18, 25., quibus urbes Gibeonitarum; nempe Kirjath Jearim tribui Juda, Gibeon vero, Beeroth et Kephira tribui Benjamin adscribuntur, haud respiciunt historiam 2 Sam. 4, 2. et 21, 1—6. commemoratam; nam Gibeon mox Jos. 21, 17. sacerdotibus traditur; unde liquet, has urbes Gibeonitis, qui servi erant sacri tabernaculi, relictas quidem, sed tamen ditioni certarum tribuum addictas fuisse.

## §. 25. An Josua libri Auctor?

Quum lingua non solum a Chaldaicis et recentioribus verbis immunis, sed etiam linguae Pentateuchi affinis sit: nonnulli arbitrantur, librum esse ipsius Josuae, idque sequentibus argumentis evincere contendunt. I. Josua dicitur c. 24, 26. pertractata libro legis divinae adjecisse, ut liber Josuae sit quasi continuatio quaepiam Deuteronomii; cujus postrema duo capita ab eodem Josua adjecta videri possunt. — Ast Jos. 24, 26. non de libro nostro, sed de sola restauratione foederis cum Deo agitur. II. Ubi mors et sepultura Josuae, c. 24. 29. seqq., refertur, stilus variat, non secus ac

in narratione mortis et sepulturae Mosis, et Josua, prout ibi Moses, servus Dei salutatur, quod argumento est, haec ab alio scriptore sacro adjecta esse. III. Auctor se gestorum fuisse participem innuit, Jos. 5. 1. IV. Liber totus spirat legem Mosis, quod pro Josua, individuo Mosis ministro, apprime facit. —

## §. 26. Liber est aetate Josuae recentior.

Qui statuunt librum esse multo recentiorem, plura adducunt, quibus nihil evincitur, non desunt tamen alia, ex quibus id verisimiliter concluditur. Nam I. legitur Jos. 15, 63., Judaicos, seu ex tribu Juda oriundos, habitasse Jerosolymis cum Jebusaeis qui a tribu Juda devinci non potuerant. Hoc incolarum consortium ortum est expugnatis post obitum Josuae Jerosolymis; tum enim sedes ibi figebant Judaici, atque Jebusaei quoque, ex arce Sion quae intacta manserat descendentes, domicilia sibi vendicabant. Id quidem solum, non penitus evincit, librum post mortem Josuae scriptum esse, quia, quod Jud. 1, 8. post mortem Josuae narratur, ex Josua repetitum esse posset. Verum II. ad contestandam illam cladem Canaanaeorum australium refertur Jos. 10, 12—15. aliquid ex סֵפֶר הַיָּשָׁר, libro justorum i. e. victorum, quo testimonio de gestis, quae erant ea aetate omnibus notissima, nec Josua, neque alius aequalis, sed auctor duntaxat recentior uti potuisse videtur. Cf. Tobenz l. c. Part. II. p. 18 seqq. Janssens l. c. Vol. II. p. 267. seqq.

## §. 27. Aetas libri Josuae.

Librum scriptum esse ante 7mum annum regni Davidis, liquet ex Jos. 15, 63., ubi refertur, a tribu Juda non potuisse Jerosolymis eliminari Jebusaeos, et hinc eos cum Judaicis hanc urbem incolere, quin ulla fiat mentio de expugnatione arcis Sion sub Davide; qui hostes imbecilles et innocuos ex contemtu non expulit.

Recentior aetas ex mentione montium Juda et Israel, Jos. 11, 16. 21., nequaquam evincitur; nam haec nominum oppositio non modo primis septem annis regni Davidici, sed aevo quoque antiquiori locum habuit, et ex eo primitus orta est, quod Juda, Gen. 49, 3—10., a patre praerogativam primogeniti accepit. Hinc aliis quoque locis ante schisma, Juda ab Israel discernitur, et Juda opponitur tribui Ephraim seu Joseph, quae alteram primogeniti praerogativam obtinuerat, 1 Sam. 11, 8. 15, 4. — Si porro liber Judicum non post septimum regis Davidis annum, vel, prout deinceps ostendemus, non post primos annos regis Sauli scriptus fuit; liber Josuae ante hoc tempus scriptus sit oportet; auctor enim libri Judicum manifeste librum Josuae editum ponit, nam Jud. c. 1, 1. et c. 2, 6. 8, exorditur ab obitu Josuae, quo liber Josuae clauditur, et, nisi liber Josuae adfuisset, auctor libri Judicum ab occupatione et partitione Canaan, quae consilio ipsius accomodata erat, exorsus fuisset. — Qua vero aetate, et a quo scriptus fuerit liber, expediri nequit; nomen autem a gestis Josuae, quae narrat, adeptus est.

Samaritani satius duxerunt, duos sibi novos libros Josuae cudere, quam a Judaeis unum librum genuinum recipere. Primus orditur ab obitu Mosis, et definit in Alexandro Severo, Append. ad Hottingeri Exercitat. Antimorinian. Tig. 1644. Alter orditur ab Adamo, et definit anno 898. Hegjrae, i. e. 1492., Samaritanischer Briefwechsel in Eichhorns Repert. für Bibl. und Morgenländ. Literat. I. Th. S. 117—159.

## §. 28. Liber Josuae ex documentis antiquis excerptus est.

Librum Josuae ex antiquis et coaevis documentis excerptum esse, sequentia comprobant. I. Exemplum Mosis, res gestas literis mandandi, exspectare jubet, historiam quoque de gestis gravissi-

mis, quibus promissiones Patriarchis factae, opere completae sunt, mox scripto exaratam fuisse, inprimis quum definitio limitum inter diversas tribus, ne temporis progressu lites et bella intestina orirentur, scriptum documentum exigeret. Id II. confirmatur disertis testimoniis; nam Josuam geographicam descriptionem regionis curasse, legimus Jos. 18, et restaurationem foederis cum Deo, literis mandasse, narrat auctor Jos. 24, 25.; unde recte concluditur, etiam reliqua hujus aetatis gesta gravissima in commentarium relata fuisse. III. Auctor libri absque commentario authentico et coaevo non potuisset tot minutas definitiones limitum cujusvis tribus referre, nec sermones Calebi c. 14, 6—12., Phinechazi (Phinees) c. 22, 18 — 20., tribuum trans Jordanem c. 22, 21—30., atque ipsius Josuae c. 23 et 24., indoli cujuslibet tanta accuratione accommodare, neque omnia ita disponere, ut legem Mosaicam spirarent; denique sine documento c. 5, 1. non fuisset locutus ut gestorum particeps, neque scripsisset, meretricem Rahab usque ad hodiernum diem habitare inter Israelitas, quin de nuptiis ejus cum Salmone, filio Nahassonis, mentionem faceret; quae omnia simul arguunt, documenta illa fuisse gestis coaeva. IV. Ipse auctor libri disertis quoque verbis allegat librum justorum, Jos. 10, 13.

Ex notatione, quae saepius recurrit: in regione Canaan, Jos. 22, 9—11. 32., apparet, auctorem documentorum fuisse genealogum vel Levitam spectabilem trans Jordanem, nam etiam de erecto altari diligentius agit, et sermones Phinechazi et tribuum trans Jordanem, plenius refert, ac si praesens fuisset; e contrario relationem Phinechazi in comitiis paucis absolvit. Ex plenioribus sermonibus Jos. 23 et 24. colligitur auctorem etiam comitiis interfuisse. Hinc apparet, ex notatione: in regione Canaan, inepte conclusum fuisse, auctorem vixisse exulem in captivitate Ba-

bylonica; nam illa notatio est auctoris documentorum coaevorum non redactoris nostri libri.

## §. 29. Liber Josuae fide dignus.

Auctorem illa documenta religiose excerpsisse, atque fide dignum esse, indubia indicia docent. Nam I. *sermones* Rahabae, Calebi, Phinechazi, tribuum trans Jordanem, et Josuae characteribus personarum adprime convenientes, auctor ex commentario suo ad verbum descripsit, atque in reliquis quoque, more historicis orientalibus consueto, adeo verborum tenax erat, ut c. 5, 1. scriberet: donec *transiissemus*, etc. 6, 25, Rahab habitat inter *Israelitas usque ad hunc diem*. Hinc etiam tribus *non adducit ordine geographico*, sed ordine illo, quo in documento sese sequebantur, nempe eo, quo partem regionis per sortem acceperunt, Jos. 15—16. *et* 18—19. Pluribus quoque vocibus et phrasibus utitur, quae in Pentateucho leguntur, in sequentibus autem libris raro aut nunquam recurrunt, et aliis, quae in libris sequentibus frequentes sunt, non utitur. Denique *Josuam sine ulla mentione honorifica* usque post obitum, nominat, prout in documento suo invenerat, neque Jos. 17, 13. adjicere ausus fuit, Hebraeos demum a Canaanaeis, quos tributarios fecerant, in idololatriam inductos fuisse, unde liquet, commentarium scriptnm fuisse, antequam id accidisset. II. Liber ab Hebraeis ea aetate receptus fuit, qua, quia ille commentarius adhucdum aderat, fides auctoris explorari poterat, et gesta erant notissima, uti etiam refertur occupatio et partitio regionis ab Asapho Ps. 78, 53—65. *conf.* Ps. 44, 2—4. clades Canaanaeorum a coaevo Davidis Ps. 68, deficientes aquae Jordanis Ps. 115; 1—5. 66, 5—6. Habak. 3, 8. tabernaculum Silunte Jud. 18, 31. 20, 1. 18. 26. 1 Sam. 3, 21. III. Denique omnia illi aetati accurate respondent.

Sermones Josuae c. 23—24 fere nonnisi phrasibus Mosaicis, praesertim iis, quae in Deuteronomio occurrunt, contexti sunt, quod in sermone Calebi c. 14, 8—12. Phinechazi et tribuum trans Jordanem c. 22, 11—34. non observatur; cuilibet autem singularis character loquentis impressus est.

## §. 30. Indoles textus libri Josuae.

Difficultates ex mendis nascuntur, quae textus passim contraxit, quod in libro tantae antiquitatis aliter cadere non potuit, inprimis in tot nominibus propriis urbium, in quibus errores, praesertim omissiones, facile committuntur, et non facile observantur, ut corrigi possent. Sic Jos. 15, 60. versio Alexandrina 11. urbes addit, quae in Hebraico textu desiderantur; Jos. 15, 32. numerantur 29 urbes, ubi prius c. 15, 20—31. nomina 36 urbium adducta fuerant; c. 15, 33—35. urbes 15 nominantur, et c. 15, 36. numerantur duntaxat 14. Vide porro Jos. 15, 15. 30. 38. et conf. Jos. 19, 6. cum 1 Paralip. 4, 32.; Jos. 19, 22. cum 1 Paralip. 6, 62.; Jos. 19, 7. cum 1 Paral. 4, 32.—Masora injuste damnat duos versus Jos. 21, 36—37., quos non tantum 384. codices, et quidem optimi et antiquissimi, 141 editiones, et omnes quoque antiquae versiones, in Bibliis polyglottis Londinensibus excusae, excepta unica Pheschito, referunt, sed etiam locus parallelus 1 Paralip. 6, 63—64. exhibet, et contextus quoque jure suo reposcit. Accedit, omissionem ob similiter desinens fuisse facillimam, translationem vero ex 1 Paral. 6, 63—64. in librum Josuae, ideo non esse probabilem, quia series orationis absque illis duobus versibus sibi non constat.

# Caput tertium.

## De libris Judicum et Ruth.

### §. 31. Argumentum libri Judicum.

Tres partes libri Judicum: c. 1 — 16.; c. 17 — 18.; et c. 19 — 21., inter se non cohaerent, nisi quatenus gesta ex aevo Judicum referunt, et eatenus etiam liber Ruth huc pertinet. Auctor partis primae exponit c. 1., quaenam tribus post obitum Josuae Canaanaeos expugnaverint, et quae eosdem solummodo tributarios fecerint, ideoque per legatum divinum annunciatum fuisse, paulo post futurum esse, ut Canaanaei Hebraeos in idololatriam inducant, et ipsis praevaleant. Hoc illustrat auctor c. 2, 7 — 3, 6. ex historia, et incipiens ab ultimis Josuae comitiis observat, Hebraeos, quamdiu regi Deo fideles erant, hostibus superiores, et rebus prosperis usos fuisse; quando vero Canaanaeis parcebant, et matrimonia cum ipsis contrahebant, ab ipsis ad idololatriam fuisse inductos, et tandem ab aliis gentibus victos et sub jugum missos; si vero his calamitatibus oppressi, abjecta idololatria, rursus ad Deum conversi erant, occurrisse virum, qui eos devictis hostibus, rursus in libertatem asseruit. Atque id demum auctor c. 3, 7 — 16, 31. singularibus historiis comprobat.

### §. 32. Scopus libri Judicum.

Ex enarrato argumento liquet, consilium auctoris fuisse, per historiam docere, Israelitas toto illo temporis spatio a rege Deo juxta illam legis sanctionem

Exod. 23. Lev. 26. Deut. 28 — 32., gubernatos fuisse, et calamitates, quas tolerarunt, neglectui legis imputandas esse; quare futura meliora sibi promittere non possint, nisi caveant ab illis, quae hucusque feliciorem sortem impediverant.

Hinc liquet, nequaquam, ut chronologi opinati sunt, auctoris interfuisse, universam hujus aevi historiam recensere; nam ex longioribus intervallis nec minimum quidem refert, neque annos numerat; et non narrat, nisi quae possent Hebraeos monere de cultu Dei et custodia mandatorum divinorum. Hinc anni, quibus haec contigerunt, ad amussim computari nequeunt: aetate Pauli Act. Ap. 13, 20., ab obitu Josuae usque ad regem Saulum numerabantur 450 anni, quod argumento libri congruit. Si enim a 450 subduxeris 40 annos Heli, 20 annos post mortem ejus, et 40 annos Samuelis, residui sunt anni 350., qui concordant cum Jud. 11, 26., ubi aetate Jiphthach seu Jephte, ab obitu Mosis numerantur anni 300.

## §. 33. Aetas libri Judicum.

Librum non esse, ut quispiam opinatus est, in exilio Babylonio conscriptum, ipse character linguae evincit, quae Chaldaica et plura alia verba recentiora non habet, contra autem plura habet verba cum Pentateucho et Josua communia et in recentioribus libris non obvia, quae recensere, angustia libri prohibemur. Nec ulla alia recentioris aetatis indicia occurrunt. Aetas recte arguitur ex silentio de expugnatione Jerusalem per Davidem, quae c. 1, 2. 21. praeteriri non potuisset. Nec nomen J e r u s a l e m, quod his locis occurrit, recentiorem Davidica urbis expugnatione aetatem innuit; nam quum 2 Sam. 5, 6 — 10. 1 Paralip. 11, 4—9. solum legatur, Davidem arcem Sion cognominasse u r b e m D a v i d i s, de nova autem denominatione urbis Jebusaeorum nulla fiat mentio; nomen יְרוּשָׁלַם, antiquius est, ductum a q u i e t a p o s s e s s i o n e, quam situs in monte, et munimenta insignia prae-

stabant. — Argumentum, in quo historia non modo Samuelis, sed etiam Heli, desideratur, auctorem prodit aetati Heli propinquiorem, qui istius historiam recentem et aliunde omnibus notissimam esse posuit. Scopus porro auctoris illam aetatem arguit, qua Hebraei, spe melioris sortis, regem creabant Saulum. Liber enim docet, meliora speranda non esse, nisi Hebraei meliores fuerint. Atque id est, quod Samuel 1 Sam. 12, 14 — 16, Hebraeis contestatur. Itaque liber primis mox annis regis Sauli, forte, ut Thalmudici asserunt, ab ipso Samuele, cujus monita spirat, exaratus fuit.

Librum Judicum non esse ab auctore libri Josuae conscriptum, diversa methodus narrandi, et diversa quoque elocutio ostendit; nam I, in libro Josuae perpetuo respicitur ad legem Mosis, quod multo rarius est in libro Judicum; II. in libro Josuae non leguntur conclusiones ex rebus gestis deductae, quales in libro Judicum occurrunt; III. stilus in libro Josuae concinnior, et narratio magis perspicua est, atque omnia aptiori, quam in libro Judicum, ordine digesta sunt.

## §. 34. Liber Judicum ex antiquis monumentis excerptus.

Liber Judicum ex antiquis monumentis excerptus est; nam ex his I. carmen Deborae in testimonium expeditionis Baraki, et fabula Jothami descripta est; auctor enim, ut ex stilo et habitu libri liquet, haec conscribere non potuit. Quaepiam etiam ex libro Josua verbotenus repetuntur. Historia Simsonis duo documenta prodit, quae ambo, c. 15, 20. et c. 16, 31., annis, quibus Simson regnavit, terminantur, atquae aliae, quam in praecedentibus, de eadem re dictiones usurpantur. II. Plura occurrunt fragmenta, uti c. 3, 1. de Schamgar; c. 10, 1 — 5. de Tola et Jair; c. 12, 8 — 9. 11 — 13. 14. de Ibzan (Abesan), Elon (Ahialon) et Abdon, quorum omnium annos regiminis et

filios, imo et filias, nullas vero res gestas auctor novit. Quando refert, quae tribus bello lacessiverint Canaanaeos, nihil de Issachar; et quando de idololatria loquitur, nihil de tribubus trans Jordanem cognitum habet. E contrario res gestas Gideonis, Abimelechi, et Jiphtachi (Jephte), qui Ephraimitas cis Jordanem devicit, fuse narrat. Hinc liquet, auctorem pleraque ex genealogiis, quibus historica quaepiam inserta erant, excerpsisse.

## §. 35. Fides libri Judicum.

Quanta cum religione auctor his documentis usus sit, liquet I. ex eo, quod duplicem documentorum de Simsone clausulam retinuit c. 15, 20. et c. 16, 31.; atque, uti stili variatio comprobat, documentorum quoque verba conservavit. II. Omnia, quae narrat, illi aevo congruunt, neque duriora, injusta, aut justo severiora, ulla ratione emollit aut excusat, c. 3, 18—23. c. 5, 21—22. c. 8, 13—21., 14. c. 16, 27. III. Gesta insignia et omnia reliqua consueto rerum ordini consentiunt. Hebraei vix bello assuefacti in regione fertili mollescunt, Canaanaeis parcunt, contenti tributarios fecisse, a quibus demum inducuntur in idololatriam, quae, voluptatibus in cultum deorum versis, mollitiem fovebat; denique effaeminati et ab hostibus oppressi gemebant. Tali rerum statu non est inauditum aut incredibile, ut vir, altiora spirans, surgat, vel eligatur, qui populo ad arma vocato, hostes vincit, et patriam restituit. Viri quidem hi in nostro libro, illustri laude condecorantur; ast et vitia eorum haudquaquam tacentur; exemplo sunto Ehud, Jiphthach, Simson, atque Gideon cum suo Ephod. IV. Denique liber editus et susceptus est ea aetate, qua Hebraei ex documentis illis, quae adhucdum praesto erant, fidem auctoris explorare poterant, et ipsae res gestae notis-

simae erant, ut ex Ps. 82, 10 — 12. 106, 34 — 46. liquet.

## §. 36. Prima appendix libri Judicum c. 17 — 18.

Appendix prima, c. 17 — 18., originem indololatriae Danitarum, qui paulo post obitum Josuae urbem Leschem vel Lais in Coelesyria, expugnarunt, exponit, et commentarium in Jos. 19, 47. praebet. — Ex ultimis verbis c. 18, 30. 31., posteros Jonathanis, nepotis Mosis, fuisse sacerdotes simulacri in Lais, seu Dan, עַד גְּלוֹת הָאָרֶץ, donec illa regio depopularetur, et quamdiu domus Dei erat Silunte, liquet, auctorem vixisse ea aetate, qua Danitae illa regione jam pulsi fuerant, et tabernaculum non erat Silunte, adeoque post exstructum templum. Id confirmatur ex designatione aetatis hujus historiae, c. 17, 6.: quum non esset rex in Israel, et quilibet pro arbitrio suo ageret, quod innuit, monarchiam non fuisse recentem. — Quacunque autem aetate auctor, vel qui fragmentum libro adnexuit, vixerit, monumento tamen antiquissimo usus fuisse videtur, cujus initium detritum, vel lacerum erat; nam in media re, nempe a sermone Michae, furtum a se commissum fatentis, orditur, praemisso duntaxat loco, monte Ephraim, in quo erat domus Michae. Antiquitas documenti ex quibusdam quoque dictionibus elucet, uti c. 18, 7. more Sidoniorum vivere, et c. 17, 10. 18, 19. sacerdotem et patrem esse. Omnia denique, et inprimis exigua merces Jonathanis c. 17, 10., nempe decem Sicli (4 fl. 30 crucif.), vestimentum et victus, illi antiquitati apprime congruunt.

## §. 37. Secunda appendix libri Judicum c. 19 — 21.

Appendix secunda quoque ab historia familiae, quae prima post Josuae obitum aetate, in monte Ephraim habitabat, incipit, sed in cruentum bellum civile de-

sinit. Nam quum pellex cujusdam Levitae, ex monte Ephraim, qui in Gibea (Gabaa), urbe tribus Benjamin, pernoctabat, ab incolis ad mortem usque constuprata fuisset: omnes reliquae undecim tribus, ut tantum flagitium castigarent, ad arma convolarunt, et Benjaminitas, qui flagitiosos ad poenas tradere recusabant, bello internecino adorti sunt, duobus quidem praeliis victi, tertio vero victores, totam tribum, deleverunt, exceptis duntaxat 600 viris, qui in rupem Rimmon evaserant, et deinceps veniam impetrarunt. — Auctorem fragmenti his rebus multo recentiorem esse, ex eo apparet, quod nomen et urbem Levitae ignorat, et c. 20, 27. dicit, arcam foederis ea aetate fuisse in tabernaculo Silunte, ac non fuisse regem in Israel. — Vestigia monumenti antiqui, quod auctor excerpserit, non observantur; ast ad confingendam historiam, genti nequaquam honorificam, vix quisquam Hebraeorum moveri potuit, ut ad fidem narrationi conciliandum vix opus sit, provocare ad Hos. 9. 9.

## §. 38. Argumentum libri Ruth.

Orta fame, fortasse quum Midianitae septem annos regionem Hebraeorum gregibus suis depascebant Jud. 6, 1 — 6,, Elimelechus cum uxore et duobus filiis Bethlehemo migravit in regionem Moabitarum, ubi paulo post obiit. Duo ejus filii duxerunt uxores Mobitides, et ambo non multo post absque liberis defuncti sunt. Noomi, vidua Elimelechi, nunc orba, Bethlehemum reversura, aegre secum duxit nurum alteram Ruth, quae, quum tempore messis, jure Mosaico, spicilegio occupabatur, venit in agrum Boaz (Booz), filii Nahasson tribus Judae, et bene habetur. Quare suasu socrus suae a Boazo, Elimelechi cognato, jure leviratus nuptias petit, et, postquam propinquior cognatus solemniter renunciasset, ab eo ducitur, et parit Obedum, avum Davidis.

## §. 39. Aetas libri.

Ex adjecta genealogia stirpis regiae liquet, auctorem non ante, sed post Davidem, et quidem recentiori aevo scripsisse; nam I. praefinitio temporis: quum Judices regerent populum Israel, c. 1, 1., arguit, jam longiori aevo regnasse reges, quod II. etiam prodit explicatio ritus, emtionem et venditionem traditione sandaliorum firmari solitam fuisse, c. 4, 7., et ignotum nomen propinquioris cognati, qui per פְּלֹנִי אַלְמֹנִי, aliquis certus, designatur. III. Denique Chaldaica, quibus lingua intermixta est, ultimum saltem regni Juda seculum innuunt. Cf. Tobenz l. c.

## §. 40. Liber Ruth fide dignus.

Librum ex monumentis antiquis, genealogicis, excerptum esse, innuit I. retenta obsoleta denominatio secundi cognati מְגֹאֵל, c. 2, 20.; II. nomen propinquioris cognati praetermissum, quia in documento deerat; III. sermo Ruth, et colloquium Boazi cum cognato propinquiori, indoli personarum accurate respondens, ut fingi vix potuerint. — Haec monumenta auctor integra fide excerpsit; nam I. non assentatur familiae regiae, sed candide refert, eam a matre Moabitide, quae ad incitas redacta erat, descendere. II. Bona Boazi indoles ipsis his nuptiis, quas propinquior recusarat, et ad quas nec ipse stricto jure tenebatur, confirmatur. III. Omnia, quae attinguntur adjuncta, illi aetati consentanea sunt, ut pauperies nequaquam contemta, judicium in janua urbis, firmatio emtionis et venditionis per traditionem sandaliorum. — Genealogia a Nahassone usque ad Davidem exhibens per 500 annos quinque duntaxat generationes, nullam creat difficultatem, quia orientales in genealogiis, quibus non inserunt chronologiam, generationes pro arbitrio omittunt, id unum curantes, ut posteri a vera stirpe deriventur.

## §. 41. Aetas Judicum non est heroica.

Si aetas heroica, qualem permulti contendunt esse aetatem Judicum, intelligitur ea, qua surgunt heroes, et patriam tuentur: nomen hoc aetati Judicum non congruit. Qui enim surrexerunt, erant oppido pauci; e contrario Barak a Debora faemina vocatus fuit, nec magnum ostendit animum; Gideon a Deo vocatus, lente admodum obsecutus est; Jiphtach per legationem rogatus, tandem consensit, ut imperium susciperet; Tola, Jair, Ibzan, Elon, et Abdon, ut de Heli et Samuele taceam, non erant heroes, sed rectores reipublicae. — Quodsi aetas heroica est ea, quae perpetuis bellis turbatur: hoc nomen aetati Judicum eo minus convenit; nam longa temporis intervalla erant tranquilla, Jud. 3, 11. 30. 5, 31. etc.; bella omnia, quae hoc 450 annorum spatio, ab aliquibus duntaxat tribubus gesta sunt, 111 annos, adeoque vix quartam partem hujus periodi occupant. — Si denique aetas heroica dicitur illa, quae est rudis, aspera et immanis, sine literis, sine politura, et sine moribus: nomen hoc aetati Judicum similiter repugnat; etsi enim quaedam ruditatis et crudelitatis exempla in hostes, occurrunt, non sunt tamen alia, quam quae Davidis quoque aetate occurrunt, et his contraria offenditur morum probitas mentibus alte infixa, ex qua illud internecinum in Benjaminitas bellum exarsit; responsum perpolitum, quod pater Gideonis civibus pro filio suo reddidit; Gideon magno animo regnum deprecans, ut Deus solus Israelitarum rex esset; Boaz vir humanus et mitis; judicia in janua civitatis nequaquam intermissa; Jiphtach ante bellum de pace tractans; indicia manifesta culturae. De literis testatur canticum Deborae et fabula Jothami. — Si aetas Judicum fuisset adeo rudis, qualem fingunt nonnulli: non potuisset gens post-

hac brevi tempore adeo mansuescere et excoli, et ad eum humanitatis gradum, quem sub Davide deprehendimus, eluctari.

# Caput quartum.

## De libris Samuelis, Regum et Paralipomenon.

### §. 42. Argumentum librorum Samuelis et Regum.

Libri Samuelis ordiuntur a conceptione, infantia, munere prophetico et politico illius, cujus nomen adepti sunt. Narrant deinde mutationem regiminis, et regis Sauli inaugurationem et gesta, quae mandatis Dei Regis non respondebant, quare annunciatum fuit, regnum ad alium devolutum iri. Refertur porro, Samuelem unctione symbolica Davidi promisisse regnum, qui demum in aulam vocatus est, ut Saulum, de jactura regni insanientem, musica recrearet. Postquam autem David Goliathum vicisset, Saulus ex acclamationibus gratulantium mulierum suspicionem cepit, Davidem esse, ad quem regnum devolvendum foret; quare eum e medio tollere molitur, et eo adegit, ut in Philistaeam commigraret. — Saulo a Philistaeis in praelio interfecto, David a tribu Juda rex eligitur; ceterae tribus undecim Sauli filio Ischboschet adhaerebant, et illo a suis anno mox secundo interemto, sine rectore persistebant, donec septimo demum a Sauli morte anno Davidi se subjicerent, qui nunc expugnata arce Jerosolymorum, sedem regiam Hebrone transtulit Sionem; atque arcam quoque foederis illuc deportavit; ab aedificando quidem templo, quod meditabatur, prohibitus

fuit; ast hac occasione a Deo promissionem de regno suae familiae sempiterno obtinuit, 2 Sam. 7, 29. Sequitur succincta historia regni Davidis, 2 Sam. 8, 1 — 20, 26., cui adjectae sunt sex appendices, 2 Sam. 21, 1 — 24, 25. — Liber primus Regum initio refert, Davidem senem, anno sui imperii 40½, regno cessisse, atque illud filio Salomoni tradidisse, post cujus gloriosum 40 annorum regnum, schisma decem tribuum contigit, 1 Reg. 1, 1 — 12, 33. — Historia regni Juda et regni Israel per 253 annos, 1 Reg. 13, 1 — 2. Reg. 17, 23., est parallela, quam, 2 Reg. 18, 1 — 25. 30., residua 135 annorum historia regni Juda sequitur.

## §. 43. Libri Samuelis et Regum rebus gestis non sunt coaevi.

Libros hos non esse annales rebus gestis coaevos, comprobat I. elocutio, et tenor narrationis non ubique quidem prorsus idem, neque tamen adeo varius, qualis esset, si a diversis auctoribus, aetate se sequentibus, profectus esset; II. lingua pluribus Chaldaicis infecta; III. explicationes consuetudinum et dictionum obsoletarum, quae multo recentiorem aetatem produnt, conf. 1 Sam. 9, 9.; IV. recentiora, quae diserte memorantur, uti urbem Ziklag (Siceleg) spectare ad reges Juda usque ad praesentem diem, 1 Sam. 27, 6., quod ante schisma scriptum esse nequit; V. ablegatio lectoris ad libros alios, quo auctor se ipse multo recentiorem esse profitetur.

## §. 44. Libri Samuelis et Regum ab eodem auctore scripti.

Libros duos Samuelis ab antiquioribus Judaeis, ut unum, et duos Regum libros quoque ut unicum numeratos fuisse, testantur Hieronymus, Origenes, Melito Sardensis, et Josephus Flavius; reapse liber Samuelis primus cum secundo, et liber primus Regum cum se-

cundo, indivulso nexu cohaeret. Versio Alexandrina, quam Hieronymus in Vulgata sequitur, libros quatuor numerat, et omnes compellat libros Regum, unde apparet, omnes quatuor libros primum non fuisse divisos, sed unicum constituisse volumen, quod confirmat arctus secundi libri Samuelis cum primo libro Regum nexus. Quidquid sit, I. dispositio in omnibus quatuor libris prorsus eadem, eundem prodit scriptorem, qui succinctam monarchiae Hebraicae sub supremo Rege Jehova historiam sistere voluit. Hinc inchoat a Samuele, sub quo monarchia introducta est, ubi mox relatio monarchae ad Regem Jehovam inculcatur. Quum Davidi promitteretur et demum committeretur regnum, eadem relatio rursus omni occasione illustratur, et denique in historia Davidis auctor totus in eo est, ut ostendat, regem hunc in omni sua ratione agendi spectasse Regem Jehovam, et exemplar esse, quod successoribus imitandum fuisset; quare et omnes reges laudat vel reprehendit, prout Davidis exemplum imitati sunt, vel imitari neglexerunt. Imo in regno quoque Israel eandem rationem observat, et quoslibet reges comparat regi primo, Jeroboamo, cujus malum exemplum imitati sunt, atque etiam superarunt. Omnia quoque refert ad legem Mosis, non quidem tam frequenter, ut in libro Josua, longe tamen frequentius, quam in libro Judicum. Observatur etiam ubique eadem succincta ratio narrationis inprimis bellorum, quorum generalis duntaxat mentio fit; e contrario fusior est ubique narratio eorum, quae ad theocratiam spectant. Libri secundi Regum clausula prodit ipsa sua brevitate, auctorem, longo labore fessum, ad terminum properasse. Denique, prout 2 Sam. 21—24., ita quoque 2 Reg. 4, 1—8, 15. fragmenta occurrunt, ut auctor sibi ubique similis deprehendatur. II. Linguae et stili varietas non est tanta, quanta a diversis auctoribus exspectanda es-

set; quae observatur, a monumentis venit, quae a diversis conscripta, et a nostro fere ad verbum excerpta sunt. Unicum discrimen libros Samuelis inter et Regum, est, quod in his allegantur libri, in quibus curiosus lector plura requirere potest, in illis autem hujusmodi allegatio non occurrit. Ast si observetur, libros Samuelis aliunde pleraque fusius referre, facile apparet, cur auctor libros alios non allegaverit, qui defectus, si quis est, ab auctore Paralipomenon L. 1. c. 29. v. 29. suppletus est.

## §. 45. Aetas librorum Samuelis et Regum.

Si hi quatuor libri ejusdem sunt scriptoris non ante excidium regni Juda, quod in fine paucis referunt, coepti, nec ante redditam regi Jojachino libertatem, quae 2 Reg. 25, 27—30. refertur, i. e., non ante annum 26tum post eversionem Jerosolymorum, sed neque multo post editi sunt, quia mors Jojachini, qui, jam senex, longiori tempore vivere non potuit, non memoratur. Cum hac aetate concordat, quod auctor prodit, se vidisse templum ante eversa Jerosolyma, adeoque recentiori aetate vivere non potuit. Quis autem fuerit, nulla adsunt indicia. Locus 1 Paralip. 29, 29., qui refert, historiam Davidis a Samuele, Nathan et Gad scriptam fuisse, agit de coaevis regni annalibus, ex quibus nostri libri excerpti sunt. Neque pro auctore Jeremia aut Ezra quidquam proferri potest.

## §. 46. Argumentum librorum Paralipomenon.

In Paralipomenis seu annalibus, דִּבְרֵי הַיָּמִים referuntur I. 1 Paralip. 1—9. genealogiae, quarum antiquiores adeo obscurae sunt, ut sine collatione Pentateuchi intelligi vix possint; recentiores sunt magis perspicuae; interposita sunt passim, prout in genealogiis fieri solebat, quaepiam historica memoratu digna; II. 1 Paralip. 10, 1 — 2 Paralip. 9, 31. de Davide et Salomone

aliqua quidem eadem, quae in libris Samuelis et in primis capitibus libri primi Regum leguntur, plura tamen supplementa, inprimis quae ad cultum Dei pertinent; III. 2 Paral. 10 — 36. succincta historia regni Juda, et plura, inprimis ad reformationes et Dei cultum spectantia, quae in libris regum desiderantur. Regnum Israel non memoratur, nisi quando cum historia regni Juda connexum est.

## §. 47. Scopus librorum Paralipomenon.

Ex hoc librorum argumento facile intelligitur, auctorem scripsisse epitomen historiae Hebraeorum usque ad finem exilii, ea tamen lege, ut regnum Israel non attingeret, nisi ubi historia regni Juda postulat, supplet autem plura, quae in libris Samuelis et Regum praetermissa fuerunt, alia etiam praetermittit, quae in his exhibentur. An libros Samuelis et Regum legerit, non satis constat. Delectus rerum, quae narrantur, prodit, auctori propositum fuisse, reducibus in patriam Hebraeis sedes et agros majorum suorum indicare, et rationem tradere, qua cultus divinus restituendus esset *); hinc in genealogiis passim locum et sedem cujusque familiae annotat; hinc quoque genealogiam Levitarum et sacerdotum fusius exponit; hinc denique non modo ordinem cultus divini a Davide et Salomone introductum, sed etiam reformationes, quae diversis aetatibus consecutae sunt, diligentius enarrat.

---

*) Hunc scriptoris finem, qui cuilibet attento lectori in oculos incurrit, non observavit de Wette, et hinc ei gravissimum imposturae crimen impingit, ac si quae de cultu divino, Levitis et sacerdotibus refert, ipse Levita vel sacerdos, confinxisset; ast eum candide narrare, nec sua adjicere, postea videbimus.

## §. 48. Aetas librorum Paralipomenon.

Ex hoc scriptoris scopo liquet, libros hos non multo post exilium tempore scriptos fuisse. Cum hac aetate conspirant, quae observantur singularia, uti orthographia Chaldaica, plures matres lectionis, voces et res recentiores, etiam Persicae: ut בוץ byssus, בירה palatium, התיחש genealogiam exhibere; porro cubitus recentior et antiquior, et אדרכנים Darici, nummi Persici aurei. Accuratius definire aetatem, defectus indiciorum prohibet. Eo minus scriptor indagari potest. Qui ex ultimis duobus versibus libri secundi Paralipomenon, qui cum primis versibus libri Ezrae iidem sunt, concluserunt, esse opus Ezrae, discrepantiam stili et narrationis non observarunt. Quipiam scriptorem rejecerunt in tempora Darii Codomani vel Alexandri magni, innixi genealogiae 1 Paral. 3, 19—24.; ast haec recentior aetas repugnat argumento et scopo libri, ut illa genealogia, ab alio hagiographo continuata, dicenda sit.

## §. 49. Fontes librorum Samuelis, Regum et Paralipomenon.

Monumenta, ex quibus hi libri excerpti sunt, passim allegantur; ast quaeritur, an Paralipomena ex iisdem fontibus manarint, ex quibus libri Samuelis et Regum hausti sunt. — In libris Samuelis nulla quidem est allegatio; adfuisse autem illis quoque temporibus annales publicos, liquet ex 1 Paral. 27, 23—24., ubi diserte memorantur, et ex 1 Paral. 29, 29., ubi auctores eorum nominantur. — In libris Regum primum allegatur historia regis Salomonis, et dein perpetuo laudantur annales regum Juda et regum Israel. — In Paralipomenis, praesertim in libro secundo, frequentes sunt allegationes monumentorum, ex quorum collatione patet, I. historiam plurimorum regum a prophetis

scriptam fuisse; II. plures a prophetis scriptas historias regum, in annales regni insertas fuisse, 2 Paral. 20, 34. conf. c. 12, 15. 13, 22. 24, 27. 32, 32.; III. frequentissimam esse allegationem annalium Regum Juda et Israel, in quos mox memorata historica prophetarum scripta inserta fuerunt; IV. nec tamen omnia, quae allegantur historica prophetarum scripta, in annales illos assumta fuisse; interdum enim scripta prophetarum historica ab illis annalibus distinguuntur, uti, 2 Paral. 33, 18., ut adeo auctor Paralipomenon plerisque quidem iisdem, sed tamen aliis quoque libris usus sit, quam auctor librorum Regum. — Allegatos autem in Paralipomenis annales regum Juda et Israel, non esse nostros libros regum, nullum est dubium; nam auctor lectorem, plura cupientem, ad annales hos remittit, ubi in nostris libris Regum non plura, sed pauciora habentur, velut 2 Paral. 17, 1—20, 34. conf. 1 Reg. 15, 24. 22, 1—33, 41—51. Quare annales auctoris Paralipomenon sunt libri antiqui et coaevi, plerique a prophetis scripti. Quia vero, quae ex illis adducuntur, frequentissime ad verbum eadem sunt, quae in nostris libris Regum, aeque ex annalibus regum Juda et Israel excerpta, leguntur: dubio vix locus est, eosdem annales esse fontes librorum Regum et Paralipomenon.

## §. 50. Fides librorum Samuelis, Regum et Paralipomenon.

Quum historia in his libris narrata, maxima parte ex iisdem, et partim ex aliis coaevis documentis excerpta sit, et auctores fidem suam, remittendo lectores ad fontes, comprobent: nulla est ratio, de veritate narrationis dubitandi, quia I. coaevi auctorum nostrorum lectores, qui illa antiqua monumenta conferre, et fidem eorum explorare poterant, excerpta haec tanta censuerunt fide esse digna, ut antiqua illa coaeva

documenta temporum injuriis reliquerint; quia II. auctores tenacissime adhaeserunt monumentis, quae excerpebant; nam stili et linguae character variat, prout in documentis illis pro diversitate scriptorum variabat; unde liquet, verba documentorum, uti aliunde historicis orientalibus mos est, retenta fuisse; uti quoque ex eo apparet, quod multo pauciora occurrunt Chaldaica et verba recentiora, quam alioquin ex hac aetate expectanda forent; quia III. plures formulae aetati eorum non congruunt, et manifeste ex monumentis illis coaevis scrupulose retentae sunt, conf. 1 Reg. 9, 21.; quia IV. permulta referuntur genti et summis quoque viris contumeliosa, et sermones personis, quae loquentes inducuntur, accuratius conveniunt, quam a fictione aut refictione auctorum expectari possit, conf. 1 Sam. 9, 5—8. 11—14. 18—27. 12, 1—25. 25, 25—31. 2 Sam. 7, 18—19. 1 Paral. 17, 16—27. 2 Sam. 14, 4—20. 17, 7—13. 29, 35—38. 1 Reg. 3, 5—15. 9. 1—9. 8, 14—53. 2 Paral. 6, 1—42. 2 Reg. 19, 15—19.; quia V. haec tota historia confirmatur testimonio aliorum scriptorum coaevorum, nempe Psalmistarum et Prophetarum, qui de aetate sua eadem referunt, quae in his libris legimus.

Bertholdus in Introd. P. III. §. 276. contendit, auctorem Paralipomenon hausisse quoque ex monumentis recentioribus, in quae jam assumtae erant traditiones depravatae, seu mythi; verum auctor, amans allegationis fontium suorum, recentius documentum nullum adducit, et argumenta Bertholdi ad suspiciones redeunt. Ceterum auctor 1 Paral. 1. 13. neque Tyrum adjicere ausus est; unde patet, eum documentis religiose usum esse.

## §. 51. Indoles textus librorum Samuelis, Regum et Paralipomenon.

Textus horum librorum pluribus, quam alii antiquiores quoque libri, mendis laborat. Occurrunt pas-

sim lectiones sensum fundentes, qui omnem fidem superat, aut aliis locis repugnat, ut 1 Sam. 13, 1. filius anni erat Saul, ubi numerus annorum excidit; ita quoque 1 Sam. 13, 5. currus bellici Philistaeorum 30.000; 1 Paral. 13, 3. 4, 17. exercitus 400,000 et 800.000 virorum; 2 Paral. 14, 7. 8. exercitus 580,000 et 1,000,000; 2 Paral. 17, 14—19. exercitus 1,600,000; 1 Reg. 5, 6. Salomonis 40,000 אֻרוֹת stabula vel praesepia equorum, quae 2 Paral. 9, 25. duntaxat 4000 numerantur; atque 2 Paral. 22, 2. Achazias rex 42 annorum moriente patre 40 annorum, ubi 2 Reg. 8, 26. recte dicitur, Achaziam, regnum auspicantem, fuisse 22 annorum.

## §. 52. Collatio librorum Samuelis et Regum cum libris Paralipomenon.

Quum libri Samuelis et Regum eandem, quam libri Paralipomenon, historiam referant: utrique perpetuo conferendi sunt, non modo, ut historia plenius cognoscatur, sed etiam, ut ea, quae in alterutro libro obscura aut mendosa sunt, ex altero illustrentur aut emendentur. Sic quod in secundo libro Samuelis offenditur, cur David adeo reveritus sit Joabum, et dolosum homicidam non puniverit, lumen capit ex 1 Paral. 11, 6. Vox כֹּהֲנִים 2 Sam. 8, 18. de filiis Davidis, permutatur 1 Paral. 18, 18. cum רִאשֹׁנִים Lectio 2 Sam. 5, 17. וַיֵּרֶד אֶל הַמְּצוּדָה, recte emendatur ex 1 Paral. 15, 8. וַיֵּצֵא לִפְנֵיהֶם, conf. quoque 1 Paral. 21, 16. cum 2 Sam. 24, 17.; 1 Paral. 21, 1. cum 2 Sam. 24, 1.; 2 Sam. 6, 2. cum 1 Paral. 13, 6.; 2 Sam. 21, 19. cum 1 Paral. 20, 5.; 1 Paral. 11, 20. cum 2 Sam. 23, 18; 2 Sam. 23, 20. cum 1 Paral. 11, 22.

# Caput quintum.

## De libris Ezrae et Nehemiae.

### §. 53. Argumentum libri Ezrae.

Prima pars libri Ezrae c. 1—6., complectitur historiam 20 annorum, a primo anno Cyri usque ad annum 6tum Darii Hystaspis (ab anno 536 usque 515 ante Chr.); nempe reditum Hebraeorum in patriam et restaurationem cultus divini templique Jerosolymitani. Altera pars c. 7—10. narrat gesta Ezrae, qui septimo anno Artachschastae (seu Xerxis, 478 ante Chr.) aliam exulum coloniam in Judaeam deduxit, ampla a rege instructus auctoritate, res Judaicas ad legem Mosaicam exigendi. Inter primam et secundam partem libri est lacuna 37 annorum.

Cyrus per praecones et literas publicas provocavit omnes cultores Jehovae, ut Jerosolyma reverterentur, et templum restituerent; ejusdem tenoris literas Ezras obtinuit. Quare dubitandum non est, multos quoque ex decem tribubus pedetentim reversos esse, qui, quia saepius et nunquam magno numero adveniebant, in historia non commemorantur. Hinc aetate Maccabaeorum, 1 Macab. 5, 9—54., atque tempore Christi, Gilead et Galilaea incolas habebat Hebraeos. Itaque vaticinia de reditu decem tribuum suum sortita sunt effectum, ut frustra indagarint eruditi, quid decem tribubus factum sit.

### §. 54. Artachschasta Ezr. 7, 1. est Xerxes.

I. Ordo historiae postulat; ut rex Artachschasta, qui Ezrae c. 7, 1. seqq. amplissimam auctoritatem contulit, sit ille, qui post Darium Hystaspis Ezr. 5, 6.

6, 14. sceptrum Persiae tenuit, nempe Xerxes, maritus Estheris, etsi אַרְתַּחְשַׂסְתָּא nomini Artaxerxes propinquius est; nomina enim regum Persarum non erant nisi honoris tituli, quibus Persae quoslibet suos reges insignire solebant, ut proprium eorum nomen raro audiretur, prout Persae seculo XVII. adhucdum consueverunt. אַרְתַּחְשַׁשְׂתָּא ex Pers. ارت vel ارد strenuus, etZendico khschetro, khschered, kheschtrae, bellator, compositum, idem estac strenuus bellator. II. Si Artachschasta Ezrae esset Artaxerxes Longimanus, ut quipiam contendunt: Ezras venisset anno 457 ante Chr. Jerosolyma, atque post 13 annos, nempe anno 20 Artaxerxis Longimani, 444 ante Chr., quo Nehemias Jerosolyma venit, non fuisset illa tristis rerum facies, quam Nehemias reperit, et de qua praecedenti jam anno audierat. III. Artachschastae animus in Ezram et Judaeos convenit cum illis, quae Xerxes Estheri et Mordechaeo praestitit, qui vel ideo in historia Judaeorum praeteriri vix potuit. IV. Artachschasta amplam hanc potestatem largitus est Ezrae anno regni sui septimo, quo Xerxes ab irrita expeditione in Graeciam reversus fuit in Persiam, et, probabilius exemplis Cyri et Darii motus, beneficiis in Judaeos collatis, Deum coeli sibi propitium reddere studuit. Ita omnia vix pro alio quam pro Xerxe faciunt.

## §. 55. Auctor libri est Ezras.

Secundam partem c. 7 — 10. ab Ezra scriptam esse, dubio caret; nam scribit in prima persona, c. 8, 15 — 26. c. 9, 1 — 5., et se nuncupat Ezram c. 10, 1. — Quae c. 7, 1 — 26. leguntur, non fuisse ab Ezra scripta, non est probabile, nam documentum regium c. 7, 11 — 26. profecto ab Ezra insertum est; quare et illa, quae c. 7, 1 — 10. nexu indivulso praecedunt, ab eodem profecta fuisse necesse est. Nec quidquam

proficiunt, qui dubium movent, quod Ezras de se ipso c. 7, 6. non videtur usurus fuisse titulo magnifico: סֹפֵר מָהִיר בְּתוֹרַת מֹשֶׁה, perfectus doctor legis Mosaicae; nam si haec honoris compellatio id temporis non amplius valuit quam nunc Doctor sacrae scripturae: Ezras eam sibi absque dispendio modestiae tribuere potuit, ut taceam, cuilibet aevo et regioni alias esse modestiae leges. — Primam quoque partem c. 1—6. ab Ezra scriptam esse, evincit I. connexio capitis sexti cum septimo; diversitas vero elocutionis commode explicatur, quod Ezras historiam c. 1 — 6. ex annalibus fere ad verbum excerpsit; II. eadem in utraque parte ratio narrationis; nam sicut in secunda parte c. 7, 10—26., regium documentum integrum dialecto Chaldaica insertum est: ita quoque in prima parte, edictum Cyri, epistola Samaritanorum ad pseudo-Smerdem, et hujus responsum verbotenus refertur, et pars c. 4, 8—6, 18, Chaldaica dialecto exarata est, III. brevitas historiae, quae pluribus auctoribus tribui vix potest, nisi historice constet.

Juverit in memoriam revocare, linguam Ezrae multis Chaldaicis intermixtam esse, et a lingua Mosis longe distare, ac orthographiam multo plures habere matres lectionis. Multa offenduntur verba et notiones antiquioribus ignotae, ut nomina vasorum אֲגַרְטְלֵי et מַחֲלָפִים Ezr. 1, 9. רִשְׁיוֹן, venia, licentia c. 3, 7.; מְתֻרְגָּם, versum, traductum, כְּנָוֺת, socii c. 4, 7.; פַּרְשֶׁגֶן, apographum c. 4, 11, 7, 11.; נְתִינִים, servi templi; c. 2, 43. 58. 70. 8, 17. 20., Mosi נְתוּנִים sunt Levitae, etc.

## §. 56. Indoles textus libri Ezrae.

Aliquae difficultates ex mendis oriuntur, quae in tot nominibus propriis, sese insequentibus, in tot numeris, plura adesse, mirandum non est. Sic nomina c. 2, 1—63., numero c. 2, 64. expresso non consentiunt, nec loca parallela Neh. 7, 6—69. et L. 3. Ezr. 5, 8.

seqq., ubi plura nomina leguntur, opem ferunt, siquidem numerus utrobique discordat. Ita quoque Ezr. 1, 9—10. numerus vasorum major est, quam ex computatione prodit. Tertius liber Ezrae, qui non est proprie apocryphus, sed versio canonici libri Ezrae, hinc inde interpolata, in fine exhibet prolixum additamentum, quod etiam Neh. 7, 13—10, 40. legitur, et olim in fine nostri libri scriptum fuisse videtur, quum Josephus Archaeolog. XI. 5, 5. historiae Ezrae subjunxerit. Fortasse deinceps in Ezra omissum fuit, quia aliunde in Nehemia occurrebat.

## §. 57. Argumentum libri Nehemiae.

Nehemias, pincerna Artachschastae regis Persarum, audita tristi Jerosolymorum conditione, licentiam obtinet, urbem muniendi. Profectus in Judaeam, munit Jerosolyma, adversariis Samaritanis nihil proficientibus, atque demum augere studens civium numerum, invenit fragmentum historiae ex antiquiori aetate, quod integrum libro suo c. 7, 6—10, 41. inseruit. Elapsis 12 annis in Persiam reversus, post tempus rursus venit in Judaeam, et abusus sustulit, praesertim profanationem sabbathi, retentionem decimarum, et nuptias cum alienigenis.

## §. 58. Artachschasta Nehemiae est Artaxerxes Longimanus.

Regem Artachschastam, cujus pincerna fuit Nehemias, esse Artaxerxem Longimanum, innuit ordo historiae, et confirmat libri argumentum. Artaxerxes enim regnavit 41 annos (464—424 ante Chr.), et Nehemias anno regni 20. (444 anno ante Chr.) profectus est Jerosolyma, adeoque 33 annis post Ezram, quibus labentibus res per Ezram restitutae, rursus collapsae erant, inprimis, quum anno 459 et 458 ante Chr. exercitus Persici in Syria et Phoenice cogerentur, atque Megabyzus

anno 448 et 447. in Syria cum magno exercitu contra Artaxerxem pugnaret. Diodor Sic. L. XI. 71. 74 — 77. XII. 33 — 34. Ktesias in Persic. §. 32. 36 — 89.

Xerxes, quem Josephus Artachschastam Nehemiae statuit, regnavit duntaxat 21 annos; Artachschastae autem annus 32 memoratur Neh. 13, 6. Sub Artaxerxe Mnemone vero, quem alii Artachschastam Nehemiae esse opinantur, ab anno 377 usque 374 (id esset a 6to usque ad 9 annum Nehemiae) migrabant exercitus Persarum per Syriam in Aegyptum, de quo in nostro libro mentio facta fuisset. Accedit quod anno 373 ante Christ. (id esset anno 10 Nehemiae) mortuus est Jojada, summus sacerdos, qui in secundo adventu Nehemiae adhuc in vivis erat. Denique hoc tempore Jonathan. summus sacerdos fratrem suum in templo interfecit, de quo Nehemias nequaquam tacuisset.

## §. 59. Quo anno Nehemias secundo venerit Jerosolyma.

Nehemiam non sequenti mox anno, (431 ante Chr.), ut communis fert sententia, sed demum post 20 vel 24. circiter annos (412 vel 408. ante Chr.) rediisse Jerosolyma, ex Nehem. c. 13. clare liquet. Nam I. abusus, quos Nehemias rursus offendit, uno anno irrepere non poterant, velut inveterata profanatio sabbathi, retentio decimarum tam frequens et tam diuturna, ut Levitae et sacerdotes coacti fuerint, aliis negotiis operam navare, ut acquirerent, quo vitam tolerarent; atque nuptiae cum alienigenis tam antiquae, ut ex illis adessent filii barbati, Neh. 13, 24 — 25. Dicitur quidem c. 13, 6, Nehemiam rediisse מִקֵּץ הַיָּמִים, verum hanc dictionem non tantum annum, sed longius quoque temporis intervallum significare, dubio caret. II. In hoc secundo Nehemiae adventu summus pontifex erat Jojada Neh. 13, 28., qui, juxta Chronicon Alexandrinum, Eliaschibo successit anno 412 ante Chr., quare Nehemias non ante hunc annum, i. e., post 20mum annum a suo in Persiam reditu, in Judaeam reversus est, fortasse circa annum 410 vel 408 ante Chr.

III. Hoc longius intervallum inter Nehemiae in Persiam reditum et secundum in Judaeam adventum, optime congruit cum aetate Nehemiae, qui primum migrans ex Persia, pincerna regis, adeoque juvenis erat, et, ut Josephus refert, longaevus fuit, ut facile potuerit attingere annum 90mum, vel 100mum, atque adhucdum vivere anno 380 vel 376 ante Chr., quare non modo Darium Nothum, sed etiam magnum sacerdotem Jaddu commemorare potuit.

Josephus Archaeol. L. XI. c. 8, 2., memoria lapsus, Darium Nothum permutavit cum Dario Codomano, et Sanballatum antistitem Samaritanorum in aetatem Codomani conjecit; hinc porro novo errore illum, quem Nehemias c. 13, 28. refert filium summi sacerdotis Jojadae et generum Sanballati, atque Josephus nomine Manasse nuncupat, fecit filium summi sacerdotis Jaddu, unde, qui Josepho crediderunt, magnam omnium rerum confusionem in librum Nehemiae induxerunt.

## §. 60. Auctor libri est Nehemias.

Librum a Nehemia esse scriptum, dubitari non potest. Nam narrat in persona Nehemiae, et proprium stilum atque singularem narrandi rationem tenet, cf. c. 5, 19. c. 13, 14. 22. 31. c. 6, 14. — Fragmentum de reditu ex captivitate c. 7, 6—c. 10, 40., quod tertio quoque libro Ezrae annexum esse, supra diximus, stilo variare, nihil mirum; antiquius enim est; nam quum Nehemias, animo agitans, augere cives Jerosolymorum, in archivo inquirens eos, qui reversi sunt, conscriptos invenisset, sicut c. 7, 5. testatur: hoc inventum scriptum libro suo inseruit. Nec obstat, c. 8, 9. et c. 10, 2. nomen Nehemiae occurrere; nam ab imperitis librariis intrusum esse, res ipsa loquitur. — Quum Nehemias hoc documentum ex antiquiori aetate assumserit: facile intelligitur, ipsum non neglecturum fuisse illud temporis intervallum, quod a suo in Persiam reditu usque ad secundum adventum in Judaeam, elapsum est. Quare quae c. 12, 1—26. leguntur, procul dubio ab

ipso inserta sunt. Stilus quidem variat, ast id commodam habet explicationem, quod Nehemias annales retentis pleris que verbis excerpsit, et demum historiam suam prosecutus est.

Judaeos librum Nehemiae accensere libro Ezrae, supra annotavimus; hinc liber Nehemiae in nostra quoque Vulgata secundus liber Ezrae vel Esdrae inscribitur.

---

# Caput sextum.

## De libro Esther.

### §. 61. Argumentum libri Esther in textu hebraico.

Quum Achaschverosch (Assuerus) rex Persarum, uxorem suam Vaschti, quia jussa, se sistere hospitibus recusavit, repudiasset: Judaeam Estherem designavit reginam, cujus cognatus Mordechaeus (Mardochaeus) more procerum Persarum, quotidie in aulam regiam veniens, paulopost conjurationem detexit, et per Estherem regi indicavit; Hamani vero, qui ad primam regni dignitatem evectus fuit, mandatam a rege prostrationem denegavit. Quare regem ad edendum edictum permovit, ut omnes Judaei in toto regno, una die interficerentur. Quo audito Mordechaeus, veste lugubri indutus, publice in plateis regiae urbis Schuschan (Susan) plangit, et Estherem per nuncium monet, ut regem pro gente Judaeorum supplex deprecaretur. Esther post jejunium trium dierum et preces ad Deum fusas, regem adit, atque benigne excepta, non rogat, nisi ut rex cum Hamane apud ipsam coenaret. Inter epulas a rege interrogata Esther, quid peteret, rursus non rogat nisi ut rex cum Hamane postridie quoque apud ipsam coenaret. Hoc singulari honore

inflatus Haman, crucem 50 cubitorum domi suae erigit, cui crastina die exosus Mordechaeus, qui honorem prostrationis illi denegabat, affingendus esset. Verum rex, hac nocte insomnis, praelegi sibi jubet annales, et quum denunciationem conjurationis, atque eum, qui denunciavit, nullum praemium tulisse audiisset: mane per Hamanem curat Mordechaeum, veste regia donatum, et equo regis insidentem, in tota urbe circumduci. Inter epulas dein Esther, a rege rursus de petitione interrogata, rogat gratiam pro gente sua, et hostem nominat Hamanem, qui nunc cruci, quam Mordechaeo paraverat, affigitur; Mordechaeus vero in locum ejus primus praefectorum regiorum designatur, et mandata regia in omnes provincias mittit, ut Judaei illa die, quae internecioni illorum praefinita erat, hostes suos interficerent. Judaei itaque 13tia mensis 12mi in provinciis occiderunt 70,000, et Susae 700, atque obtenta per Estherem eadem licentia etiam pro sequente die, rursus 300 interfecerunt. In rei memoriam Mordechaeus 13 et 14. die mensis ultimi seu Adar, instituit festum Phurim. Denique auctor ad probandam fidem suae narrationis, ad regios annales Persiae provocat.

## §. 62. Quis est rex Achaschverosch?

Achaschverosch Estheris non est Astyages, qui Dan. 9, 1. hoc nomine venit; hic enim non erat rex Persiae sed Mediae, nec ditio ejus illius amplitudinis, quae Esth. 1, 1. refertur; nec est Cambyses, qui Ezr. 4, 6. hoc nomine insignitur, quia anno 7mo regni, (quo Achaschverosch Estherem designat reginam, Esth. 2, 16.) in Aegypto fuit, et anno 8vo mortuus est, cum Achaschverosch ultra 12 annos regnaverit; sed est Xerxes, qui, ut Persis mos fuit, hoc nomine m a g n a m o l i e n t i s condecoratus est, quia per bellum, contra Graecos gestum, magna molitus est. Id quoque eadem indoles Achaschverosch et Xerxis, atque consensus li-

bri cum historia Xerxis, comprobat. Nam I. Achaschverosch Estheris est luxuriosus, fatuus et crudelis, qualem omnes veteres sistunt Xerxem. II. Achaschverosch (Esth. 1, 3.) tertio regni sui anno centum octoginta diebus omnes magnates et praefectos regios convivio excipit, atque Xerxes tertio regni anno, ut refert Herodotus L. VII. §. 11 et 19., magnates et praefectos de expeditione in Graeciam consuluit, et quum consilia Persarum inter epulas agitarentur, conviviis excepit, quae, quum praefecti omnes simul vocari non possent, facile 180 diebus continuata fuerint. Hunc epularum finem auctor noster, quia ignorabat, non memorat. III. Achaschverosch septimo regni anno, mense decimo, Estherem elegit reginam, atque Xerxes septimo regni anno ex Graecia in Persiam redux, taedium de irrita expeditione, luxuria levabat. IV. Achaschverosch tributum novum pendi jussit, Esth. 10, 1., et Xerxes post expeditionem illam pecuniae indigus erat; quare et auream statuam Babylone abstulit.

## §. 63. Auctor et aetas libri Esther.

Qui ex Esth. 10, 2. collegerunt, Mordechaeum exarasse librum, non observarunt, laudato loco non de libro, sed de epistola esse sermonem, quam Mordechaeus de festo Phurim ad Judaeos scripsit. Aetas quoque ejus ignota est, scripsisse autem ante eversionem monarchiae Persicae, ex provocatione ad annales regum Persiae, liquet. Probabilius non multo post haec gesta librum exaravit, siquidem plures minutias cognitas habet, Esth, 5, 9—10. Subscriptio versionis Alexandrinae, velut omnes aliae hujusmodi librorum subscriptiones ab aliena manu profectae, sublestae est fidei, et recentiorem auctoris aetatem nequaquam comprobat.

## §. 64. Textus libri Esther.

Textus Hebraicus libri non exhibet quidem manifesta menda, nec pluribus, quam alius quiscunque liber, laborat lectionum varietatibus; ast in pluribus dissentit a versione Alexandrina, de quibus vide Sect. quartae cap. tert.

# Sectio secunda.

## De Prophetis.

## Caput primum.

### De vaticiniis.

#### §. 65. De vaticiniis generatim.

Vaticinia olim ubique terrarum, et ab omnibus gentibus religiose excipiebantur, et denique philosophorum quoque calculum meruerunt. Duplex autem distinguebatur divinationis genus, alterum artis, alterum naturae; illud ex rebus naturalibus, uti ominibus, prodigiis, extis victimarum, monstris, fulguribus, astris, sortibus, etc., petebatur; hoc ex aliquo instinctu inflatuque divino proficisci credebatur; in illo numen per facta, in hoc autem per revelationem futura praenunciare putabatur; utrumque itaque ad immediatam operationem divinam relatum fuit; artis enim solum erat, revelationem in facto positam observatis longo tempore significationibus interpretari, Cicero de Divinat. I. 6. 18. 30. Hinc aliae de futuris conjecturae, quae ex indiciis mere naturalibus petuntur, a di-

vinatione accurate secernebantur, quales sunt medicorum ex symptomatibus morbi de restitutione vel morte aegroti, agricolarum ex aliquibus signis de futura pluvia aut segetum ubertate; qui similibus praedictionibus valebant, prudentes seu providentes dicebantur, non vates, Cicero de Divin. I. 49. — Hinc patet, a vero longe aberrare, qui contendunt, antiquos quascunque conjecturas de futuris, non accurate discrevisse a praedictionibus, quas ab immediata Dei efficacia pendere dicimus, quod ipsum antiqui disertis quoque verbis exprimunt; nam Quintus in Ciceronis Libro I. de divinat. §. 30. dicit: »inest igitur animis praesagitio »extrinsecus injecta atque inclusa divinitus, ea si exar»serit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus »abstractus divino instinctu concitatur.« Ita etiam Plutarchus de Pythiae oraculis §. 7. p. 257. Vol. IX. contendit, Apollinem Pythiae cognitionem futurorum suppeditare, non carmina, quae a Pythia proficiscuntur; si igitur in his elegantia desideretur, non in Apollinem, sed in Pythiam refundendum esse, eodem prorsus modo, quo characteres literarum distorti, quibus forte Pythia futura sibi inspirata in charta exararet, non opus Apollinis, sed Pythiae forent. Cf. Herodot. II. 33.

## §. 66. Origo fidei in vaticinia.

Caussa, qua omnes gentes antiquae motae sunt, ut fidem vaticiniis haberent, dubio procul erat, quod saepe sibi consulere nesciebant, et se altioris instructionis indigos sentiebant, prout antiqui philosophi agnoverunt, et hinc veritatem divinationis argumentis stabilire adnisi sunt; quare Cicero de Divinatione I. 71. ait: magnifica quidem res et salutaris. Constat autem, fidem hanc superstitione et impostura permultum promotam fuisse. Id comprobat historia; ast non pandit fontem, ex quo fides in vaticinia primitus

emanarit, seu, quidnam homines illos, qui sibi consulere non posse sentiebant, primitus permoverit, ut crederent, numen hominibus futura aperire. — Quipiam superstitionem, alii imposturam, alii superstitionem impostura suffultam, genuisse hanc fidem in vaticinia, praetendunt; quipiam vero eam ex insito hominibus desiderio cognoscendi futura, derivant, cui viri quipiam sagaces, qui ex caussis naturalibus futura conjiciebant, satisfecerint, ideo a rudi plebe pro divinis habiti, qui, quae eventura essent, a numine discerent. Verum his conjecturis nequaquam prima hujus fidei origo panditur. — Quare hanc originem recte repetimus ex veris revelationibus divinis, quas patriarchas ante et post diluvium obtinuisse legimus. Haec sententia antiquissimae historiae innititur, reliquae autem opiniones omnes ex levibus conjecturis pendent, quae ex particularibus, multo recentioribus factis captae sunt, et contra fas et jus ad universalia extenduntur. Conjecturae autem valere nequeunt, nisi ubi historia deficit, et hoc quoque casu amplius sibi vindicare non possunt, nisi ita fieri potuisse, et fortasse factum esse, et saepenumero falsae sunt, quod vel maxime apparet ex conjecturis, quae de iis, quorum certa adest historia, tentantur, et prorsus aliud sistunt, quam quod historia exhibet. — Si haec antiquissima in vaticinia fides decursu consequentium seculorum in aliquibus gentibus periit, et progressu temporis rursus fides in certa oracula orta est, profecto non ex uno eodemque ubique fonte manavit, sed jam impostura, jam superstitio, jam desiderium noscendi futura, jam etiam casus fortuitus, consilii inopes movit, ut praedictiones, ab impostoribus oblatas, crederent. Cf. Herodot. II. 52. 54—58. Strabo. p. 329. 402. 419. Quare frustra quaeritur hujus particularis fidei origo omnibus gentibus communis. Quae autem apud quamque gentem ejusdem origo

fuerit, dicere ad nos nihil adtinet, quibus suffecerit ostendisse, vaticinia biblica prorsus alterius esse generis, quam divinationes et oracula aliarum gentium, et nec ex superstitione, neque ex impostura, neque ex desiderio noscendi futura, neque ex naturali sagacitate, neque casu esse orta, sed ex revelatione divina descendere.

## §. 67. Vaticinia biblica nec superstitioni, neque imposturae innituntur.

Vaticinia divina in Bibliis perpetuo opponuntur oraculis, non solum idololatrarum, sed etiam pseudoprophetarum, qui se veri Dei legatos mentiebantur. Et reapse prorsus alia sunt vaticinia diis inanibus attributa, qui nihil sunt et nihil possunt; alia a Deo vero derivata, qui omnia futura habet sibi praesentia, et revelare quaepiam potest. Primum quidem in adjunctis externis permagnum est discrimen; nam I. in sacris literis non modo omnis vaticinatio nomine deorum inanium, sed etiam omnis divinatio, quae ex ominibus et prodigiis arte fiebat, sub poena mortis interdicta est; quae sola approbatur, a superstitione immunis est. II. Prophetae Jehovae non erant affixi certo loco, ut vates Graecorum Dodonae, Delphis, Delo etc.; nec pendebant a certis anni tempestatibus, neque a vapore cavernarum subterranearum, ut Pythia, neque ab esu fructus lauri aut gestatione coronae laureae; neque furore concitabantur, sed absque similibus adjunctis inanibus a Deo discebant futura, et, quae didicerant, eloquebantur et scribebant. III. Prophetae non, ut oracula gentilium et praestigiatores, donis et muneribus conciliabantur, ut vaticinia ederent, sed plerumque non rogati, imo invitis regibus, principibus et populo, vaticinabantur, nec quidquam mercedis reportabant, nisi minas, ludibria, odia, persecutiones, vincula, car-

ceres, vitae pericula, et mortis supplicium, Jes. 5, 19. 28, 14. 22. Mich. 2, 11. 3, 5—12. Jer. 26, 1 — 24. 20, 1 — 6. etc. Non erant itaque, ut harioli, haruspices, auspices et extispices, instrumenta principum et magistratuum, quibus plebs ad ea, quae decreta erant, flecteretur. IV. Oracula et omnis generis hariolatores credulos habebant coaevos suos, prout vero progressu temporis vanitas et fallacia magis et magis patebat, fidem amiserunt, et in oblivionem abierunt, cf. Plutarch. de Defect. Oracul. Vol. IX. p. 298—385. Prophetae autem nostri coaevos experti sunt incredulos, et fidem nacti sunt, quum jam non viverent, atque fallere amplius non possent. Quum nempe vaticinia eorum, posteriori demum aevo eventu complerentur, patuit, ea non fuisse ab hominibus, sibi relictis, profecta, sed Deum habuisse auctorem. Id progressu temporis adeo manifestum fuit, ut multi etiam ethnici veritatem vaticiniorum biblicorum agnoverint, et relictis deorum oraculis ad Judaismum transierint. Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat.

## §. 68. Vaticinia ratione argumenti.

Oracula et divinationes non erant nisi effata singularia, nulla inter se ratione nexa, de eventibus proxime instantibus, ut certis personis vel civitatibus consuleretur, et adeo ambigua, ut, quidquid accideret, praedictum fuisse videretur, prout Cicero de celeberrimis oraculis Apollonis scribit de Divin. II. 56.: sed jam ad te venio, sancte Apollo! ---- Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor; partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat inter-

prete, et sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, et quae ad dialecticam deferenda sint. Exemplum adfert de Pyrrho, suppositum quidem, sed indolem oraculorum referens: ajo te Aeacida! Romanos vincere posse, quod, sive Pyrrhus Romanos vicisset, sive victus esset a Romanis, sive bellum ante victoriam compositum fuisset, mendacii argui non potuisset. — Vaticinia, quae in nostra Bibliotheca sacra habentur, sunt permulta, quae omnia inter se amice conspirant, ad finem communem, grandem et Deo dignum tendunt, partim de factis in sera posteritate eventuris agunt, atque minime ambigua sed determinata, certis adjunctis definita, et eatenus quatenus opus est, clara sunt. Haec nunc singillatim illustrabimus.

## §. 69. Vaticinia biblica adprime consentientia.

Biblia nostra complectuntur vaticinia, quae non sunt, ut divinationes ethnicorum, effata singularia, disjectaque sine omni nexu membra, sed constituunt collectionem, in qua omnia cohaerent, se mutuo respiciunt, et sibi constant. Ab Abrahamo inde, series eventuum, Hebraeos et alias gentes concernentium, per 22, et quod excurrit, secula, miro consensu praedicta est, atque vaticinia antiquissima cum recentioribus amice concordant, nec, quae praedicta sunt, eventu caruerunt. Hanc seriem eventuum fortuitorum, a diversis viris, tam longo seculorum decursu, callidissime conjectatam fuisse, vel eventum casu respondisse, percipi nequit, et notionibus conjecturae et casus repugnat, quippe quae secumferunt, ut non semper aequabili ratione, sed duntaxat interdum accidant, et saepe exspectationem fallant.

## §. 70. Scopus vaticiniorum.

Oracula ethnicorum non aliud intendebant, quam rebus dubiis civitatum vel virorum quorundam consulere, vel desiderio cognoscendi futura satisfacere, vel plebem flectere ad id, quod optabatur; hinc celeberrima quoque oracula muneribus nonnunquam corrupta sunt, prout Pythiae το φιλιππιζειν non sine ratione exprobratum fuit. — Vaticinia vero nostra omnia unum respiciunt scopum, Deo dignissimum, ut divinam prophetarum legationem, et per eam porro veritatem doctrinae de Deo, comprobarent, hunc nempe Deum unicum, qui prophetas misit, esse Deum omniscium, qui regit universa, et praesertim Hebraeos ita ducebat, ut cognitionem ipsius usque in eam aetatem custodirent, qua per Christum, qui ultimus finis omnium vaticiniorum est, et apostolos ejus ad reliquas gentes propagaretur. Quemadmodum nempe miracula non modo signa et argumenta erant legationis divinae, sed simul comprobabant, Deum, qui hos viros tanta potestate instruxit, esse omnipotentem mundi aspectabilis rectorem: ita vaticinia testabantur, non modo prophetas a Deo esse missos et edoctos, sed etiam hunc eundem Deum esse omniscium mundi invisibilis seu animorum et spirituum gubernatorem, conf. Jes. 29, 15—16. 40, 11—15. 25—31. 41, 1—4. 22—28. 42, 5—9. 43, 5—8. 44, 6—9. 22—23. 48, 1—8. 12—16. Illa miracula et haec vaticinia erant illo aevo primaria et praecipua fundamenta, quibus cognitio unius omniscii et omnipotentis Dei creatoris et gubernatoris universorum, nitebatur, atque his omnia alia argumenta, quibus veritas unius Dei suffulciebatur, et vanitas deorum impugnabatur, vim suam debebant. Si quaepiam vaticinia proxime alium scopum respiciunt, facile tamen observatur, finem eorum ultimum esse eum, quem diximus.

Quia nostro aevo saepe assertum fuit, vaticinia et miracula scopum suum non attigisse, liceat quaerere, an cognitio veri Dei non fuerit conservata, aut an per aliud medium conservata fuerit, vel de quonam scopo assertio intelligenda sit. Fortasse, qui talia proferunt, id duntaxat respiciunt, non omnes prorsus homines per vaticinia et miracula ad agnitionem veri Dei fuisse pertractos, quod non est aliud, quam homines mansisse homines, qui cogi nec possunt nec debent ad id, quod, ut moralem retineant dignitatem, a libertate pendere debet. Ostendendum autem foret, scopum vaticiniorum et miraculorum fuisse, ut omnes homines uno eodemque tempore ad agnitionem veri Dei adducantur, quod in hominibus, qui tot tantisque praejudicatis opinionibns imbuti sunt, tam diversis studiis agitantur, jam oscitantia, jam praecipitantia, jam levitate impediuntur, sine coactione, adeoque sine immutatione naturae humanae fieri nequit.

## §. 71. Vaticinia eventuum remotorum.

Oracula et praesagitiones virorum perspicacium, non spectabant nisi eventus proximos, quorum caussae jam tunc efficaciam suam exserebant, quas, qui observabant, concludebant, quid secuturum esset; vel ex analogia historiae et conditione hominum quaepiam deducebant principia, ex quibus generatim colligebant, ex iisdem rerum adjunctis idem esse secuturum, quod jam olim plerumque acciderat, uti quum Polybins, Hist. L. VI. §. 7. observasset, omnes democratias et aristocratias tandem in monarchiam transire, idem Romanis instare praedixit, quod centum fere annos post Polybium accidit. — In vaticiniis autem nostris plura, quae longissime remota erant, illo aevo praedicta sunt, quo caussae, a quibus pendebant, nondum aderant, vel saltem ita occultae et tectae erant, ut a perspicacissimis observari minime potuerint, praesertim quum praedictiones hae non sint, ut oracula, genericae, sed pluribus adjunctis insignes. Ne-

que ex analogia historiae conjici talia potuerunt, qualia sunt, non tantum exilium Hebraeorum, sed etiam reditus in patriam, et prospera demum sors, Deut. 28, 36. 49. 30, 1—10., Amos 9, 4. Hos. 2, 15—23. 14, 5—9. Mich. 4, 1—8. 7, 10—17. Jes. 11, 11—16; incendium et vastatio Jerosolymorum, Amos 2, 5. Hos. 8, 14. Mich. 3, 12. 7, 13.; imperium Chaldaeorum, et exilium in Babylonia 70 annos, Mich. 4, 10—11. 7, 8. 13., Jes. 6, 11—13., Jer. 25, 11—12. 29, 10.; bella Maccabaeorum, et constantia in cultu unius Dei post exilium, Hos. 2, 15—23. 14, 5—9. Mich. 4, 1—13. 7, 11. 14—27. Jer. 31, 1—9. 31—37. Zach. 9, 11—10, 12 etc. Si vaticinia hujus generis a sagacissimis viris edi non potuerunt, sed a Deo profecta esse debent; recte concludimus, etiam, alia, cum his conspirantia, et eidem Deo attributa, ab eodem profecta esse auctore. Quodsi prophetae aliqua futura vi propia perspicere poterant, quae deinceps legatione divina sancita sint; asseri tamen nequit, eos omnia ex perspicacia sua hausisse, et ideo a rudi plebecula pro divinis habitos fuisse. Haec assertio eruditorum, secum ipsa pugnat; nam prophetae fuissent perspicaciores, quam sapientissimi omnium etiam cultissimarum gentium viri, quorum nullus hujusmodi vaticinia fundere, aut etiam talem de Deo doctrinam invenire, potuit; nihilominus populus, in quo hi viri, omnium longe sagacissimi et sapientissimi, vixerunt, adeo rudis et hebes fuisset, ut nequidem observaret, omnia haec vaticinia ex naturali perspicacia promanare. Gens, in qua tanti viri conspiciuntur, non potest esse tam rudis et hebes, vel in gente adeo rudi, tarda et obtusa non possunt surgere viri, tanta perspicacia et sapientia et tam pura religionis cognitione praediti, quales nec in cultissimis antiqui aevi populis reperti sunt.

## §. 72. Vaticinia non ambigua.

Oracula, ut supra teste Cicerone comprobavimus, adeo erant ambigua, ut, quidcunque eveniret, falsitatis argui non possent, ut illud Croeso allatum, si bellum gereret, eum magnum regnum eversurum; ac aliud: nihil Croeso timendum, donec mulus thronum Persicum occupaverit. — Vaticinia autem Bibliorum definita sunt effata. Id in omnibus quidem observatur, inprimis autem in iis, quae proximos eventus respiciunt, nam cum oracula et hariolatores responsa sua de proximis eventibus, amphibologia involvere, necessarium duxerint, ut omni casu suam auctoritatem haberent salvam: prophetae nostri, si sola naturali praesagitione nixi fuissent, modo definito, et tanta quoque cum fiducia loqui eo minus potuissent, quod capitale supplicium sibi imminere cernebant, si non accideret, quod, licet nomine Jehovae, praedixissent, Deut. 18, 20—22. Si viri perspicacissimi, qui nomine deorum oracula fundebant, et in omnem eventum tuti erant, etsi subtili sua sagacitate omnia temporis adjuncta sedulo observabant, conjecturas tamen suas oratione in omnem partem volubili proponebant, et nihilominus saepe decepti sunt; prophetae vero nostri, quibus supremum instabat supplicium, si falleret, quod praedixissent, tam diserte de futuris locuti sunt, et effata eorum eventus comprobavit: profecto cum oraculis et hariolis confundi nequeunt, sed fatendum est, eos, ut ipsi asseverabant, revera a Deo edoctos fuisse. — Pseudoprophetae quidem statutam mortis poenam non verebantur; ast hi, instrumenta erant magnatum et principum, sub quorum praesidio, quidquid eveniret, impunitatem sibi promittere poterant. Si vero nostri prophetae, sicut illi, non aliud, nisi quod sua perspicacia futurum divinabant, proponere voluissent, ad quid opus erat, tam ancipiti exspectatione sortis suae, mo-

do definito et auctoritate divina se illis cum periculo opponere? potuissent quippe omne periculum evitare, si sua enunciata, tanquam conjecturas, proposuissent, et ex rerum adjunctis argumenta tot et tanta petiissent, ut auditores et lectores permoverent.

## §. 73. Vaticinia non generica.

Quae viri sagaces, observando rerum ordinem et caussas eventibus praegnantes, praesagiunt, non sunt nisi generica sine ullis adjunctis rerum et temporis, ut Polybius mutationem formae reipublicae Romanae in monarchiam, generatim praevidit. Ita quoque praedictio, quae casu completur, non potest esse nisi generica, ac eventus duntaxat nonnunquam, et quidem tantum ex parte respondebit. Id probe norant oracula fundentes et harioli; quare praesagitiones suas, aliunde ambiguas, paucissimis verbis genericis et sine ullis adjunctis eloquebantur. — Vaticinia vero nostra vix ulla sunt prorsus generica, sed aliqua saltem adjuncta attingunt, et quaepiam etiam tempus et locum nominant. Adjuncta haec numero mirum in modum accrescunt, si plura de eodem eventu vaticinia conferuntur uti Gen. 12, 2—3. 15, 4—5. 17, 4—8. 19—21. 22, 16—18. 26, 3—6. 28, 13. 15. Vide quoque Exod. 8, 5—10. 17—28. 9, 2—8. 9—11. 18—29. 10, 4. 13—19. 21—23. 11, 4—8. 12, 6. 12—13. 29—30. 13, 18—14, 31. Deut. 28, 6 36. 63—68. 29, 21—27. 30, 1—60. Jes. 7, 4—25. 8, 1—10, 34. 37, 21—35. 38, 4—8. 39, 5—8. Mich. 1, 2—16. 3, 12. 4, 9—11. 7, 10—14, Jerem. 37, 7. 17. 34, 1—7. 38, 1, 24. 25, 11—12. 29, 10. et c. 50—51. Zach. 6, 9—16. 9, 1—8. 11—17. 11, 1—17. 12, 1—3. Malach. 2, 17—3, 24.

## §. 74. Vaticinia clara.

Etsi vaticinia nostra non sunt omni ex parte clara, obscuritas tamen nequaquam est tanta, quanta offenditur in gentilium oraculis, in quibus studiose quaesita fuit, ne clarior praedictio eventu frustraretur. Fatemur, obscuritatem vaticiniorum, antequam tenebrae per eventum dispulsae essent, multo fuisse majorem; unde ipsi interdum prophetae, effata sua non esse sibi pervia, fatentur; vel, quod in idem recidit, ad futura tempora provocant, quibus enunciata sua ex historia clarescent, Jes. 6, 9—13. 29, 11—14. Jer. 23, 20. 28. 30, 24. Ezech. 33, 33. Dan. 7, 28. 8, 27. 12, 8—9. Zach. 2, 13. 15. 4, 9. 6, 15. Claritas nihilominus ubique est tanta, quanta sufficit, ut eventus in historia, si completa nobis restat, discernatur, et ut agnoscatur, illum, qui prophetas misit, esse omniscium rectorem universi. Nonnulla sunt prorsus perspicua, ut praedictiones Exod. 7—14,, et vaticinia de eversione regni Israel et Juda, de ruinis Samariae et Jerosolymorum, de exilio et reditu Israelis et Judae, de reconciliatione decem tribuum post reditum ex exilio cum tribu Juda, de pacifico aevo post exilium, de victoriis Maccabaeorum, de promisso Messia et inprimis de propagatione verae religionis ad alias gentes. Non minus clara sunt multa vaticinia symbolica, ut Ezech. 4, 1—5, 4. 12, 1—20. 1 Reg. 11, 30. Hos. 1, 2—12. Si quaepiam sunt obscuriora, caussa partim est defectus monumentorum historicorum, partim imperfecta linguae Hebraicae cognitio, quae interpretes in diversas abducit sententias. — Si tanta postulatur claritas, quanta est historiae, plus postulatur, quam requiritur. — Quamquam igitur vaticinia non gaudent perspicuitate historica, falsum tamen est, nullam eventuum cognitionem suppeditasse; quemadmodum enim rudes illae adumbrationes, quas pictores de

objectis pingendis carbone delineare solent, plura offerunt, ex quibus deinceps, perfecta imagine, facile cognoscitur, eam illa delineatione fuisse adumbratam: ita quoque vaticinia, etsi minus clara, exhibent de futuro eventu sat multa, ex quibus deinceps, accedente historia, cognoscatur, haec vaticinio fuisse praedicta. — Qui hanc indolem vaticiniorum non adverterunt interpretes, novas eisdem non raro tenebras offuderunt, principia adoptantes, quae nequaquam ex natura et conformatione horum eloquiorum deducta, sed precarie sumta erant. Nam quaerebant perfectam claritatem, ideoque plures sententias, atque ea quoque, quae ad complementum duntaxat adumbrationis pertinent, ad suum sensum contorquebant; alii ubique Christum et ecclesiam Christianam videre sibi videbantur; quipiam contendebant, vaticinia non esse nisi generales promissiones et comminationes, et hinc eventus clare praedictos obnubilabant; alii exspectabant chronologicum eventuum in vaticiniis praedictorum ordinem, et, ut hunc exsculperent, plura effata interpretatione pervertebant; vix non omnes agnoscere nolunt, prophetas interdum aliud cogitasse, quam a Deo intentum fuit, et hinc reapse quibusdam locis duplicem inesse sensum. De duplici postremo genere paulo plura dicenda sunt.

## §. 75. Prospectus propheticus.

Errant profecto, qui autumant, prophetas futura ordine et claritate historica vidisse; testantibus enim vaticiniis tantum quaepiam, et haec nequaquam, ut solemus objecta propinqua inspicere, sed prout longinqua cernimus, prospexerunt. Hinc prophetae saepe speculatoribus comparantur, qui olim in turribus constituti, quae eminus cernebant, annunciabant 2 Sam. 13, 34. 18, 24—27. 2 Reg. 9, 17—19. Eadem ratione

Prophetae in locum quasi subliniorem sublevati, quae futuris temporibus eventura essent, prospiciebant, et aliis annunciare jussi erant, Jerem. 6, 17. Mich. 7, 4. Ezech. 3, 17. 33, 1—9. Apocal. 4, 1. 21, 10.; unde videntes, חֹזֶה, רֹאֶה, et vaticinia, prospectus seu visiones, חָזוֹן, מַרְאֶה, appellantur. Vaticinia itaque simillima sunt picturis, quae prospectus longinquos, et objecta multa, variis intervallis distantia, exhibent; nam sicut in his non omnia aeque perspicue repraesentantur, sed proxima coloribus perfecte depicta, magis distantia autem minus perfecte repraesentata, sistuntur, et ita porro, ut remotissima, quasi quapiam nebula tecta appareant: ita vaticinia exhibent, quasi in aliqua tabula delineationem plurium futurorum objectorum vel factorum, quorum proxima accuratius descripta sunt, et remotiora, quo magis distant, eo minori luce perfusa sistuntur, nec temporum intervalla notata sunt, sed omnia tanquam simultanea repraesentantur, prout prophetis in prospectu oblata fuerunt; quare ordine nequaquam chronologico et historico, sed eo recensentur, quo speculatoris visus jam in haec, jam in illa, et quidem in aliqua, quae erant insigniora, etiam saepius incidit. In vaticiniis itaque ante eventum discerni vix potuit, quid sit propius, quid remotius. Hinc prophetae non raro in delineationem facti propioris, immiscent factum remotius, et rursus ad describendum factum propius redeunt; ita Zacharias c. 9, 1—8. de Alexandro, v. 9—10. de Messia, quem eminus conspiciebat, et v. 11. seqq. de Maccabaeis, et c. 11. rursus de Messia loquitur. Cf. Jes. 11, 1—16. Mich. 1, 2—5, 14. Ezech. 37, 15—28.

## §. 76. Duplex quorundam vaticiniorum sensus.

Antiquiores interpretes, qui regulas interpretationis ex stilo prophetarum hauserunt, duplicem quorundam locorum propheticorum sensum literalem agnoverunt,

qui demum, quum ab exorbitantibus latius extenderetur, primum in suspicionem adductus, et mox prorsus explosus est, quia in contextu nonnisi una cum qualibet voce notio conjungitur, unde nonnisi unicus sensus prodire possit. Verum per id confectum non est, neque Deum per suam singularem assistentiam, sermonem prophetae ita conformare potuisse, ut sententia praeter sensum, quem propheta in mente habuit, alium porro sublimiorem sensum innueret. Id profecto prophetae fatentur, cum dicunt, se sua propria effata non intellexisse, ubi proinde vel aliud quam Deus intenderit, vel quidpiam genericum cogitarunt; quum Deus quidpiam singulare et individuum intenderet, unde duplex necessario oritur sensus subjectivus, et objectivus. Hujusmodi duplicem sensum aliis quoque quibusdam locis, quibus prophetarum confessio de ignorantia dictorum suorum, adjecta non est, subesse facile observabit, qui advertit, vaticinia multa ante eventum aeque obscura fuisse ac illa, quae prophetae sibi impervia esse fatentur. Sic Michas, c. 3, 12. vastationem et diuturnas ruinas Jerosolymorum et templi, et c. 4, 10. deductionem Jerosolymitanorum in Babyloniam praedicens, cogitarit de Assyriis, prout quoque Hebraei Jer. 26, 18—19. interpretati sunt, existimantes has minas demum ob emendationem morum, eventu caruisse, quum tamen Deus Chaldaeos intenderit. Idem Michas, praedicens c. 4, 10—13. reditum ex Babylone et victricia Hebraeorum arma, nequidem conjicere poterat, quando, quomodo et per quos haec effectum sortitura essent, vel alia cogitavit, quam Deus intendit, et eventus ostendit, Conf. et Jes. 53—66. Zach. 9—34. Nonnunquam vates dictionem fortasse proprie usurpavit, quae objective latius vel improprie intelligenda erat, et vicissim. Sic Michas c. 5, 5. de Maccabaeis vaticinans, Assyrios proprie sic dictos hostes Hebraeorum intellexerit, qui la-

tiori sensu erant Assyrii, proprie autem Syri. — Id amplius confirmatur, quod Deus in omnibus vaticiniis quaelibet in individuo definita intenderit, quae interpretatione evolvenda sunt; etsi vates haec non perceperit. Sic si prophetae propagationem verae religionis in alias gentes praedicunt, Dei profecto consilium erat, et sensus objectivus est, hanc propagationem eo aevo, per eos viros, et ea ratione aliquando effectum sortituram esse, prout deinde, praecipue per optimum Salvatorem, et apostolos ejus, evenit, prophetae vero cogitarint vel de victoriis Hebraeorum, per quas idololatrae excitati, Deum hunc potentissimum agnituri essent, vel de ea conversionis ratione, quam posthac Maccabaei tentarunt. Quare regula hermeneutica, qua praecipitur, novum foedus in interpretatione antiqui foederis prorsus seponendum esse, rejicienda est, nisi cavere quoque velis, ne in locum tenebricosum ulli lucis radii admittantur, quod nonnisi coecutientibus et infirmis oculis proficuum esse possit.

## §. 77. Objectum vaticiniorum.

Scripta prophetarum, quae supersunt, nequaquam sola complectuntur vaticinia, sed et alia plura, uti doctrinam de Deo, religione et moribus; exprobrationes idololatriae et scelerum; exhortationes ad religionem et probitatem, et monita quoque de statu civitatis et administratione reipublicae, quae in theocratica regiminis forma, per prophetas tanquam regis Dei legatos, regibus et principibus Hebraeorum missa fuerunt. Qui vero nostra aetate ex hac parte argumenti concluserunt, vaticinari idem valere, ac quidpiam sapiens proferre; etwas weises sagen, in etymologia vocis teutonicae weissagen, pueriliter luserunt, quum vocis Hebraicae etymon longe aliam vim habeat. Nec minus errarunt, qui in demagogos transmutarunt prophetas quippe non populum flectunt, sed populum aeque ac

reges, principes, et sacerdotes arguunt, immo et aliis quoque gentibus exitium intentant, et multo frequentius de religione et moribus, quam de republica, praecipiunt, ut taceam, plures prophetas, uti Jesaiam et Jeremiam mox initio a Deo monitos fuisse, per omnia vaticinia nihil profecturos, ut neque in mentem eis venire potuerit, demagogos agere. Hoc denique vaticiniorum objectum non est quoque ejus generis, ut desiderio noscendi futura satisfaceret, vel absque ulteriori consilio nonnisi certis necessitatibus consuleret, sed est hujusmodi, quod cognitionem Dei ab interitu vindicaret.

נבא, نَبَا Arabibus est *submissam vel occultam vocem edidit*, e. g. canis sine latratu murmurans, onomatopoeticum a sono *ba*, ut נאם: Arabibus نَأَمَ est *suspiravit, anhelando spiravit*, a sono *am*, vel *nam*; hinc utrumque verbum primo translatum est ad sonos manium, qui a necromantis excitati, nonnisi submissa voce loqui posse credebantur; dein haec verba, sine ullo ad etymon respectu, translata sunt ad revelationes divinas. Hinc نَبَا etiam generatim est annunciavit. Itaque נָבִיא non est, qui sapienter dicit, sed vir, qui divinas revelationes obtinet et annunciat. Id quoque innuunt alia prophetarum nomina, ut *videns*, *prospiciens*, *vir Dei*, non eo sensu, quo Plato dictus fuit *divinus*, sed *Dei familiaris*, *a Deo edoctus*, *legatus Dei*. Nomen prophetae primum Abrahamo Gen. 20, 7. tributum legimus, postquam plures revelationes divinas obtinuisset, et domesticis suis annunciasset, *Gen.* 12, 1—3. 7. 13, 14. 17. 15, 1—21. 17, 1—21. 18, 1—31. Haec vocis notio clarissime expressa est Exod. 4; 15. 16. Omnes denique prophetae se tales gerunt, qui consiliorum divinorum participes facti sint, et vaticinando mandata divina exsequantur. Haec propria est verborum נָבִיא, נִבָּא, הִתְנַבֵּא, vis et indoles, cui inest simul notio annunciandi, et docendi; nam prophetae, mandata divina annunciantes, simul docebant, et ad pietatem movere satagebant. Aliae notiones sunt tropicae, ut, *patrare aliquid supernaturale*, *Sirach.* 29, 18.;

conf. 2 Reg. 13, 14—21.; porro canere et tractare instrumenta musica, 1 Sam. 10, 5—6. 10. 19, 20—24. 1 Paral. 25, 1—3. Ast הִתְנַבֵּא de Saulo insano, 1 Sam. 18, 10., significationem reciprocam suae formae propriam obtinet, se gerere prophetam; Sauli nempe insania erat idea fixa, se esse prophetam, ideoque insaniens prophetam agebat, et sibi jacturam regni vaticinabatur. Cf. Calmet praefat. in Prophet., et Comment. ad 1 Sam. 18, 10.

## §. 78. Lex Mosis de prophetis.

Quum vaticinia antiquo aevo ad conservationem cognitionis Dei necessaria essent: prophetae Deut. 18, 9—22., non, ut quidam opinati sunt, in republica Hebraica tolerati, sed promissi sunt, ne Hebraei hariolos, consulerent, qui idololatrae erant, et ad idololatriam seducebant. Ad excludendos autem pseudoprophetas, lex Mosaica impostoribus extremum supplicium decrevit, atque judicibus duo indicia, quibus pseudoprophetas dignoscerent, prodidit: I. Propheta, qui alios deos laudat, pro veteratore habendus, et tanquam rebellis in Deum Regem, morte plectendus est, Deut. 13, 2—6. II. Qui, etsi auctoritate Jehovae, quidpiam praedixit, quod eventu comprobatum non fuit, tanquam falsarius, qui sigillum Regis Dei mentitus est, mortis reus est, Deut. 18, 20—22.; unde patet, prophetas non fuisse viros sagaces, qui perspicacia sua futura praesagiebant; horum enim error innocens nequaquam tantum meruisset supplicium.

## §. 79. Indicia legationis divinae.

Propheta itaque, qui legationem divinam obire parabat, rem plenam aleae adibat, nisi argumentis indubiis cognovisset, mandatum divinum sibi obtigisse, nec se propria imaginatione delusum esse. Qualia fuerint haec argumenta vel indicia, literis consignatum non est, quaepiam tamen leguntur, ex quibus colligitur, prophetas his indiciis minime caruisse, uti quum refertur

1 Sam. 3, 7., Samuelem Dei vocem primitus non agnovisse, et Jeremias fatetur, se ex eventu intellexisse, consilium emendi agrum propinqui sui, fuisse afflatum divinum. Quibus argumentis Moses de legatione divina certior factus sit, legitur Exod. 3, 1—4, 17. Prophetae alioquin revelationes divinas a propriis suis cogitationibus accurate discernere norunt, 1 Sam. 16, 6—7. 2 Sam. 7, 1—17. 1 Paral. 17, 1—17. Jes. 38, 1—8. 2 Reg. 20, 1—11. Interdum tam vehementes erant impressiones, ut de origine divina dubitare nequirent; quare fatentur, se sermones suos retinere non posse, Jer. 20, 7—10. Medium ipsum, quo sua cogitata a divinis revelationibus discreverint, verbis exprimi non poterat, sicut rudi explicari non potest, qua ratione ex pictura pictorem, ex stilo auctorem cognoscas. — Auditoribus et primis lectoribus prophetarum, legatio divina, si non aderant praedicta et opere completa miracula, ex eventu dijudicanda erat. Vaticinia nempe alia de rebus proximis, alia de remotioribus agunt. Illa, quae clara, et pluribus adjunctis rationi humanae imperviis vestita erant, et demum eventu completa sunt, argumento erant coaevis, prophetam esse Dei legatum, et vaticinia ejusdem de temporibus remotioribus aeque ex revelatione divina descendere, quae demum rursus posteris, quorum aevo completa sunt, argumento erant, auctorem fuisse legatum Dei, quod adeo manifeste patuit, ut non pauci quoque ethnici convincerentur, et hunc vaticiniorum auctorem, unum verum Deum, agnoscerent, inter quos Cyrus eminet. Itaque per vaticinia de factis proxime secuturis, prophetae sibi fidem coaevorum pro reliquis, tempora remotiora respicientibus, conciliare debebant. Hinc liquet, quare prophetae nonnunquam proxima etiam levioris momenti, eadem gravitate praedixerint, 2 Sam. 12, 14. 24, 11—14. 1 Reg. 11, 31—32. 13, 5. 14, 6. 12. Jes. 38, 4—8. Ierem. 28, 16—17. 37,

1 — 38, Cf. Becani Analogia V. ac N. T. Cap. 8. quaest. 3.

## §. 80. Indoles revelationis divinae.

Quae fuerit in mentibus prophetarum operatio divina, defectu experientiae nec dici, neque perspici potest, neque ipsi quidem prophetae defectu verborum dicere potuerunt, quod non est mirandum, quum et illa, quae ordinis sunt naturalis, perfecte explicari nequeunt, et permulta prorsus incomprehensibilia sunt, nec tamen minus certa, ut commercium animae cum corpore, libertas hominis, creatio, et quae alia sunt hujus generis. Qui nec animum nostrum, neque potentiam Dei comprehendimus: demonstrare quoque non possumus, Deum in animam nostram operari nihil posse; neque ostendere, qua ratione in animam hominis operetur, vel si alterutrum tentamus, verbis inanibus ludimus. Quaestio, an divina in animis prophetarum efficacia fuerit ordinis naturalis vel supernaturalis, facilius terminaretur, si adverteretur, ex parte Dei unum esse operandi modum, nec locum habere hujusmodi distinctionem; ex nostro enim cogitandi modo orta est, quo operationes in connotatis diversissimas confundere nec debemus, neque possumus. Quare revelationes illas recte a naturalibus cognitionibus distinguimus. Aliquae fortasse, quae de futuris propioribus agebant, explicari possent ex operatione divina, qua propheta ex illis, quae sibi aliunde cognita erant, ad alia inde concludenda ductus sit, ubi tamen divinae operationis sibi conscium fuisse prophetam, necesse est, ut de futuris, etsi proximis, tanta cum fiducia et accuratione loqui potuerit. Aliae autem, vel potius fere omnes revelationes hac ratione explicari nequeunt, praesertim illae, quae de temporibus remotis agunt, et quae de proxime instantibus Exod. 7—11., c. 14. c. 19, 10 — 20, 18. Num. 12, 8. leguntur. Quae de

ratione revelationum literis consignata sunt, ad sequentia redeunt.

I. Alloquium et apparitio Dei in symbolo quodam, sine extasi et absque somnio; hoc revelationis genus Num. 12, 6. seqq. laudatur ut praecipuum et summum, cf. Gen. 18—19. II. Revelatio in extasi, in qua phantasiae prophetae objiciebantur notiones et symbola, et futura in prospectibus exhibebantur, unde vaticinia dicuntur visiones, seu prospectus, et prophetae appellantur speculatores, seu videntes. III. Somnia, quae explanatione indigebant, et quibusdam, qui prophetae non erant, obtigerunt, ut Pharaoni, Gen. 41., et Nebucadnezari (Nabuchodonosoro), Dan. 2 et 4., occasionem duntaxat praebebant prophetis, suas relevationes annunciandi. Somnia aliquantum clariora, quae prophetis obtigerunt, a visionibus vix differebant; quare nomina, חָזוֹן, מַרְאָה, visio prospectus, et חֲלוֹם somnium, Num. 12, 6., uti נָבִיא propheta, et חֹלֵם qui somnium habet, Deut. 13, 2. 4. 6. permutantur, et alias quoque חֲלוֹם somnium, et חָזוֹן, visio, synonyma sunt, Jes. 29, 9. Joel. 3, 1. Jerem. 23, 25—32. Zach. 1, 7. 8. 10, 2. Interdum prophetae vigilantes hujusmodi repraesentationes in phantasia obtinuerunt, conf. 1 Reg. 22, 19 — 23. IV. Vox de coelo vel e regionibus aëris, quae articulatis tonitribus simi is fuisse videtur, Gen. 22, 11—12. 15—19. Exod. 20. Johann. 12, 18. Matth. 3, 17. 17, 5. 2 Petr. 1, 7. Act. Apost. 9. In Thalmude vocatur בַּת קוֹל, filia vocis, et refertur, sub secundo templo defectum prophetarum supplevisse. Interim Thalmudici in sua בַּת קוֹל more ethnico ludunt, et verba a quocunque, certo sensu prolata, et ab alio inopinate alio sensu excepta, vocem de coelo esse statuunt, quod cum ominibus ethnicorum prorsus idem est, Thalm. Jerosol. tract. Schabbath. p. 8. Cicer. de Divinat. I. 46. Accedit ambiguitas hujus

dictionis, siquidem בַּת קוֹל, Chaldaice בַּת קָלָא vel בְּרַת קָלָא, et Syriace ברת קלא, non modo ut بنات الجبل echo, sed simpliciter quoque vocem, imo et vocabulum denotat, Buxtorf. Lexic. Chald. Thalm. Rabbin. col. 320. Vers. Pheschito Rom. 10, 16 — 18. Gal. 4, 20. Hebr. 3, 15. V. Interna revelatio divina.

## §. 81. Elocutio prophetica.

Vaticinia pleraque stilo poëtico exarata sunt. Multa in vaticiniis itaque ad ornatum orationis spectant, non ad vivum resecanda. — Aliqua tamen oratione prosa scripta sunt, ut quae in libro Geneseos, excepto capite 49., et quae Lev. 26. Deut. 28 — 30. leguntur, et quaepiam recentiora, ut in Malachia, Haggaeo, Zacharia c. 1 — 8., et in Daniele; ast et in his oratio interdum altius assurgit. — Symbola, quae a prophetis proponuntur, et visiones seu prospectus, stilum poëticum non facile ferunt; quare prosa narrantur, — Actiones symbolicas, quas prophetae describunt, non fuisse peractas, sed tanquam parabolas usurpatas, contendit Staeudlin, Beyträge zur Erläuterung der Propheten S. 123 — 240. Id fortasse in quibusdam, uti Jer. 13, 1 — 19. 25, 15—29. Ezech. 24, 3—12., locum habet; quasdam autem vere peractas fuisse, Staeudlin ipse, evidentia narrationis convictus, fateri debuit, ut Jer. c. 27 — 28. c. 32. c. 35. c. 43. Ezech. 24, 16—27. 37, 15—28.; atque in plerisque aliis idem obtinuerit, Ezech. 4, 1—17. 5, 1—4. 12, 1—7. 24, 15—27. Hos. 1 et 3. Jes. 8, 1 — 2. 20, 1—6. Exorbitantes ejusmodi actiones prophetarum, attentionem coaevorum excitabant, ut vaticinia eo magis divulgarentur. Si quaepiam minus decere videntur, cogitandum est, aliam fuisse olim in oriente decoris ra-

tionem, ut taceam, quaepiam a Staeudlin non fuisse intellecta, uti si Jesaiam c. 20. existimat prorsus nudum incessisse, quum nudum esse, orientalibus nihil aliud sonet, quam sola veste Ehram cinctum esse, qua sola hodiedum orientales ruri laborantes, et nobiles quoque religiosi peregrinatores, quando ditionem Meccanam attingunt, citra laesionem verecundiae vestiuntur. — Prophetis illas visiones, quas describunt, minime obtigisse, sed esse quoddam elocutionis genus, nulla ratione evinci potest, quippe qui constanter asseverant, haec sibi visu oblata fuisse; nec apparet, cur revelationes talibus involucris texissent, si eas alia sub forma recepissent. Id vero minus sollicitum tenet interpretem, quia prospectus hi, eodem prorsus modo explanandi sunt, ut symbola, in quibus non omnia adjuncta quidquam certum designant, sed plura ad integritatem duntaxat imaginis spectant; quare eo praesertim enitendum est, ut perspiciatur, quid sit in repraesentatione visionis praecipuum, et quid per illud designetur, quod plerumque vel aliquibus nutibus et indiciis, vel expressis etiam verbis indicatur.

## §. 82. De eventu vaticiniorum.

Quae agitatur gravissima quaestio de eventu vaticiniorum, absque magno molimine solvitur, si distinguantur illa prophetarum effata, de quorum objecto nulla, vel nonnisi manca adest historia, uti de illis, quae praedicta sunt Philistaeis, Moabitis, Aegyptiis, et Aethiopibus, etc., quorum eventus ostendi nequit, neque tamen negari jure potest. Dein observandum est, plura vaticinia praecinere eventus, qui per longum temporis spatium successive contigerunt, ut reditus decem tribuum ex exilio, plena eversio Babylonis, etc.; complementum horum vaticiniorum habuit initium tenue, quod succrevit, et pluribus interdum seculis perfectum

fuit. Quorundam vaticiniorum eventus nondum completus est, uti propagatio verae religionis, et conversio Judaeorum ad regem suum David seu Messiam, conf. Rom. 11. 25—28. De his vaticiniis aeque dici nequit, eventu caruisse. Denique erant quoque vaticinia hypothetica, quae, conditione non posita, implenda non erant. His observatis non erit vaticinium, cujus eventus ostendi nequeat.

---

# Caput secundum.

## De prophetis sub regibus Amazia, Uzzia, Jotham, Achaz et Hizkia.

### §. 83. Jonas.

Jonas filius Amitthai יוֹנָה בֶּן אֲמִתַּי ex Gath Hachepher in tribu Naphtali (Jos. 19, 13) oriundus, vaticinatus est 2 Reg. 14, 25., antiquos regni Israel limites restituendos esse, quod sub Jeroboamo II. contigit. Vixit igitur circa annum 825 ante Christum, 150 post schisma. Hoc aevo in urbe Nineve, in quam Jonas mittitur, Phul, primus rex novae monarchiae Assyriorum, regnaverit 2 Reg. 15, 18—20.

### §. 84. Argumentum libri Jonae.

Jonas, a Deo Nineven proficisci jussus, in civitatem Joppe abit, et navim conscendit, Tartessum in Hispaniam navigaturus. Deus vero immittit mari terribilem tempestatem, ut naufragium immineret, et omnes in navi implorarent deorum auxilium; Jonas autem in

angulo quopiam navis incurius stertit, donec excitaretur, ut et ipse Deum suum invocaret. Conjiciunt denique sortes, ut manifestaretur, cujus caussa numen tantam eis tempestatem immisisset; et sors cadit in Jonam. Interrogatus propheta, quis esset, et quidnam commisisset, respondet, Hebraeum se esse, et servum Dei coeli; nunc autem ab eodem fugere; porro interrogatus, quid de se ipso statui vellet, respondet, ipsum in mare projiciant, et finem fore tempestatis. Verentes nautae, servum tanti Dei exitio dare, tentant, ad littus reverti; ast contrariis ventis orientalibus impediti, deprecantur Jehovam, ne illis mortem hominis imputaret, et Jonam projiciunt in mare. — Deus vero praeparaverat piscem grandem, qui Jonam deglutivit. In ventre hujus animalis Jonas precatur Deum, et canticum componit. Tertia demum die piscis, a Deo jussus Jonam in continentem evomuit. — Propheta nunc jubenti Deo paret, Nineven venit, et, itinere unius diei ingressus, annunciat, urbem post 40 dies interituram. Omnes ad poenitentiam convertuntur, et Deus civitati parcit. — Quapropter Jonas ira exardescit, mortem exoptat, et cum Deo altercatur, id ipsum fuisse, quod veritus fuerat, et ideo in Hispaniam fugere voluisse. Nam in monte ad ortum civitatis consederat, ibique umbraculo exstructo exspectaverat, quaenam sors urbis futura esset. Deus vero praeparavit ricinum, quae Jonae umbram gratissimam praebebat. Cum autem Deus jussisset vermem, laedere ricinum, ut exaresceret: Jonas, ardoribus solis expositus, id rursus aegerrime fert, et mortem sibi exoptat; quare a Deo reprehenditur, quod ob interitum ricini tantopere commoveretur, et nihilominus peteret, ne Deus moveatur poenitentia urbis, in qua ultra 120000 infantes, usum rationis nondum adepti, et tot pecudes degunt. — »Docetur hac historia magni momenti veritas, supremum humani generis judicem ad gentium mo-

res attendere, atrocissimis sceleribus commaculatas, et immersas non diu ferre posse; non tamen earum poena et pernicie delectari, et lento gradu ad vindictam procedere. Praeterea gentes magnasque societates in hac tantum vita existentes, etiam hic puniri, aut praemiis ornari, posse Deum salva sua sanctitate iis parcere, si resipiscant, et ad virtutem redeant. Voluit Deus illustri hoc exemplo publice declarare omnes totius mundi nationes sibi curae, cordique esse, et publice docere, quid gentes timendum, vel sperandum habeant; Judaeis quoque perversam illam philautiam, quasi ipsi soli a Deo dilecti, caeteri mortales omnes exosi, et contemti essent, eripere.« Verschuir opuscula ex edit. Lotze.

## §. 85. Difficultates narrationis.

Argumentum hujus libelli plures recentiorum statuunt esse parabolam, cujus finis fit, docere ethnicos (quorum exemplar sunt Ninevitae) esse bonae indolis homines, qui facile emendari possunt, nec adeo dignos poenis, prout Hebraei arbitrabantur; e contrario Hebraeos (quorum personam sustinet Jonas) perpetuo esse refractarios, et perceptis licet tot tantisque beneficiis divinis manere inflexibiles. — Fundamentum hujus sententiae sunt occurrentes difficultates, et quidem: I. Plura occurrunt extraordinaria, quae immediate ad Deum referuntur. II. Imprimis nihil sibi simile habens conservatio Jonae in ventre piscis per tres dies et noctes, ut nec naturali stomachi calore concoqueretur, neque etiam defectu recentis aëris suffocaretur, quin hujus tanti miraculi scopus conveniens perspici possit. III. Indoles Jonae, qui a Deo fugit, summo imminente tempestatis discrimine et aliis omnibus numen implorantibus, quietus dormit, se ipse offert, projiciendum in mare, et denique perpetuo Deo refragatur. IV. Silentium adjunctorum, quae in historia memoranda es-

sent, ut puta, in quam regionem piscis evomuerit Jonam; quae fuerint delicta Ninevitarum, quae alias prophetae tacere minime solent; qua calamitate civitas perdenda esset; an in illa totius civitatis poenitentia etiam idololatria abolita fuerit. V. Ipsa haec ad unius ignoti viri nuntium poenitentia universalis, et praeceptum a rege etiam infantibus et jumentis jejunium et lugubris vestitus. VI. Silentium historiae profanae et sacrae de facto tam singulari. VII. Conscensio navis in civitate Joppe, quae ante diluvium exstructa fuisse ferebatur, et in mythologia quoque Andromedae celebris est; atque convenientia commorationis Jonae in ventre piscis per triduum, cum triduano certamine Herculis in ventre piscis.

Arbor, quae umbraculum praebuit Jonae, in Vulgata nominatur hedera, quam vocem Hieronymus, ad evitandas lites, ex antiqua versione retinuit, alias contendens, Hebraeum קִיקָיוֹן non esse hederam, sed ricinum, et recte; nam haec arbor vel frutex in Aegypto idem nomen sub forma Kiki, non modo usque ad aetatem Strabonis, sed etiam usque ad nostra tempora retinuit. Celeriter crescit: ast facile quoque marcescit. Folia, mensuram pedis aequantia vel superantia umbram commodam praebent. Flores ac fructus rudes et maturos eodem tempore fert, quare Germanis Wunderbaum dicitur.

## §. 86. Solutio Difficultatum.

Ad I Scopus, cur Jonas ad Ninevitas missus est, requirebat multa extraordinaria, ut eo magis pateret veritas, Deum Hebraeorum unicum verum esse Deum. Ad II. Piscem magnum, qui Jonam deglutivit, plurimi conjiciunt fuisse canem marinum, maximi generis, quem carchariam vocant, aut lamiam, qualem mediocrem se vidisse scribit Rondeletius in Santonico littore, mille librarum pondus non excedentem, gulae tamen tam patentis, ut hominem etiam obesum capere potuerit, quod, monente Rosenmüllero cum Bo-

charto ad Jonae II, 1 fidem adstruit Petro Gillio referenti, Nicaeae et Marsiliae captas fuisse lamias 4000 librarum, in quorum ventriculo loricati homines integri reperti sunt. Cf. Bochart, Hieroz, L. V. c. 12 Tom. III. p. 688. sqq. edit. Lips. — Ast manet difficultas: quomodo in ejus ventre Jonas vitam retinere potuit? — Sane non sine miraculo. Non sunt quidem miracula sine ratione multiplicanda, sed si propter miracula libri fides in dubium vocanda sit, quis tum S. librorum fide dignus manebit? — Qui in fornace ardente, et in leonum spelunca homines illaesos, et vivos conservare potest, etiam potest in piscis ventre. Dubitari tantum potest, num voluerit, de quo nequit judicari nisi ex causis Dei sapientia dignis, quae in hac historia, ut vidimus, occurrunt. Ad III Fugae ratio quaerenda est in eo, quod molestam illam ad Ninevitas legationem evitare, ipsumque munus propheticum potius a se removere vellet. Sciebat enim se in hac re Deo obsequium negantem munere amplius prophetico fungi non posse, adeoque hoc munere carens potius inter ignotos in regione longe dissita, quam in patria versari voluit. — Quod summo imminente tempestatis discrimine dormiat, hujus historiae verisimilitudine adversari dicunt. Ast fieri, potuit, ut somno se tradiderit aut laboribus defatigatus, 1, 5. aut ad conscientiae stimulos evitandos, ut observat Theodoretus. — Si Jonas se ipsum offert projiciendum in mare, magnum est hoc exemplum amoris erga alios, nullo modo omnem fidem superans. Forte etiam in tanto periculo spem aliquam ex divina clementia concepit, ut ex precibus mox fusis conjicere licet. Ad IV Adjuncta quidem plura omissa sunt, ast non est hoc urgendum in opere exigui adeo voluminis, cujus auctor, ut palam est, tantum extraordinaria referre voluit, quibus majestas, et clementia Dei Hebraeorum probaretur. Ad V Fieri utique potuit, ut rumor de illa horrenda tempestate, de Jona in mare praecipitato, et

per miraculum servato ad eorum aures pervenerit, ut a nautis aliisque hic allatus fuerit nuncius; omniaque provida Numinis cura ita fuerint directa, ut ipse hic singularis casus, fuga, tempestas, miraculosa Jonae liberatio fuerit causa fidei, et resipiscentiae Ninevitarum. Accedit tempore, quo Jonas vixit, Deum Hebraeorum, Ejusque legatos exteris gentibus, in specie Assyriis ignotos fuisse, gratis sumi; imo jam longo tempore ante Jonam, ut docet historia Salomonis, Hebraei etiam apud dissitas nationes celebres erant. Ad VI. nulla quidem in historia veteri exterorum scriptorum singularis hujus eventus extat vestigium, sed quis in tanto monumentorum defectu, et de multis aliis rebus silentio miretur? — Ad VII. Mirandum est, viros perspicaces tali moveri argumento, nam prorsus indoli Hebraeorum religiosae contrarium est, mythos, et fabulas ethnicorum transferre in Deum suum, ejusque legatos, prophetas. Potius dicendum cum Bocharto l. c. »Cum per Phoenices ad Graecos venisset fama tenuis de vate Hebraeo, quem canis Carcharias deglutitum, et in ventre servatum toto triduo, tandem sanum, et incolumen evomuerit in littore, id Herculi suo tribuere non dubitarunt, quod videbatur esse summi roboris argumentum.« Cf. Sanctii Comment. in proph. min. ad Jon. 1, 3. Caeterum si remanerent difficultates, inde nondum sequeretur, libellum nostrum parabolam aut fabulam continere, nisi plura difficultatibus laborantia in historia profana ad parabolas, aut fabulas referre velis. Cf. Hess Geschichte der Könige Juda und Israels. Tübingen 1790. Vol. I. p. 296—372. Dr. J. H. Verschuir opuscula ex edit. Dr. J. A. Lotze Traj. ad Rh. 810 pag. 36—105. Friedrichsen Krit. Ueberblick der merkwürd. Ansichten vom Buche Jonas etc. mit einer Vorrede von Dr. G. S. Franke. Altona 817.

## §. 87. Liber Jonae veram continet historiam.

Nihil est in hoc libello, et narrationis modo, quod non historiam sapiat. Narratio simplex est historico; non poëtico stylo exarata. Nulla hic occurrunt figurae poeticae, nisi in carmine doxologico; omnia quoque verae historiae criteria hic reperiuntur. Initium tale est, quale librorum historicorum esse solet: ויהי. Propheta Jonas describitur tanquam Amitthaei filius, qui in S. Historia tanquam celebris propheta notus est. Patris nomen additur, ne de alio Jona, multo minus ficta persona cogitaretur, sed de eodem Amitthaei filio, cujus mentio fit 2 (4) Reg. 14, 25. Ex quo loco liquet, solum ejus natale fuisse Gath Hach-Sepher, et floruisse sub Jeroboamo II. Eodem tempore vel paulo post Assyriorum regnum tenebat Phul, illudque florebat, ac opibus valebat, nam hic rex Menahemi tempore regnum Israeliticum aggressus fuit et spoliavit, Menahemus regni sui confirmationem ab ipso emere fuit coactus. Quae porro de magnitudine, et incolarum frequentia Nineves dicuntur, veterum historicorum Herodoti, Diodori Sic. relatione confirmantur. Iter quoque in Hispaniam ex Joppes portu commodum et fugienti e patria Palaestina, ut longe se ab Assyria removeret, opportunum. — Josephus Fl. totam hanc historiam enarravit et quidem, ut ipse dicit »quaecunque de propheta hoc inveni in libris hebraicis annotata.« Porro Thalmudici, et Patres ecclesiae de veritate hujus historiae non dubitarunt. — Quod autem praecipuum est, eam ipse Christus agnovit, ac comprobavit Matth. 12, 39—41. 16, 4 Quam vere Christus per tres dies noctesque in sepulcro, tam vere Jonas tamdiu fuit in ventre piscis. Non dubitandum igitur de historica veritate omnium eorum, quae in hoc libro referuntur. Luc. 11, 32. »Viri Ninivitae, inquit Christus, in judicio surgent cum generatione hac, et condemnabunt

eam, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae.« — Fac Jonae historiam esse parabolam, aut fabulam, qua quaeso ratione surgent Ninevitae cum Judaeis, et in extremo atque universali de humano genere judicio eos condemnabunt? — quod ipsi ad Jonae praedicationem resipuerint, Judaei vero Christo ad poenitentiam hortante manserint inpoenitentes. Nullum sensum, nullam vim haec Christi argumentatio habere potest, si Jonas ad Ninevitas missus non fuerit, nec illi poenitentiam egerint. Caeterum clarum est argumentationem Christi huc redire; Ninevitae tempore ultimi judicii Judaeis erunt opprobrio et condemnationi, siquidem ex eorum exemplo clarissime liquebit Judaeos inpoenitentes jure condemnari, et Ninevitis multo esse pejores.

## §. 88. Aetas libri Jonae.

Jonam ipsum esse auctorem libelli nostri, antiqui omnes asserunt. Et vere plura ex argumentis, quae contra hanc sententiam afferuntur, facile refelli possunt. Descriptio magnitudinis Nineve omnibus tempore prophetae nostri satis notae, seriorem Jona auctorem non indicat, quia antiquis illis temporibus notitiae geographicae inter Israelitas haud amplae fuerint; praeterea non paucorum Veterum auctorum scripta in recentius aevum essent rejicienda, si haec observatio veritate niteretur. Cf. Rosenmülleri Prolegg. in Jonam. — Jonae 3, 3 הָיְתָה commode vertitur: est ut recte animadvertit Staeudlin (Neue Beyträge zur Erläuter. der bibl. Proph.). — Porro, quod dicunt: canticum Jonae compilatum sententiis, quae ex scriptis antiquioribus depromtae sunt, ostendit auctorem libri recentiori aetate, forsan post exilium Babylonicum, vixisse; vel collatione cantici Annae 1 Sam. 2, 1—10. cum Ps. 113 refellitur. Cf. Eichhorn allg. Bibliothek der bibl. Lit. Part. IX. p. 221. — Majoris momenti est, linguam li-

belli nostri — excepto cantico — exhibere Chaldaicas voces, particulas compositas, et alia posterioris aevi verba. — Dici quidem posset, hoc inde repetendum, quod Jonas in regno Israelis vivebat, cui magnum commercium cum Aramaeis intercedebat, ex quo Israelitae peregrinorum vocabulorum consuetudinem contraxerunt. Ast nihil tale invenitur in Hosea et Amoso, qui aeque in regno Israelis vaticinia sua ediderunt, et non longo tempore post Jonam vixerunt. — Quare Jonas ipse non videtur esse auctor nostri libelli, sed alter potius ex majoribus commentariis hanc historiam breviter exaravit, et quidem ante deletam a Kyaxare Nineven serioribus tamen regni Judaici temporibus; Jeremiae forsan aequalis, ultimisque Josiae regis annis vixerit.

## §. 89. Amos.

Amos, עָמוֹס, urbe Thekoa (2½ mill. Germ. a Jerusalem in meridie oriundus, 7, 14 dicitur בּוֹקֵר, non bubulcus (a בָּקָר boum grex) sed, ut c. 7, 12. exponitur, pastor ovium, ab Aramaeo בַּקְרָא grex qualiscunque. Hinc 1, 1. נוֹקֵד vocatur. Propheta venit in regnum Israel et vaticinatus est in urbe Bethel, sede vituli aurei. Ab Amazia sacerdote abire jussus, et regi Jeroboamo II. delatus, sua vaticinia prosecutus est respondens, se non esse prophetam similem illis, qui in regno Israel alebantur, neque etiam prophetarum filium, seu discipulum, qui, ut panem lucraretur, artem hariolandi didicerit, sed pastorem, cui sycomori alimentum praebeant. Amos itaque, nisi animum suum, omnibus contentum, significare voluerit, dives non erat, neque tamen fuit servus, qui gregem et herum deserere non potuisset; sed erat dominus gregis, et, ut conditio nomadum est, vir spectabilis. Librum, uti ex 1, 1. colligitur, demum Thekoam redux scripsit.

## §. 90. Aetas prophetae Amos.

Amosum sub Uzzia rege Juda, et Jeroboamo II. rege Israel, scripsisse, non solum inscriptio edicit, sed argumentum quoque libri confirmat. In libro enim sistitur respublica Israelitica, qualis per Jeroboamum II. restituta fuit, 2 Reg. 14, 23—28. conf. Amos 6, 13—14. Arguuntur scelera, quae laeto civitatis statu audacter committebantur: idololatria, incestus, oppressiones, fraudes, et alia hujus generis, Amos 2, 6. 3, 10. 14. 4, 4—5. 5, 5. 10. 20. 21. 6, 4. seqq. 8, 5—6. Ex tanta morum corruptione apparet, prophetam aliquo temporis intervallo post victricia Jeroboami arma surrexisse, quod inscriptio confirmat, simul regem Uzziam nominans, qui 27mo anno regis Jeroboami thronum Judae conscendit. Propheta librum ante mortem Jeroboami edidisse videtur; quia tumultus, quibus post Jeroboamum II. civitas Israelitica agitata fuit, non attingit. Accuratior temporis notatio 1, 1.: duobus annis ante terrae motum, nobis nihil confert, quia annus hujus celeberrimi terrae motus, qui etiam a Zacharia 14, 5. memoratur, ignotus est. Sistendum itaque in ultimis 14 annis Jeroboami, 798—784 ante Chr., 177—191 post schisma.

## §. 91. Argumentum libri Amos.

Argumentum respicit regnum Israel; primis tamen duobus capitibus, vicinis quoque regnis, et ipsi etiam regno Juda et Israel excidium per ignem et ferrum praedicitur. Sequentibus quatuor capitibus (3—6.) grassantia in regno Israel scelera arguuntur, et eversio regni per atrocia bella praedicitur, quae et 7, 1—9. atque c. 8. et c. 9, 1—10. visionibus significatur. Capite autem 7, 10—17. Amos praedicit Amaziae, a quo Bethel abire jussus fuit, mala instantia; et 9, 12—15. de Messia, de reditu ex exilio, et nova republica Hebraeorum loquitur. — Singularem attentionem meretur

I. praedictio, Syros ad littora fluvii Kir, Kur, vel Cyri, (qui sub 39 gradu latitudinis, ab occidente in mare Caspium se exonerat) deportandos, 1, 5., quod post 50—60 annos accidit, 2 Reg. 16, 9. II. Vastatio Jerosolymorum per ignem, 2, 5., quae 200 annis post prophetam contigit. III. Deportatio Israelitarum in septemtrionales supra Damascum regiones, et eorundem dispersio, 5, 6. 27. 7, 17., quae post 60—80 annos subsecuta est, 2 Reg. 15, 29. 17, 1—41. Haec praedicuntur florentissima republica Israelitica et Judaica. IV. Reditus Israelitarum in patriam, qui post 300 annos, vel serius contigit. V. Multo adhuc remotior alius David seu Messias, et conversio gentium, 9, 11—12.

Jeroboam, 2 Reg. 14, 17. 23. 2 Paralip. 25, 25., sceptrum adeptus est anno 15. Amaziae, regis Juda, qui 27 annos regnavit, et successorem reliquit filium Uzziam; quare Uzzias thronum conscendisset anno Jeroboami 14to, quod tamen 2 Reg. 15. 1. contigisse refertur anno 27mo Jeroboami, desunt itaque, ab anno 14to usque ad annum 27mum Jeroboami, in regno Israel 12 anni, profecto non anarchici, quum respublica ubique appareat salva, et Uzzias 2 Reg. 14, 20—21. 2 Paral. 25, 27—28. 20, 1. mox post Amaziae obitum regni gubernacula suscepisse legatur. Videtur itaque Jeroboamus vivente patre suo Joasch, regni consors fuisse 12 annos, qui, etsi ad regnum Joaschi spectant, 2 Reg. 15, 1., Jeroboamo tamen attributi sunt; id eo verisimilius est, quia Joasch ipse ultimis tribus annis patris sui Joaschas, regni consors fuit, et hinc consorti assuetus, post obitum patris mox strenuum filium regni participem fecit.

## §. 92. Elocutio Amosi.

Elocutio est poëtica, non quidem sublimis, nequaquam tamen humilis. Tropi et orationis ornamenta pleraque depromta quidem sunt ab objectis pastoralibus, quae autem dignitate minime carent, 1, 2. 2, 13. 3, 4—5, 8, 12. 4, 1. 5, 11. 9, 1. In visionibus desi-

deratur nonnunquam integritas adumbrationis, nihil tamen repraesentationi deest. Quae saepius proponuntur, sub alia semper facie repetuntur, 2, 6. et 3, 9. 4, 1. 5, 10—11. 8, 5. 4, 3. et 5, 8. 9, 6. Hic igitur pastor fuit vir cultus, quod et ex notitiis geographicis, historicis et astronomicis, quae occurrunt, elucet, 1, 3. 9. 2, 1. 9. 5, 8. 26. 6, 2. 5. 14. 9, 7. Voces rariores, ut 3, 12. בְּדַל; 6, 4. 5. 10. סָרַח, פָּטַר, סָרַף; 3, 13. דְּמֶשֶׁק, 5, 11. בּוֹשַׁסְכֶם; 7, 14. בָּלַס, et quaepiam adagia, forte ex urbe Thekoa descendunt. Immerito tamen Hieronymus Praef. comment. in Amos, prophetam, imperitum sermone vocavit. Duriora 6, 8. מְתָאֵב pro מְתָעֵב, et 8, 8. כָּאוֹר pro כַּיְאֹר, fortasse a mendis librariorum descendunt.

## §. 93. Actas Hoseae.

Hoseam, הוֹשֵׁעַ, filium Beeri, inscriptio facit coaevum Uzziae, Jothamo, Achazo et Hizkiae, regibus Juda, et Jeroboamo II., regi Israel, de cujus successoribus, Uzziae, Jothamo, Achazo et Hizkiae coaevis, nulla fit mentio. Per 126 annos, quibus hi principes regnarunt, Hoseas vaticinari non potuit; si ultimis Jeroboami annis surrexit, et primis Hizkiae annis munere cessit, 55 — 60. annos vaticinatus est. — Inscriptio quidem cum initio libri connexa non est, et hinc ab aliena manu adjecta esse posset; quidquid sit, edicit profecto verum; nam respublica Israelitica in libro sistitur, qualis post Jeroboamum II. erat, tumultibus jactata; sequentibus enim 43 annis duo interregna, alterum 12, et alterum 9. annorum, intercesserunt; per 22 annos reliquos, quatuor reges trucidati sunt; crudelis Menachem 10 annos regnavit, et quamvis respublica in formam militarem redacta erat, nihilominus coactus fuit, regnum ab Assyriis pecunia redimere; Phekach (Phacee) robur regni per bellum contra regnum Juda, porro debilitavit, et ab Assyriis devictus, Galilaeam

et Peraeam amisit; denique sub rege Hosea regnum ipsum a Salmanassare eversum est, de quo tamen propheta tacet; unde concludimus, ante annum 722 ante Chr., et 253 post schisma, librum scripsisse, conf. 2 Reg. 14, 23—18, 12. 2 Paral. 26, 1—29, 2.

## §. 94. Argumentum libri Hoseae.

Hoseas quidem, sicut Amos, praesertim regno Israelitico vaticinatur, nihil autem de sorte gentium vicinarum interponit, de regno tamen Juda saepius, quam Amos, mentionem facit, ut 1, 7. 4, 15. 5, 5. 10, 12. 13. 14. 6, 4. 11. 8, 14. 10, 11. 12, 2. Unde colligimus, Hoseam non, ut Amosum, in regno Israel, sed in regno Juda vaticinatum esse. — Capite primo quatuor exhibet symbola, quae capite secundo explicat de grassantibus sceleribus et eversione regni Israel, de deportatione et reditu civium, et de felici quondam aevo, quo Israelitae fideles Dei cultores erunt. — Alio symbolo c. 3. portendit exilium satis longum, quo decem tribus, etsi ab idololatria abhorrentes, Deum tamen sibi nequaquam experientur benevolum, tandem autem Deum, et regem David seu Messiam quaerent. — Reliqua 11 capita, in 9 dividenda fuissent; nam c. 5tum cum 6to, et c. 13tium cum 14to cohaeret. Leguntur in his reprehensiones idololatriae, seditionum et scelerum regni Israel, quae in civitate, tumultibus perturbata, grassari solent, ut mendacia et perjuria, quibus reges, identidem creati, fallebantur, et in perniciem trahebantur; porro homicidia, furta et spoliationes, adulteria et fornicationes. Interseruntur passim monita ad morum emendationem, et populus se ad eam comparare incipit, sed instabilis, in pejora relabitur, 6, 1—7, 2. Reprobantur foedera, quae pugnantes inter se, jam cum Aegyptiis, jam cum Assyriis pangebant. Sors, quae praedicitur, est eadem, quam propheta c. 1 et 2 vaticinatus est: I. eversio regni et vastatio regio-

nis 1, 4—7. 2, 14—16. 4, 5. 5, 8—9. 9, 6. 10, 7—8. 11, 6. 8. 13, 8. 13. 14, 1.; vastatio imminet quoque urbibus Judae c. 8, 14.; II. deportatio civium, 1, 8—9. 2, 15. 16. 4, 16. 9, 3. 17. 11, 5—6. 13, 3.; III. reditus et constans demum Dei cultus 2, 15—23. 14, 5—9., qui eventus a propheta ultra 200 annos distabat.

## §. 95. Elocutio Hoseae.

Symbola c. 1 et 3., oratione prosa describuntur, reliqua omnia poëtica sunt, in quibus parallelismus membrorum non ubique accurate observatur. Stilus, paucis locis exceptis, parum est vehementior et sublimior quam in libro Amos; sed Hoseas, ut jam Hieronymus observavit, commaticus est, et quasi per sententias loquitur. Accedunt tropi, similitudines et imagines frequentiores, quae paucis describuntur; quare nonnunquam perspicuitas desideratur. Dictiones et verba non sunt longe petita, occurrunt nihilominus quaepiam rariora, ut עַל, 7, 16. 11, 7. notione eminentiae, conf. Jes. 59, 18. 63, 7. In nonnullis locis fortasse mendum subest, ut 10, 9. עַלְוָה, quod, ut 10, 3. עַוְלָה legendum esse videtur.

## §. 96. Michas et aetas ejus.

Micham seu Michaeam, מִיכָה, inscriptio prodit Morasthiten, הַמֹּרַשְׁתִּי, ut a Micha, filio Jimlae, qui 1 Reg. 22, 8—28. (897 ante Christ., 78 post schisma) prophetavit, distinguatur. Cognomen nequaquam est gentilitium, sed descendit a loco nativitatis Morescheth Gath, מֹרֶשֶׁת גַּת Mich. 1, 14., vel potius Marescha, מָרֵאשָׁה vel מָרֵשָׁה Mich. 1, 15. Jos. 15, 44. 2 Paral. 11, 8. 14, 9—10., urbe tribus Judae in valle Zephata. — Inscriptio, quae cum initio libri arcte cohaeret, testatur, Micham vaticinatum esse sub Jothamo, Achazo et Hizkia, qui ab anno 759 usque 699 ante Chr., et ab

anno 216 usque 276 post schisma, regnarunt. Itaque fere 30 annis serius surrexit, quam Hoseas, eidem tamen deinceps coaevus fuit, quocum etiam ante 6tum Hizkiae annum (722 ante Chr., 253 post schisma), quo respublica Israelitica eversa est, librum suum edidisse videtur; nam de luctuosa hac calamitate ubique ut futura loquitur. — Γνησιοτης vaticiniorum de plena Jerosolymorum et templi eversione, suffulcitur testimonio Jerem. 26, 18 — 19.

## §. 97. Argumentum libri Michae.

Michas Israeli et Judae vaticinatur, prout inscriptio edicit. Primis duobus capitibus praedicit eversionem regni Israel et deportationem civium, et exprobat crimina, quae grassabantur. Addit 3, 12., etiam Jerosolymis impendere excidium, et vix rudera fore conspicua; ast remotioribus quondam temporibus templum fore celeberrimum, et etiam a gentibus invisendum; nam Babylonem deportatos in Judaeam reversuros, theocratiam restituros, et Sionem rursus fore sedem regiam, 4, 1 — 8. 4, 9 — 12., ubi addit, hostibus (Chaldaeis) quoque imminere castigationes. Dein prospectui prophetae objiciuntur gloriosa bella Maccabaeorum, et strages hostium (Syro-Macedonum). Conspicit demum c. 5., regem Bethlehemo ex familia Davidis oriundum, i. e. Messiam qui nonnisi post magnas calamitates venturus sit, in quibus tamen 5, 4 — 8. (tempore Maccabaeorum), non deerunt duces contra Assyrios, prout Syri etiam a Zacharia 10, 11. nominantur. Ast 5, 9 — 13. videt aevum Monarchiae Persicae, et v. 14. attingit rursus strages Macedonum in Syria. — Altera pars libri c. 6 — 7. eleganti theodicaea exorditur; dein scelera arguuntur, in quorum poenam Judaea vastabitur. Pergit propheta 7, 1 — 6. morum corruptionem exprobrare, et v. 7 — 10. civitatem Judaicam tanquam matronam inducit, quae animum ma-

lorum patientem contestatur, et futuram liberationem et hostium cladem sperat. Respondetur, urbem Jerosolymorum aliquando restauratum iri, et Hebraeos in patriam reversuros esse. Propheta demum orat, ut haec promissio opere compleatur, et Deus v. 15 — 17. promissionem confirmat, quare propheta in gratiarum actionem erumpit. Praedicit itaque propheta I. eversionem non tantum reipublicae Israeliticae, quae proxime instabat, sed etiam reipublicae Judaicae et excidium Jerosolymorum, 3, 12. 7, 13.; II. deportationem Judaeorum in Babyloniam, 4, 10 — 11. 7, 7 — 8. 13. Hi eventus distabant a Micha fere 150 annis, et hostes, nempe Chaldaei, qui haec mala illaturi essent, aetate prophetae inter gentes nondum eminebant. Vaticinatur porro III. reditum ex exilio, restaurationem Jerosolymorum et templi, ejusque celebritatem, constantiam in cultu Jehovae, et tempora quieta sub monarchia Persica et Graeca, quae omnia a propheta 200, imo et 500 annis dissita erant, 4, 1 — 8. 7. 11. 14 — 17. Praedicit IV. adhuc remotiora bella Maccabaeorum 4, 13.; V. sedem regiam in Sione 4, 8., et VI. regem Bethlehemo, e familia Davidis oriundum, sc. Messiam 5, 1.

## §. 98. Elocutio Michae.

Oratio Michae sublimior et vehementior est quam Amosi et Hoseae. Tropi sunt elegantes, et pro varietate materiae variant. Enarratio ubique accurata et clara, et reprehensiones acerrimae. Paronomasiae occurrunt frequentiores, 1, 14 — 16. 2, 6. 4. 14., quae in linguis orientalibus singularia sunt orationis lumina, ut vel ex consessibus Hariri patet. Familiares Michae sunt dialogi, in quibus personae loquentes, prout mos est

orientalium, sine admonitione lectoris variant, quod minus attentis hinc inde tenebras offundit, ubi omnia clara sunt, ut Mich. 2, 6—12. 7, 7—17.

## §. 99. Editio libri Michae.

Hartmannus contendit in Micha neu übersetzt S. 11—12., Micham demum sub Manasse floruisse, et librum, ipsius nomine inscriptum, in exilio Babylonico ex diversis vaticiniis compilatum esse, quorum duntaxat aliqua, a Micha scripta fuerint. Verum hypotheses hypothesibus superstruit, loca, quae hypothesi repugnant, ex conjectura dogmatica impugnat, et ipsum quoque testimonium Jer. 26, 10. rejicit, denique nec structuram orationis ubique perspexit. Liber integer temporibus Jothami, Achazi et Hizkiae exacte respondet, quo solo argumenta pro recentiori aetate, a depravatione morum desumta, repelluntur. Nam Jothamus altaria illegitima tolerabat, 2 Reg. 15, 35. 2 Paral. 27, 2.; Achazus erat idololatra, qui etiam templum clausit, 2 Reg. 16, 1—4. 2 Paral. 28, 2—4. 22—25.; Hizkias idololatriam quidem vetuit, atque, cultum Dei in templo restituit, 2 Reg. 18, 3. 5. 2 Paral. 29, 3—31, 21.; ast quis credat, omnes subditos et magistratus se mox ad mandatum regis conformasse? In regno Israelitico, quod Michas simul respicit, Phekach, qui Galilaeam et Gilead cedere Assyriis, coactus est, 20 annos regnabat, et secuti sunt 9 anni tumultuum, quibus crimina impune patrabantur; denique Hoseas rex ultimus 11 annos sceptrum tenuit, quibus nondum elapsis, noster librum edidit. Hinc patet materiam reprehensionibus minime defuisse, ut non sit necesse, aetatem Manassis arcessere.

## §. 100. Jesaias et aetas ejus.

Jesaias, filius Amoz, יְשַׁעְיָהוּ בֶּן אָמוֹץ, vir inter primores Jerosolymitanorum, Jes. c. 7 et c. 36—39. 2

Reg. c. 18—20., vocatus est, 6, 1., ante Micham, nempe anno, quo mortuus est Uzzias 759 ante Chr., 216 post schisma, et munere fungebatur sub Jothamo et Achazo, atque ultra 14tum annum Hizkiae seu Ezechiae. Vaticinatus est igitur saltem 48 annos sed probabilius multo longiori tempore, nempe usque ad tempora regis Manassis, sub quo eum sera dissectum fuisse, Thalmudici tradunt. Hanc Manassis aetatem innuunt etiam illae redargutiones scelerum, inprimis idololatriae, ut superstitionis omnium stultissimae, sacrificiorum humanorum, et malorum pastorum seu regum; Jes. 56, 10—12. 57, 1—21. 59, 1—19. Ceterum Jesaias partim coaevus fuit Hoseae et Michae, quod consentiens cum his prophetis argumentum libri confirmat.

## §. 101. Argumentum libri Jesaiae.

Prima libri Jesaiae pars c. 1—39., exhibet diversa vaticinia contra Judam, Israelem, et alias gentes, in quorum coordinatione vix alia apparet ratio, quam quod vaticinia a c. 1. usque ad c, 12. Judam et Israelem; a c. 13. gentes alias; a c. 24 usque ad c. 35. maxima ex parte regnum Juda concernunt; denique a c. 36. usque ad c. 39. singularia ex historia Hizkiae referuntur, quibus intexta sunt vaticinia Jesaiae. — Secunda pars, a c. 40 usque ad c. 66., unum est vaticinium, quo eversio regni Chaldaeorum, reditus Hebraeorum exulum in Judaeam, et tempora sequentia usque ad Messiam adumbrantur. Praecipua, quae praedicuntur, sunt: I. Eversio regni Israel, quae 6to anno Hizkiae contigit, a Jesaia autem, uti a Micha, Hosea et Amos, diu ante indubitanter praedicta fuit. II. Sancheribi (Sennacheribi) expeditio contra Aegyptum, vastatio Judaeae, provocatio Jerosolymorum ad deditionem, singularis strages exercitus ejus, reditus ejus in civitatem Nineven, et mors, conf. Mich. 1, 9. 12—13. Propheta passim mala omnia, quae reg-

num Juda a Thiglathphilesere, Salmanassare et Sancheribo sustinuit, simul prospicit et adumbrat. III. Captivitas Babylonia et omnimoda vastatio Judaeae, conf. Mich. 3, 12. 4, 9—11. 7, 7. 8. 13. et Amos 2, 5. IV. Sors Philistaeae, Moabitidos, Tyri, Damasci, Idumaeae et Aegypti, et praesertim eversio regni Chaldaeorum et Babylonis. V. Reditus Hebraeorum ex captivitate, restauratio Jerosolymorum et templi, amica consociatio Israelis cum Juda, constans demum Dei cultus, propagatio religionis, et tempora Maccabaeorum, conf. Mich. 4; 1—12. 5, 4—8. 7, 11. 14. 17., Hos. 2, 1—3. 5. 9. 16—25. 11, 9—11. c. 14, 9. et Amos 9, 14. VI. Messias. 7, 14. 52, 13—53. 12. 11, 1—10. 55, 1—5. etc. Servus Dei, de quo propheta in secunda parte saepius verba facit, non ubique est Messias, sed saepe etiam populus Hebraeus, et ipse nonnunquam propheta.

## §. 102. Elocutio Jesaiae.

Jesaias elegantia et sublimitate omnibus aliis prophetis facile palmam praeripit, et proxime, praesertim in aliquibus locis, ut 13, 1—14, 23., ad cantica Mosis accedit. Dispositio non minus apta est ac concinna elocutio. Imagines juste delineatae, et, si saepius recurrunt, ut e. g. aetas aurea, diversis coloribus depinguntur. Lingua puritate nitet. Stilus est vehemens atque pro diversitate materiae variat, quaepiam quoque singularis linguae euphonia, et hinc inde in similiter cadentibus aliquis rithmus observatur. Notabilis quoque est quaedam convenientia cum coaevo Micha.

## §. 103. An Jesaiae vaticinia sint integra?

Non omnia Jesaiae vaticinia conservata esse, liquet, I. quia nullibi legitur, qua occasione Jesaias filio pri-

mogenito, qui 7, 3. 8, 18. 10, 21—22. memoratur, nomen propheticum שְׁאָר יָשׁוּב, reliquiae revertentur, indiderit, quum ratio denominationis filii secundi מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז, festina direptio, accelera depraedatio, 8, 3—4. disertis verbis indicetur. II. Plura loca principio, vel fine carent, et non sunt nisi manca fragmenta, ut 14, 24—27. 14, 28—32. 21, 11—12. 21, 13—17.; in fine quoque capitis 5ti, et 8, 1—2. quaepiam desiderari videntur. III. Desunt quoque vaticinia, quae sub Jothamo edidit; nam illa c. 2—5. non sub Jothamo, sed sub Achazo edita sunt, prout cuilibet historiae gnaro lectori patebit; nec Rosenmüllerus in nova Scholiorum editione aliud evicit. IV. Si Jesaias est auctor secundae partis libri, quod deinceps ostendemus, videntur etiam deesse aliqua magis perspicua vaticinia de eversione reipublicae Judaicae, et de deportatione civium. Initium c. 40. videtur esse mancum; non equidem ignoro, quid sit, in mediam rem rapi; ast id in hunc locum non satis commode confertur, praesertim quum propheta hic, sicut c. 41, 7. 21. utatur singulari illa formula: יֹאמַר יְהוָה, dicet Jehova, quae praecessisse arguit, quando dicturus sit.

## §. 104. Omnia vaticinia sunt a Jesaia.

A pluribus abhinc annis non pauca Jesaiae vaticinia a permultis impugnantur, et omnia contra gentes effata, inprimis vero ultima 27 capita huic prophetae abjudicantur, ac argumentis non levibus in tempora exilii Babylonici rejiciuntur; tamen offerunt se argumenta gravia, quae has partes Jesaiae vindicant, et jam exponenda veniunt. I. Elocutio in diversis his vaticiniis vix discrepat; ubique eaedem recurrunt rerum singularium enarrationes et imagines ab arboribus, praesertim cedris, abietibus et quercubus, a doloribus partus, ex historia, et ab aetate aurea depromptae. Initium vaticinii ubique in mediam rem cadit, et ubique

cantica inserta sunt; sicut 5, 1—6. 12, 1—6. 14, 4—20. 25, 1—5.: ita eodem prorsus modo 42, 10—13. 61, 10. 63, 7. 64, 11. Ubique etiam eadem observatur claritas et obscuritas, eaedem repetitiones, et eadem etiam linguae euphonia; visiones quoque c. 21, et c. 40., uti c. 6., imo et singulares dictiones saepissime eaedem, ut קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל in prima parte 17., in secunda 12 locis; תֹּהוּ in prima parte quater in secunda parte sexies, quod alias in Bibliis tantum novies occurrit; צֶאֱצָאִים, quod nonnisi in Jobo quater, hic vero in prima parte bis, in secunda quinquies obvium est; שָׁרוֹן 65, 10., prout 33, 9, 35, 2.; יֹאמַר יְהוָה 40, 1. 41, 7. 21. 66, 9., prout 1, 11. 18. 33, 10., pro quo alii prophetae dicunt אָמַר יְהוָה vel וַיֹּאמֶר. Proprium quoque nostro prophetae est Sabaeos 18, 2. 7. dicere מְמֻשָּׁךְ extensos seu proceros, et 45, 14. אַנְשֵׁי מִדָּה homines mensurae seu altos, et plura similia, quae locus hic non capit. — Stili quoque sublimitas per omnia vaticinia non magis variat, quam in poematibus, quae ab eodem auctore diversis temporibus exarata sunt, uti in diversis Psalmis Davidis; et stilus quidem per omnia talis est, qualem ex captivitate Babylonica minime exspectes. Esto, stilus non ab aetate solum, sed ab exculto quoque ingenio pendeat: inde tamen non efficitur, vero esse simile, quempiam aevo exilii Babylonici talia carmina fudisse, ut id absque testimonio historico, et sine omni quoque traditione asserere liceat; praesertim cum in Jeremia et Ezechiele, quibus nec politura, nec ingenium defuit, nihil simile legamus. — Lingua etiam ipsa non est ea, quae in Jeremia et Ezechiele observatur; quempiam in exilio linguam Hebraicam felicius excoluisse, versimile non est, neque in Zacharia, qui proferri solet, haec linguae conditio deprehenditur. — Denique dispositio et ratio tractandi materias, in omnibus his vaticiniis eadem est. Sicut c. 7. habetur

vaticinium historiae intextum, quod c. 8—12. vaticinia absque inscriptionibus consequuntur: ita quoque c. 39. historiae intextum est vaticinium, quod sequuntur vaticinia sine inscriptione. Prout in prima parte plura occurrunt vaticinia de Sancheribo: ita etiam in secunda parte plura sunt vaticinia de eversione monarchiae Chaldaicae, atque de reditu Hebraeorum ex captivitate. Sicut in visione c. 6. legitur, prophetam suis vaticiniis nihil effecturum; ita vates 42, 16. 23. 43, 8. 45, 4., et inprimis 49, 4. 59, 6. conqueritur, conatus suos frustraneos esse.

II. Ultimis exilii temporibus non congruit, quod 66, 1 — 6. de templo legitur, de quo Haggaeus et Zacharias prorsus alia dicunt. Multo minus quispiam in exilio 48, 4 — 8 scribere potuit, ruinam et omnimodum interitum urbis Babylonis, quem Jeremias c. 50 — 51. perspicue vaticinatus est, nondum fuisse praedictum, neque 52, 4. de solis potuit Aegyptiis et Assyriis Hebraeorum hostibus loqui, et Chaldaeos praetermittere. — Severae reprehensiones 56, 9 — 59, 20. 65, 11 — 16.; inprimis reprehensiones pastorum, i. e. regum 56, 11 — 12.; exprobrationes non tantum idololatriae, sed etiam immolationis prolium, 57, 1 — 13., et enormis corruptionis, 58, 6 — 9. 59, 1 — 8., a temporibus exilii prorsus abhorrent, ex quibus expectes potius mentionem vaticiniorum Jeremiae, ut Dan. 9, 2., et plura de cultoribus Ormuzdi, quam unicam illam allusionem ad duo rerum principia, 45, 7., quae profecto antiquiori etiam aevo a permultis credita fuerunt.

III. Jeremias prodit, se vaticinia haec legisse, atque id quidem 7 annis ante eversa Jerosolyma, Jerem. 51, 49—64; nam cognatio vaticinii Jeremiae c. 50—51. in elocutione, cum illis vaticiniis Jesaiae, de quibus quaeritur, manifesta est; neque dici potest, auctorem controversorum Jesaiae vaticiniorum sub finem exilii, legisse li-

brum Jeremiae; nam vir est, qui solus sibi constat, neque alios imitatur; e contrario notum est, Jeremiam, praesertim in vaticiniis contra gentes exteras, antiquiores prophetas legisse, et non raro ipsis eorum verbis uti Cf. Sanctius ad Jerem. c. 48, et 49, 14. Observantur quaepiam in aliis quoque prophetis, ex nostris controversis Jesaiae vaticiniis depromta, ut Zephan. 2, 14 — 15. ex Jes. 13, 21 — 22.; Ezech. c. 34. ex Jes. 57, 10. seqq.; Ezech. 26, 20. 31, 14 — 17. 32, 18 — 33. ex Jes. 14, 8 — 28.; Ezech. 26, 13. ex Jes. 23, 25.; Ezech. 38 — 39. ex Jes. 66, 6 — 9. 24. Habakukum quaepiam ex Jesaia depromsisse, jam dudum observatum est, cf. Hab. 1, 6. cum Jes. 23, 13.

IV. Cyrus in literis publicis, Ezr. 1, 2., ait: Deum coeli sibi omnia regna concessisse, atque mandasse, ut Ei templum Jerosolymis exstruat, quae verba, uti et ipsa Cyri gesta, nempe dimissio Judaeorum in patriam, assignatio sumtuum in structuram templi, et restitutio vasorum sacrorum non levis pretii, explicari nequeunt, nisi ei, prout Josephus refert, haec Jesaiae de ejus persona vaticinia exhibita fuerint, quorum divinitate manifesta permotus sit, ut Judaeis tanta praestaret. Nec Cyrus erat ille, qui sibi vaticinia recentia et vix in lucem emissa pro antiquis obtrudi passus esset, ut taceam, non defuisse viros, qui ipsi fraudem, si quaepiam hac in re intercessisset, detexissent; neque etiam Mehestan Cyrus, qui Ormuzdo nonnisi pyraea aedificabat, tam facile moveri poterat, ut magnificentissimum Deo Judaeorum templum exstrueret.

Mirum quidem videri possit, prophetam tam multa dicere de reditu ex Babylone, quin de deportatione disertam mentionem fecisset; ast quaepiam de hac re omnino dicit, ut c. 39, 4 — 7. c. 6, 11 — 13. c. 5, 5 — 9. c. 11, 11 — 16.; atque Michas, Jesaiae coaevus, clare de hac deportatione et de eversione Jerusalem loquitur, ut et Jesaias plura de illa dixisse videatur, quae

nobis conservata non sunt; nam propheta, qui laetum reditum canit, deportationem quoque praedicendo non magis secum ipse pugnasset, quam Jeremias, qui utrumque praedixit. — Opponitur quidem analogia, juxta quam prophetae non tam remotos eventus praecinere existimantur, quales sunt illi de Chaldaeis, de Medis et Persis, de Cyro et de reditu Hebraeorum in patriam, a Jesaia praedicti; ast haec analogia, ut jam monuimus, nequaquam probari potest. Supponitur quoque, Chaldaeos, Medos Persasque aetate Jesaiae populos fuisse obscuros, aut prorsus ignotos, cum tamen Medi 100 fere annis ante Jesaiam et Hizkiam (826 ante Chr., 149 post Schism.) sub rege Arbace, foedere juncti cum Belesy, praefecto Babyloniae, everterint primam Assyriorum monarchiam; subsecuta quidem est Medorum anarchia 79 annorum, verum anno 10mo Hizkiae, (728 ante Chr., 257 post schism.) regem elegerunt Dejocem, conditorem Ecbatanorum, cujus filius Phraortes (665 — 643 ante Christ., 310 — 332 post schism.) novum regnum Assyriorum bello aggressus, in obsidione urbis Nineves interfectus est. Sub Cyaxare I. autem Zoroaster rursus reperit regnum Medorum florens. — Elam jam antiquissimis temporibus erat celebre regnum, Gen. c. 14., neque in Jesaia, ut Dan. 6, 28. et Ezr. 1, 1. 2. 4, 5. 2 Paral. 36, 22 — 23., unquam occurrit nomen recentius פָּרָס sed semper antiquum עֵילָם, Gen. 10, 22. 14, 1. Elamitae sunt in exercitu Assyriorum Jes. 22, 6., quod vaticinium, ut ex v. 8 — 11. coll. 2 Paral. 32, 2 — 5. patet, dubio procul Jesaianum est. Assarrhadon, Ezr. 4, 9. 10., inter ceteros colonos etiam Elamitas misit in Samariam. Recentiori aevo Jeremias c. 25, 25. 49, 34. 35., Elam regnis potentioribus accenset, quae a Chaldaeis expugnanda essent, et Ezechiel c. 32, 24. regnum Elam conspicit eversum. — Gentes nonnisi diuturno tempore successive vicinos populos vincunt, et latius se diffundunt, donec tantam nominis celebri-

tatem assequantur, ut eminentem in historia locum obtineant. Quare Chaldaei, Medi et Elamitae seu Persae, non brevissimo temporis spatio ex obscuritate in tantam lucem emerserunt, ut paulo ante prorsus ignoti, nunc mox omnibus notissimi fierent. Si itaque Jesaias vaticinatur eversionem regni Chaldaeorum per Medos et Elamitas, id ea aetate non magis obscurum et clarum erat, quam si Zacharias 9, 13. de bellis Judaeorum contra Graecos in Syria, loquitur.

## §. 105. Vaticinia Jesaiae adjudicata.

Quae contra nonnulla vaticinia Jesaiae opponuntur, paucis expediri possunt. I. Fragmentum Jes. 2, 2 — 4., ab illo, qui ad finem exilii Babylonici vaticinia diversa in nostrum volumen collegisse putatur, per errorem assumtum esse dicitur; ast jam alii viderunt, a Jesaia ex Micha c. 4, 1 — 3., vel a Micha ex Jes. 2, 2 — 4., vel ab utroque ex antiquiori vaticinio depromi potuisse. II. Duo capita 11 et 12. Jesaiae abjudicata fuerunt, quod c. 11, 11 — 16. remotissimus Israelitarum et Judaeorum reditus ex Assyria et Aegypto aliisque regionibus praedicitur. Ast hic reditus etiam a coaevo Micha, ab Hosea et ab Amos praedictus fuit. III. Vaticinium c. 15 — 16., tribus annis ante vastationem Moabitidis per Nebucadnezarem c. 16, 13 — 14., scriptum putatur, quia Zephanias 2, 8. seqq., et Jeremias c. 48. eandem Moabitidi calamitatem praedicunt. Verum quis ostendat, Jesaiam non de calamitate alia, quae ab Assyriis instabat, loqui? aut quis cogitet Assyrios Moabitidi pepercisse? Vastata itaque fuit ab Assyriis, ut Jesaias praedicit, et demum rursus a Chaldaeis, de quibus Zephanias et Jeremias loquuntur. Vaticinium autem hoc Jesaiae, multo esse Jeremia antiquius, dubio caret; nam Jeremias c. 48. plura ex eo depromsit, ut cuivis conferenti patebit. Esse vero ab ipso Jesaia, arguit vel temporis definitio, quae Jesaiae alias, ut

8, 4 — 5., consueta est, IV. Eloquium 19, 18 — 25., non esse Jesaiae, nulla alia allata fuit ratio, nisi quod 19, 1 — 15. praecessit vaticinium de calamitate Aegypti, et v. 18 — 23. de prosperitate sermo est, quod tamen nihil aliud est quam quod prophetis est familiare, ut post calamitates meliorem sortem promittant, quod antiquiores interpretes ; jam observarunt. Si v. 25. Aegyptii dicuntur populus Jehovae, et Assyrii opus manuum Jehovae, id profecto a quopiam Hebraeo dictum fuisse, necesse est, et vero longe similius est, id a Jesaia, quam ab alio quopiam recentiori dictum esse. V. Jes. 22, 1 — 14. ob mentionem Elamitarum v. 6,, Jesaiae abjudicatur; verum ex collatione v. 8 — 11. cum 2 Paral. 32, 2 — 5. et Jes. 7., patet, sermonem esse de Sancheribi irruptione, et hinc haec Elamitarum mentio ex aetate saltem Jesaiae descendit; sine ratione igitur alius auctor quaeritur, quam Jesaias, qui in inscriptione praefertur. VI. Qui contendunt, Jesaiam non facile tot vaticinia de una Sancheribi irruptione editurum fuisse, non advertunt, eventum hunc fuisse maximum et gravissimum, et ad Hebraeos in religione confirmandos quam plurimum contulisse, ut plura vaticinia optime meruerit, et haec a Jesaia profecta esse, elocutio et stilus confirmat, qui non magis variat, quam in diversis Hariri consessibus, et in diversis Davidis psalmis. VII. Vaticinium Jes. c. 24 — 27., in recentiora tempora conjectum est ob paronomasias frequentiores, quae tamen in oratione orientalium singularia sunt lumina, quibus coaevum Micham non minus frequenter uti vidimus, ut in argumentum recentioris aetatis eo minus trahi possint, quia etiam Jesaias alibi paronomasiis saepe utitur, ut Jes. 1, 7. 23. 5; 1. 5. 7, 7. 8. 22 — 23. 29, 2. 30, 16, conf. Hos. 1, 4—5. 5, 1. et Mich. 1, 14—15. 3, 12. 4. 10. VIII. Caput 34'um Jesaiae, quo vastatio Idumaeae praedicitur, recentius existimatur, quia eadem vastatio a Jeremia c. 49, 7., et Ezechiele c. 25, 12 praedicta, et per Ne-

bucadnezarem demum completa sit, quae ab aevo Jesaiae nimium distat. Verum haec ratio, ut saepius monuimus, nihil probat, et insuper argumentis comprobatum non fuit, Jes. c. 34. non loqui, de alia calamitate, per Assyrios Idumaeae inferenda, de qua Amos 1, 11—15. ante Jesaiam locutus fuit. IX. Jesaiae caput 35tum prorsus nullum aliquatenus speciosum recentioris aetatis indicium exhibet, et aetatem Hizkiae versus 8. coll. 2 Reg. 17, 25. manifestat.

## §. 106. Vaticinium contra Tyrum, Jes. 23.

Vaticinium de eversione Tyri per Chaldaeos, Jes. 23., aetatem suam v. 13. innuit, ubi dicitur Chaldaeos esse populum recentem, qui ab Assyriis (itaque id temporis praevalentibus) assignatas ad Euphratem sedes obtinuerit; nam cum Habakukus, qui sub Manasse vixit, Chaldaeos quoque novum esse populum, asserat, qui sedes alienas sibi vindicare studeat; liquet, vaticinium Jes. 23. ab aetate Habakuki non posse valde distare. Incertum quidem est, an Jesaias usque in aetatem Manassis vixerit; ast quum Chaldaei longiori profecto temporis spatio ex suis, ad orientales et septemtrionales Armeniae partes sitis sedibus, saepius in meridionales plagas irruperint, dubio procul jam ultimis Hizkiae annis has incursiones inchoarunt, quum regnum Assyriorum clade Sancheribi et internis tumultibus, qui subsecuti sunt, debilitatum esset, quo ad hujusmodi expeditiones alliciebantur. — Sine sufficiente ratione quoque asseritur, commemoratos Jes. 23, 10. annos 70 esse numerum propheticum, ex Jerem. 25, 11—12. c. 29, 10. depromtum, adeoque vaticinium Jeremia recentius esse; nam si alteruter ab altero hunc annorum numerum mutuatus f u i s s e t; potius dicendum e s s e t, Jeremiam, quem constat quaepiam ex antiquioribus prophetis delibasse, ex hoc vaticinio Jesaiae, quam auctorem hujus vaticinii, qui sibi solus constat,

ex Jeremia hausisse. Accedit, temporis definitiones Jesaiae peculiares esse. Nec difficultatem creat longinquitas eventus praedicti; nam et Amosus, ante Jesaiam, Tyro excidium denunciavit. — Chaldaismi Jes. 23, 11. לַשְׁמִד מָעֻזְנֶיהָ, disparent, si punctetur לְשַׁמֵּד מְעֻזָּנֶיהָ ad perdendos debilitatos vel expulsos ejus, ab عَزَّنَ debilitavit, et عَزَنَ expulit.

## §. 107. Vaticinia contra Babylonem.

Vaticinia de eversione regni Chaldaeo-Babylonici et de reditu Hebraeorum ex captivitate, Jes. 13. 1—14, 23. c. 21. et c. 40—66. conjiciuntur in tempora exilii, et argumenta sunt: I. Diversitas elocutionis; nam in ultimis 27 capitibus distinguitur potior pars populi tanquam servus vel cultor Jehovae, c. 41, 8—9. c. 42, 1. seqq. c. 44, 1. c. 48. 12. 20. c. 49, 7. c. 52, 13., quod in prima libri parte non observatur. — Idololatria ludibrio et risui exponitur, c. 40, 19—20. c. 44, 9—17. c. 46, 5—7., quod in illis quoque primae partis locis, in quibus idololatria, ut c. 2, 19, arguitur, frustra quaesiveris. — Saepius annotatur, vaticinia antiquiora eventu fuisse comprobata, ut c. 41, 21—24. 26—29. c. 44, 6—7. c. 45, 21. c. 48, 5., quod arguit auctorem recentiorem, nec reperitur in priori libri parte, in qua etiam voces et dictiones saepius recurrunt, quae in secunda parte desiderantur. II. Accuratio vaticiniorum, et distantia eventuum. Aetate Jesaiae nulla erat monarchia Chaldaica, nec celebres erant Medi et Elamitae seu Persae, qui Chaldaicam monarchiam eversuri praedicuntur. A 14to Hizkiae anno elapsi sunt 90 anni, donec conderetur monarchia Chaldaica; et 115 anni, donec nasceretur Cyrus, qui anno post Hizkiam 155to dux exercitus Medorum designatus est, et 176to tandem anno monarchiam Chaldaeorum evertit. Propheta autem noster jam videt Judaeam et Jerosolyma per Chaldaeos

vastata, c. 45, 26 — 28.; cernit monarchiam Chaldaico-Babylonicam, quae strages has Judaeae intulit, ad interitum vergentem, et hostes ejus jamjam ex septemtrione irruentes, c. 42, 14. 41, 2. 25.; imo ipsum quoque Cyrum bis expresso nomine compellat liberatorem Hebraeorum, c. 44, 28. et c. 45, 1. III. Vaticinia usque in aetatem Cyri perspicua sunt; quae vero ulteriora respiciunt, sunt obscuriora; unde concluditur, auctorem aevo Cyri vixisse; nam si Deo placuisset, haec clarissima vaticinia in tempora tam remota largiri, et ipsum quoque Cyri nomen revelare: cur c. 45, 14. dicuntur Hebraei post reditum in patriam, commerciis Cuschaeorum et Sabaeorum participes fore, quod, ut ex Ezra, Nehemia et Malachia liquet, eventu comprobatum non fuit? Nec grandes illae promissiones c. 60, 6 — 10, effectum habuerunt. Coaevi Jesaiae profecto discernere non potuissent, illa de Cyro verbotenus, haec autem nonnisi ex parte complenda, vel tropice intelligenda esse.

## §. 108. Vaticinia contra Babylonem sunt a Jesaia.

I. Lingua, stilus et elocutio profecto non est ea, quae ex exilio repeti d e b e a t, et a Jesaia proficisci non p o t u e r i t; e contrario linguae puritas, stili sublimitas, et elocutionis elegantia talis est, qualis ex plumbea linguae Hebraicae aetate exspectari nequit, sed aetatem argenteam prodit. C o n f. s u p r a d i c t a P. II. §. 104. Differentia stili, quae intercedit, major non est, quam quae Mich. c. 1 — 5. et c. 6 — 7. reperitur; imo minor, quam quae Hos. c. 1. et c. 3., atque c. 2. et c. 4 — 14., vel Amos c. 1 — 6. et c. 7 — 8., atque in diversis Davidis psalmis observatur. Dictiones quaepiam, in aliis aetatis Jesaianae scriptis non occurrentes nihil evincunt; neque enim in tenui rerum Hebraicarum supellectili exspectari potest, omnes dictiones et voces alicujus certae aetatis, saepius redire debere. Sunt

vero et hujusmodi voces oppido paucae. Observatur e contrario in his vaticiniis consueta Jesaiae vehementia orationis, eadem dismembratio objectorum, eadem antithesis Jacob et Israel. Omnis differentia in eo est, quod propheta in priori parte vitia reprehendebat, in his ultimis capitibus magis docere et consolari studet, prout materia substrata exigebat, nonnunquam tamen in his quoque invehitur in vitia, ut c. 59, 9—57., 12. 58, 1—7. 59, 1—8. 65, 11—14. Si Jesaias haec vaticinia ultimis vitae suae annis conscripsit, facile percipitur, prophetam jam senem, (aetate Manassis, quae passim notatur), in prospectibus solatio plenis, docere maluisse quam reprehendere; doctorem autem quam maxime decebat, populum, tanquam servum Dei, alloqui, potiorem gentis partem distinguere, atque insaniam idololatriae illustrare, quod autem in parte quoque prima; non solum c. 2, 18—19., sed etiam 2, 8. 8, 19—21., etsi paucioribus praestat. Ad doctrinam quoque apprime faciebat annotatio, antiquiora vaticinia eventu comprobata esse, sive propheta deportationem decem tribuum, sive liberationem Judaeorum ab Assyriis, sive alias antiquiores prophetias respexerit; nequaquam igitur arguit recentiorem aetatem. Id in priori voluminis parte non occurrit, quia propheta in illa non docet, non consolatur, sed reprehendit. Quod quaepiam dictiones in alterutra parte desiderantur, evinceret alium auctorem, si Jesaiae esset jejunum et sterile ingenium. II. Accurata eventuum tam longe distantium praedictio est quidem admirabilis; ast propheta idipsum saepius, tanquam singulare, lectori commendat; unde apparet, jam ejus aevo id multis visum fuisse incredibile, atque adeo ipsa haec temporis distantia, in vaticiniis his annotata, antiquiorem auctorem prodit. Dein supra jam ostendimus, Chaldaeos, Medos, et Persas seu Elamitas, tempore Jesaiae non fuisse populos tam obscuros, ut propheta de illis loquens, neque ea-

tenus, quatenus oportuit, intelligi potuisset. Denique prophetas de remotioribus quoque eventibus locutos fuisse, jam supra exemplis, et quidem ex ipso etiam Jesaia depromtis, comprobavimus; addimus in ipsa hac secunda voluminis parte, praedici c. 52, 13—53, 12. Messiam Jesum, ubi omnes conatus, locum de alio quocunque interpretandi, frustranei sunt, cf. 55, 1—5. Imo mox in prima visione, c. 6., prospicit propheta omnimodam vastationem Judaeae, et novam rerum restaurationem. Denique propagatio religionis, in ipsa secunda parte praedicta, a fine quoque captivitatis Babylonicae remotissima fuit, ut, transmissa paulisper hypothesi de recentiori origine vaticiniorum, nihilominus adsit prophetia in longinqua demum posteritate eventu comprobata, in qua populus Hebraeus, et quidem potior ejusdem pars, per quam complenda fuit praedictio, definita est. — Propheta cernit omnino hostile regnum Chaldaico-Babylonicum, urbes Judaeae eversas, rudera Jerosolymorum, eversionem monarchiae Chaldaicae, et nominat non modo Medos et Elamitas, sed ipsum etiam Cyrum. Ast Jesaiam, sub Hizkia vel Manasse tales revelationes nactum, potuisse se totum ita in illa longiqua tempora transferre, ut, praesentium oblitus, nonnisi futura scriberet, non negabit qui observavit, Micham, Joelem Habakukum et Nahumum, totos in longissime remotis temporibus versari. Atque de hoc Jesaias ipse monet lectorem c. 40, 1. 41, 7. 21. 66, 9. per illud יֹאמַר יְהוָה, dicet Jehova, conf. quoque Jes. 44, 5. III. Vaticinia usque in aetatem Cyri magis esse perspicua, illa autem de temporibus remotioribus obscuriora, mirandum non est; nam remotiora objecta in visionibus, uti in prospectibus, minus accurate discernuntur. — Cuschaeos et Sabaeos, magna olim commercia tractasse, et Hebraeis quoque post exilium merces attulisse, dubitari nequit; neque Hebraei id temporis omnes, ut praetenditur, pauperes erant;

nam Hagg. c. 1. laquearia construebant, et sumtus pro structura templi, atque aetate Nehemiae etiam pro munimentis Jerolymorum suppeditabant. Denique in his locis non adeo de commerciis, quam de conversione horum populorum ad cultum veri Dei, sermo est, ex quibus non paucos Judaismum amplexos esse, et templum Jerosolymitanum visitasse, ut Jes. 60, 6—10. praedicitur, vel ex Aet. Apost. 2, 10. 11. 8, 27—28. constat.

## §. 109. An Jesaia auctor c. 36—39.

Capita Jes. 36—39. in plerisque verbotenus concinunt cum 2 Reg. 18, 13—20, 19.; discrepant tamen in aliquibus: sic canticum Hizkiae Jes. 38, 9—20., in secundo regum libro deest; e contrario reconciliatio Hizkiae cum Sancheribo 2 Reg. 18, 14—16., deest in Jesaia. Quod 2 Reg. 20, 7—8. de massa ficuum, ulceri Hizkiae imponenda, legitur, in Jes. 38, loco alieno v. 21—22, positum est; nam post v. 6tum ponendum fuisset. Sunt et quaepiam aliae, minoris momenti discrepantiae, quas allegare opus non est; ex quibus omnibus patet, textum horum locorum adeo differre, et ita convenire, ut uterque ex uno communi fonte haustus esse videatur, nempe ex historia Hizkiae, quam Jesaias scripsit, 2 Paral. 32, 32. Sermones legatorum Sancheribi, Hizkiae, et Jesaiae, et singularis circa minutias cura, innuunt, haec a teste coaevo, qui, ut Jesaias, harum rerum ipse particeps fuit, scripta esse. Voces פֶּחָה et יְהוּדִית. quae occurrunt, non sunt Jesaia recentiores, neque etiam, si פֶּחָה Aramaeae originis esset, aevum recentius argueret; nam aetate Jesaiae jam exotica quaepiam in linguam Hebraeam illata erant, quae in Hosea quoque et Amos observantur. Vox יְהוּדִית hoc loco non ea, qua post exilium, notione gaudet, sed linguam designat Hebraicam, quae tum duntaxat in regno Juda vigebat.

## §. 110. Editio libri Jesaiae.

Quamquam omnia vaticinia sunt Jesaiae, quaeri tamen potest, an volumen, quale nunc est, ab eodem editum sit. — Jesaiam non omnia, quae per revelationem edoctus fuit, mox chartae mandasse, liquet ex inscriptione 6, 1.: anno mortis Uzziae, quod ante hanc mortem, quum nondum constabat, regem moriturum esse, scribi non potuit; neque etiam visio haec post mortem Uzziae contigit, quo casu dictum esset: anno primo regis Jothami. Inscriptio innuit, jam aliquod temporis spatium, cum scriberet Jesaias, praeterlapsum fuisse, quocum consentit inscriptio 7, 1.: accidit tempore Achazi filii Jothami filii Uzziae, quod aeque aliquod temporis intervallum inter factum et scriptionem indicare videtur. — Hinc explicandus est turbatus ordo vaticiniorum, quae ita collocanda fuissent, ut caput 6tum inchoaret librum, dein sequeretur c. 2—5., tandem c. 7—12. cum c. 1. Quidquid sit, Jesaias videtur edidisse vaticinia sua singillatim, ut c. 6.; c. 2—5.; c. 7—12. et c. 1.; et c. 14, 24—27. 28—30. et sic porro. Haec deinceps, probabilius jam defuncto propheta, in nostrum volumen collecta sunt. Hinc quaepiam vaticinia deperdita, et quaepiam manca esse vidimus. Qua autem aetate collectio facta sit, dici nequit. Qui plura vaticinia Jesaiae abjudicant, contendunt, ea sub finem exilii Babylonici, vel post reditum Judaeorum in patriam, collecta fuisse, quod idoneis argumentis evinci nequit. Verisimilior est sententia, minores collectiones, ut c. 1—5. c. 6—12. c. 13—23. c. 24—35, moriente propheta jam adfuisse, quae paulo post in nostrum volumen conscripta sunt.

# Caput tertium.

## De prophetis, quorum aetas literis consignata non est.

### §. 111. De prophetis incertae aetatis generatim.

Aetas prophetarum Joëlis, Nahumi, Habakuki, et Obadiae, memoriae prodita non est, ideoque ex argumento librorum eruenda; res plena aleae, inprimis quia exiguae molis libelli pauca, non omni ambiguitate exemta, aetatis indicia sistunt. Quare eruditi in diversas quidem abeunt sententias, prope omnes tamen conveniunt, Joëlem, Nahumum et Habakukum illo temporis spatio, quo Hizkias, Amon, Manasses et Josias regnarunt, id est, seculo ante Christum fere septimo, (720—612 ante Chr., 255—368 post schisma) floruisse, Obadiam aliquanto post vixisse.

### §. 112. Argumentum libri Joël.

Joël, יואל, 1, 2—2, 11. luctuosam Judaeae, per quatuor species locustarum sese insequentium, vastationem describit, quae, ut 1, 15. 2, 1—2. 13—14. disertis verbis annotatur, futuro aevo imminet. Hortatur Joël ad poenitentiam, et ad preces, quas propheta verbis praeit, 2, 19—4, 21. Deus respondet, finem fore locustarum, et annos fertiles redituros esse; addit, donum prophetiae aliquando largius distributum iri, et secuturum magnum Dei judicium, (novam lugubrem rerum conversionem), fideles autem Dei cultores eripientur; exarsurum scilicet esse bellum hor-

ridum, quod rursus, ut magnum quodpiam Dei judicium in valle Josaphat (יְהוֹשָׁפָט, Deus judicat), describitur; has calamitates denique beatior rerum facies consequetur. — Praedicta, Judaeae, per locustas vastatio non est illa sterilitas, quae aetate Elisaei contigit; neque ea penuria pluviae, quae Jerem. 14 legitur; sed est illa fames, quae tempore Maccabaeorum accidit, 1 Macc. 9, 23 — 27. Nam propheta non regem, sed seniores et sacerdotes memorat; de idololatria, quae ante exilium nullo unquam tempore prorsus desiit, altum silet; regni Israel non meminit, sed nonnisi Judam et Jerosolyma commemorat, atque 4, 2. Hebraeos omnes Israel compellat, ut solent prophetae de temporibus post exilium loquentes; imo 4, 1—2. exilium, dispersionem populi, occupationem regionis per alias gentes, atque etiam reditum jam dudum contigisse ponit. Hostibus Hebraeorum 4, 4. accenset Tyrios et Sidonios, qui Hebraeos vendunt Graecis. Haec manifeste produnt aetatem Maccabaeorum, 1 Macc. 9, 23 — 27. 5, 14—15. Joseph. Archaeol. XIII. 1, 1. — Quae c. 3. de dono prophetiae, hominibus omnis generis largiendo, leguntur, possent quidem Maccabaeorum aetati accommodari, si de sola agnitione Dei intelliguntur; juxta propriam vero verborum vim, in ea, quae Act. Ap. 2, 14 — 21. narrantur, tendunt. Quae 3, 4 — 5. sequuntur, ultimum bellum Judaicum concernunt; ast c. 4. propheta redit in tempora Maccabaeorum.

## §. 113. Elocutio Joëlis.

Lingua Joëlis pura, stilus elegans, et elocutio sublimis proxime ad Hoseam et Micham accedit. Descriptio locustarum, ingentis luctus, et aetatis aureae, est admirabilis, neque minus placent imagines vallis Josaphat et fontis ex templo orituri, 4, 2. 12. 18 — 21. conf. Ezech. 47. et Zach. 14, 8.

## §. 114. Aetas Joëlis.

Qua aetate Joël, filius Phetuelis, floruerit, ambigua quidem est quaestio; attamen linguae puritas et elocutionis elegantia argumento est, eum non post regem Manassem scripsisse, nec quidquam aliud occurrit, ex quo recentior aetas concludi posset, nisi distantia eventuum, qui praedicuntur, qua tamen sola nihil evincitur.

## §. 115. Argumentum libri Nahumi.

Nahum, נַחוּם, 1, 2—7. describit Dei potentiam, qua hostes puniet, et suos tuebitur; nam (1, 8—2, 14.) Nineven per hostes vastabit, monarchiam Assyriorum, qui Hebraeos oppresserant, evertet, et regnum Juda rursus sublevabit. Expugnatio et vastatio Nineves c. 3. accuratius describitur. — Nineve, prout Diodorus Siculus L. II, c. 32. ex Ktesia refert, primum sub Sardanapalo, ab Arbace, rege Medorum, et Belesy, praeside Babyloniae, anno 877—867 ante Christ., 99—108 post schisma, expugnata et excisa, paulo post restaurata, et sedes secundi regni Assyriorum, quod in Bibliis celebratur, facta est. Demum rursus sub Chyniladano, a Cyaxare I. et Nabopolassare Chaldaeo, anno 625 ante Chr., 350 post schisma, eversa, nec unquam amplius restituta fuit. — Sunt, qui Nahumum primis duobus capitibus de primo Nineves excidio, et capite tertio de altero loqui existimant, et prophetam nostrum in aevum ante annum 877 ante Chr. removent, quod argumenta, in hanc sententiam allata, minime evincunt. Nahumum de eodem ubique urbis excidio secundo vaticinari, liquet ex 1, 9—11. 14. 2, 1. 14, ubi Hebraei jam ab Assyriis pressi, sistuntur, et irruptio quoque Sancheribi, ut jam facta, memoratur, atque 1, 12. manifeste ultimum excidium indicatur.

## §. 116. Elocutio Nahumi.

Elocutio vix ulli minorum prophetarum cedit; stilus est ornatus, et tropi sunt audaces et elegantes; hinc inde tamen sententiae sunt minus plenae, quae quidpiam supplendum relinquunt, ut 2, 8. 9. 3, 16. Descriptio divinae potentiae et expugnationis Nineves omnibus orationis luminibus splendet. Quaepiam, nostro prophetae propria, occurrunt 1, 10. 2, 4—9. 3, 17. Lingua est pura, nec exoticum quidpiam occurrit, nisi c. 3, 17. טַפְסְרַיִם, nomen quorundam magistratum Assyriorum.

## §. 117. Aetas Nahumi.

Nahumus a loco nativitatis הָאֶלְקֹשִׁי dicitur. De Elkosch in Assyria, 3 horis a Nunia pago (qui locum antiquae Nineves occupat), ubi sepulcrum nostri prophetae esse perhibetur, silent antiquiores, et memorant Elkosch in Galilaea. Hieronymus Prooem. in Nahum, et Eusebius in Onomastico sub voce Ελκεσει. Nahum itaque Galilaeus, eversa republica Israelitica, in regnum Juda transierit, ubi cognomen a nativitatis loco, Elkoschita, nactus fuerit; unde patet, qua ratione ejus vaticinia in regno Juda conservata fuerint, quod vix percipi posset, si propheta in Assyria scripsisset. — Aetatem quipiam ex 3, 8—10. colligere tentarunt; verum expugnatio urbis No-Ammon, in hoc loco memorata, vix certae aetati assignari potest, nec de ea Jes. 20 sermo est. Ex Nah. 2, 3. autem liquet, decem tribus jam in exilium fuisse abductas; ex 1, 11—13, 2, 1. 14. colligitur, irruptionem Sancheribi jam accidisse; ex 2, 1, patet, ab hac irruptione non adeo longum tempus fuisse elapsum; denique ex 2, 23. elucet, regnum Juda quidem humiliatum fuisse, sed rursus eluctaturum esse, quod dein sub Josia contigit. Nahumus itaque ante Josiam quidem,

non longo tamen tempore post irruptionem Sancheribi, adeoque ultimis Hizkiae annis vaticinatus fuit.

## §. 118. Argumentum libri Habakuk.

Habakuk, חֲבַקּוּק, 1, 2—4. queritur, preces suas contra injustitiam, violentiam, et oppressiones non exaudiri, et 1, 5—11. divinum obtinet responsum, Chaldaeos haec scelera vindicaturos. Propheta demum in visione cernens strages a Chaldaeis edendas, orat 1, 12—17. Deum, ut hi hostes crudeles coerceantur, et respondetur 2, 2—20., Chaldaeis quoque imminere exitium, idque, etiamsi tardaverit, certo secuturum. Caput tertium est ode, qua propheta Dei auxilia, populo suo praestita, celebrat, et vastationem per Chaldaeos quasi praesentem describit. Vide praestantem Comment. Sanctii in proph. min. p. 1191 sqq.

## §. 119. Elocutio Habakuk.

Elocutio Habakuki plerosque prophetas superat. Quaepiam quidem cum aliis vatibus communia habet, ut 2, 12, cum Mich. 3, 10., et 2, 14. cum Jes. 11, 9.; sed et haec quoque peculiari modo in sua convertit. Prae ceteris excellit canticum c. 3.

## §. 120. Aetas Habakuki.

Qua aetate Habakuk vixerit, variant quidem sententiae; ast primis annis regis Manassis vaticinatum fuisse, prodit initium vaticinii 1, 2—4., ubi sistuntur primi anni hujus regis, de Chaldaeis enim, ut quipiam arbitrati sunt, haec explicari non possunt, quia isti 1, 5—11. dicuntur illos, 1, 2—4. memoratos injustos castigaturi, et propheta pro Chaldaeis nequaquam illas 1, 12—17. preces interposuisset. Cum hac aetate conspirat sublimitas elocutionis, quae ex recentiori aevo exspectanda non est. Accedit, quod Chaldaei id temporis novas sedes quaesiverunt, quod, ut supra diximus, longiori temporis intervallo, et jam sub Hizkia

et Manasse fecerunt, diu antequam thronum suum Babylone stabilirent, conf. Jes. 23, 13.

## §. 121. Argumentum Obadiae.

Obadias, עֹבַדְיָה, (Abdias, עֲבַדְיָה) a quo fragmentum vaticinii restat, arguit, sicut Amos c. 1, 11., Jeremias c. 49, 22., Ezechiel c. 25, 12—14., et auctor psalmi 147., Edomitas de hostili in Hebraeos animo, monetque, ne mala horum fratrum suorum augeant, quia et ipsi eandem sortem experturi sint. Sion autem aliquando restituetur, et Hebraei, ipsae quoque decem tribus, regionem suam rursus recipient, atque Edom et etiam Philistaeam occupabunt, quod 125 ante Chr. sub Johanne Hyrcano contigit.

## §. 122. Elocutio Obadiae.

Elocutio variis quidem luminibus nitet, antiquiores tamen prophetas non assequitur, inprimis interrogationes sunt frequentiores.

## §. 123. Aetas Obadiae.

Plures in Bibliis occurrunt viri nomine Obadias, 1 Paral. 3, 21. 9, 16. 2 Paral. 17, 7. 34, 12. 1 Reg. 17, 13. An propheta sit illorum aliquis, et fortasse ille, qui 2 Paral. 34, 12., sub Josia, reparationi templi praefectus fuit, expediri nequit. Aetas quoque dubia est, id tamen ex v. 20 elucet, Jerosolyma jam fuisse sub ditione Chaldaeorum, atque etiam cives plures fuisse deportatos, ut Obadias vaticinatus sit post deportationem Jojachini, seu post annum 7mum captivitatis, 2 Reg. 24, 8—17., (post annum 599num ante Chr., 376tum post schisma). Ante excidium Jerosolymorum autem vaticinatum esse, apparet ex v. 12—14., ubi Edomitas monet, ne porro hostiliter agant in Judaeos.

# Caput quartum.

## De prophetis ab aetate Josiae usque in exilium.

### §. 124. Aetas Zephaniae.

Zephanias, צְפַנְיָה, (Sophonias), dicitur filius Cuschi, filii Gedaliae, filii Amariae, filii Hizkiae, qui celebris quidem fuerit, vix tamen erat celeberrimus rex hujus nominis, quia additum non est; Hizkiae regis. Propheta vaticinatus est sub Josia adhuc juvene, quum rex sub tutela esset, 1, 1. 9., post primam tamen reformationem; nam reliquiae cultorum Baalis 1, 4, sunt magnae 1, 5 — 6. 8 — 9., quales post secundam reformationem anno 18vo Josiae non fuissent. Post 12mum igitur annum regni Josiae (ante Chr. 630, post schisma 345), quando magnates adhucdum regi praevalebant, 1, 9., Zephanias munus suum auspicatus est. Haec temporis definitio firmatur 2, 13 — 15., ubi urbi Nineves praedicitur excidium, quod anno 18 Josiae, 625 ante Chr., subsecutum est.

### §. 125. Argumentum Zephaniae.

Primis duobus capitibus deportatio omnium incolarum Judaeae, et depopulatio regionis, atque excidium Philistaeorum, Moabitarum, Ammonitarum, Cuschaeorum, Assyriorum, et Nineves praedicitur; attingitur 2, 7. quoque reditus Judaeorum in patriam. Capite tertio vates vitia Judaeorum, quae vastationem illam meruerunt, arguit, et promittit, post reditum ex

captivitate propagationem verae religionis, constantiam Hebraeorum in cultu Dei, et laetius aevum.

## §. 126. Elocutio Zephaniae.

Oratio Zephaniae non quidem humilis, antiquioribus tamen prophetis non est aequalis. Plura usurpat ex aliis prophetis depromta, et lingua exoticis quibusdam verbis permixta est.

## §. 127. Jeremias.

Jeremias filius Chilkiae, יִרְמְיָהוּ בֶּן חִלְקִיָּהוּ, sacerdos erat ex oppido Anathoth, quod, in tribu Benjamin situm, 3 milliaribus Romanis distabat Jerosolymis, Jer. 1, 1. 29, 27. Jos. 21, 18. Eusebius in Onomast. Hieronymus Comment. in Jerem. c. 1. c. 11. c. 31. An pater Jeremiae fuerit ille Chilkias, qui 18vo Josiae anno exemplar legis Mosis in templo invenit, dubitatur. Vaticinabatur Jeremias primum Anathothi, aut saltem non semper degebat Jerosolymis, 2, 2., donec cives Anathothenses et etiam ejus consanguinei ipsi insidiarentur, 11, 21—22. 12, 5—6. Demum Jerosolymis munus suum obibat, ubi et carceres et vincula perpessus, et saepius de vita periclitatus est. Ad munus vocatus fuit juvenis, anno 23to ante initium captivitatis Babylonicae, et 41mo ante eversionem Jerosolymorum, 13tio anno Josiae 1, 2—3.; et munere functus est usque ad tempora post incendium Jerosolymorum; occiso demum Gedalia, a reliquiis Judaeorum coactus, in Aegyptum commigravit, et ibidem defunctus est, quo anno, ignoratur. Vaticinia Jeremiae de 70 annis captivitatis, legit Daniel c. 9, 12.

## §. 128. Argumentum libri Jeremiae.

Praecipua, quae Jeremias, sibi 1, 10. coll. 18, 7. 9. 31, 18. 42. 10. 46, 4. demandata, praedicit, sunt: I. Eversio regni Juda, incendium Jerosolymorum, de-

portatio civium, et reditus post 70 captivitatis annos, c. 25; 11—12. c. 29, 10., restauratio reipublicae et Jerosolymorum, constantia Hebraeorum in religione, felicitas Judaeorum, aevum Maccabaeorum, expugnatio gentium vicinarum per successores Maccabaeorum, et magnus ille Davidis filius, seu Messias. II. Eversio omnium regnorum vicinorum per Nebucadnezarem, ac III. c. 50—51. eversio Babylonis, et omnibus adjunctis vestita, quae successive per longiorem seculorum seriem subsecuta est. IV. Plures eventus propiores, sed accurate determinati, uti c. 22, 18—19. 36, 30.

## §. 129. Elocutio Jeremiae.

Sermo Jeremiae simplicior, vel, ut Hieronymus Praef. in Jerem. ait, rusticior, Chaldaicis vocibus, formis, notionibus et expressionibus permixtus est. Frequentius repetit quaepiam verba, et inprimis פָּקַד, imo etiam aliquas sententias iisdem verbis. Stilus nonnisi hinc inde vehementiam poeticam spirat, ceterum facilis, exceptis vaticiniis contra gentes exteras, in quibus plura ex antiquioribus prophetis verbotenus depromta sunt.

## §. 130. Ordo vaticiniorum.

In coordinatione vaticiniorum Jeremiae fere nulla ratio temporis, quo edita sunt, observatur. Prima quidem 35 capita, cum c. 36. jussus esset scribere, eo ordine, quo in memoriam redibant, dictaverit; ast in sequentibus quoque ordo temporis desideratur. Ratio hujus confusionis hucusque latet.

## §. 131. Jeremias in versione Alexandrina.

In versione Alexandrina ordo vaticiniorum, a c. 25, 15. usque ad libri finem, est prorsus alius; nam vaticinia contra gentes, quae in textu Hebraeo extremum locum, c. 46—51., occupant, in versione Ale-

xandrina post 25, 14., et quidem alio etiam ordine leguntur. Praeterea desunt in hac versione non modo multae voces et sententiae, sed prolixiora quoque loca. Haec jam in antiquis Latinis versionibus, quae seculo saltem secundo ex versione Alexandrina traductae fuerant, ab Hieronymo observata, et ab Origene quoque ep. ad Afric. p. 226. commemorata sunt; hinc apparet, esse perantiqua; omnia ab erroribus librariorum repeti non possunt; in utroque enim monumento, Hebraico et Graeco Alexandrino, singulare saltem ordinis consilium elucet. — Opinio, Jeremiam duplicem editionem vaticiniorum curasse, et quidem secundam pleniorem, quam in textu Hebraeo habemus, ut Eichhorn autumat; vel secundam, ex qua versio Alexandrina manavit, accuratiorem, ut noster textus Hebraeus interpolatus sit, ut Joh. D. Michaelis censuit; haec inquam utraque opinio indoli Jeremiae non respondet, qui scriptionis amans non fuit, et a Deo jussus scribere, non ipse scripsit, sed Barucho dictavit, ut taceam, Jeremiam in secunda editione ordini vaticiniorum melius consulturum fuisse, qui deinceps non in utraque editione rursum perturbatus fuisset. — Spohn in suo Jeremia e vers. Judaeor. Alex. Praef. p. 1 — 12. contendit, interpretem Alexandrinum sex loca bis occurrentia brevitatis studio duntaxat semel vertisse, et ex eadem ratione alia omisisse; ast id conciliari nequit cum omissionibus ob ὁμοιτελευτον, ut 39, 4 — 13. 27, 12 — 14. 18. 21. 7, 27. 25, 14. 13, 14 — 15. 28, 38. 48, 45 — 47. 52, 15. Hinc apparet, non omnes omissiones ex uno eodemque fonte promanasse, sed aliquas descendere a negligentia interpretis, alias ab oscitantia librariorum.

## §. 132. Auctor Lamentationum.

Threnos seu Lamentationes, quae אֵיכָה inscribuntur, esse opus Jeremiae, antiquissima et constans est sententia,

quae per argumentum libelli, et linguam stilumque confirmatur. Quae enim Jeremias in vaticiniis praedixit futura, in lamentationibus contigisse deplorat, uti imposturam pseudoprophetarum, qui populum falsa spe seducebant, vanitatem foederum, exitium urbis et civium, atque odia et calamitates, quas vates expertus est, et de quibus in vaticiniis saepius conqueritur. Lingua, ut in vaticiniis, Chaldaicis vocibus et vocum formis mixta, et stilus lugubris est.

## §. 133. Objectum Lamentationum.

Quipiam antiquorum et recentiorum censuerunt, lugubribus his carminibus mortem regis Josiae; alii autem, excidium Jerosolymorum decantari; ast re diligentius inspecta, apparet, non unum esse totius libelli objectum, sed quinque esse diversa cantica, quibus totidem lugubres eventus deplorantur, nempe: C. 1. deportatio Jojachini regis cum 10,000 praecipuorum Hebraeorum 2 Reg. 24, 8 — 17. 2 Paral. 36, 9 — 10.; C. 2. expugnatio Jerosolymorum; C. 3. calamitates, quas Jeremias perpessus est; C. 4. eversio Jerosolymorum, deportatio regis Zidkiae (Sedekiae) et strages Hebraeorum; C. 5. misera populi et Jerosolymorum conditio post excidium. Cf. Calmet. Praef. in Lamentat.

## §. 134. Elocutio Lamentationum.

Lugubria haec carmina exprimunt sensus prophetae non alio ordine, quam quo in ejus animo exorti sunt; singularis itaque dispositio quaerenda non est. Stilus, ut canticis convenit, aliquantum sublimior est, quam in vaticiniis. Tropi materiae lugubri respondent. In primis quatuor capitibus versus literis initialibus ordinem Alphabethi sequuntur, ita tamen, ut in capite tertio tres semper versus continui ab eadem litera incipiant. Caput quintum versibus quidem, numero literarum respondentibus, constat, ast ordo literarum ini-

tialium neglectus est. Singularis observatur 1, 16—17. 3, 46—52. et 4, 16—17. transpositio versuum literae Phe et Ajin, quae nec 2, 16—17., neque in aliis poëmatibus Alphabethicis deprehenditur,

## §. 135. Aetas Ezechielis.

Ezechiel, filius Buzi, יְחֶזְקֵאל בֶּן בּוּזִי, ex familia sacerdotali, cum rege Jojachino aliisque 10,000 Judaeorum, in Mesopotamiam ad ripas fluvii Cabor, כְּבָר, deportatus et demum anno deportationis 5to, ante eversionem Jerosolymorum 7mo, 594 ante Chr., vocatus est ad munus propheticum, 1, 2., quo deinceps per 27 saltem annos, usque ad annum 567 ante Chr., functus est, 29, 17. Annus vocationis 1, 1. dicitur 30mus, nempe ab initio magnae monarchiae Chaldaicae, quae incepit 624 ante Chr., 18vo regis Josiae anno, qui inventione vetusti exemplaris legis Mosis insignis est. Ezechiel itaque partim coaevus fuit Jeremiae, quocum etiam argumentum libri mirum in modum consentit.

## §. 136. Argumentum libri Ezechielis.

Memoratu digniora in hoc libro sunt, I. Prophetam ultra 100 milliaribus dissitum, initium obsidionis Jerosolymorum eadem die cognovisse, et expugnationem atque eversionem urbis, et deportationem civium, sicut Jeremias, jam antehac constanter praedixisse; II. praevidisse quoque, regem Zidkiam perruptis moenibus nocturno tempore fugiturum, sed fore, ut a Chaldaeis in fuga comprehendatur, nec tamen interficiatur, sed in regionem Chaldaeorum, quam tamen non sit visurus, deportetur; III. longius quoque distantem Hebraeorum in patriam reditum, constantem deinceps Dei cultum, et occupationem Idumaeae per Hebraeos, ut Jeremias, perspicue vaticinatum esse; IV. Tyrum non modo evertendam, et nunquam amplius restaurandam (nova enim Tyrus in insula aedificata fuit), sed

et rudera in mare projicienda esse, quod Alexander inscius opere complevit; V. denique, sicut Jeremias Messiam praedixisse ea aetate, qua Davidis familia, regia dignitate spoliata fuit.

## §. 137. Elocutio Exechielis.

Tropi et similitudines, quibus Ezechiel utitur, non omnes rerum naturae accurate respondent. Stilus, quando scelera arguit, vehemens quidem, nequaquam tamen sublimis, et fere ubique prosaicus, atque lingua multis vocibus et formis Chaldaicis mixta est, quam a propheta in Mesopotamia degente, non aliam exspectes.

## §. 138. Ordo vaticiniorum Ezechielis.

Vaticinia, ut inscriptiones testantur, ordine temporis congesta sunt, ut vaticinia sine inscriptionibus, eidem tempori, quod inscriptione proxime praecedente praefertur, tribuenda sint, inprimis quum vaticinia omnia singulari cura exarata, et a propheta profecto ante promulgationem chartae mandata fuerint. Sola vaticinia contra gentes, etsi c. 25—32. collecta, nec tamen eodem tempore omnia scripta, neque juxta temporis ordinem digesta sunt. Id vix alia ratione enucleari potest, nisi statuas, librarium quempiam ad cap. 24, 27., ubi Ezechiel conticescit, inconsiderate vaticinia contra gentes, eo ordine descripsisse, quo quaerendo quaelibet invenit; hinc nullum prorsus ordinem observavit, et oblitus quoque est vaticinii contra Edomitas c. 35, et contra Gog et Magog c. 38—39.

## §. 139 Ultima novem capita Ezechielis.

Ultima novem capita (c. 40—48.) a non paucis prophetae Ezechieli abjudicantur, verum res argumen-

tis nequaquam evicta est. Nam I. obscuritas horum capitum profecto non repugnat auctori Ezechieli, in quo et plura alia obscura occurrunt, ut taceam, hujusmodi descriptiones, inprimis aedificiorum, vix posse absque delineatione fieri perspicuas. II. Si haec capita complecti putant mandata, quae, quia Hebraei reduces ipsis non satisfecerunt, vel nondum exstiterint, vel saltem Ezechieli non fuerint tributa, falluntur; nam non sunt mandata, sed imago, qua certitudo reditus, et restitutio cultus divini confirmatur. III. Leve est, quod opponitur, prophetam memoria retinere non potuisse tot mensurarum numeros, quos in visione percepit; nam cum impressiones visionum, impeditis sensibus exterioribus, fuerint vehementiores, nulla earundem in memoria est difficultas, ne dicam, esse quospiam, qui numeros facillime memoriae mandant. IV. Si Josephus Archaeol. L. X. c. 5. §. 1., Ezechieli duos libros de exilio Babylonico, tribuit: ultima 9 capita, alterum Ezechielis librum nominat; qua igitur ratione concludi potest, Ezechielis non esse. Quare opus non est, verba Josephi ad Jeremiam trahere, quod series orationis vix fert. — Levissima est conjectura Corrody Beleuchtung des Bibelcanons I. Th. S. 103., quempiam Hebraeum, serius reversum, capita haec cudisse, ut nova fieret regionis distributio, in qua et ipse portionem suam caperet; nam impostor hujus generis, non tot tantaque de templo et de divisione regionis inter tribus scripsisset, ut distributionis inter singulos prorsus oblivisceretur. Nulla itaque ratione evinci quidpiam potest contra haec vaticinia, quae visiones, reprehendendi modum, abundantiam adjunctorum, et linguae stilique rationem exhibent, quibus omnibus Ezechiel ab aliis adeo distinguitur, ut nullus alius ea omnia ita imitari potuerit.

## §. 140. An vaticinia contra gentes sint Ezechielis.

Anonymus in The Monthly Magazin and Britisch Register London 1798. p. 189., vaticinia c. 25—32. c. 35—36. et c. 38—39., Ezechieli ex levissimis rationibus abjudicat, quas refellere nec operae pretium, nec opus est; nam haec libri pars se ipsa ostendit esse opus hujus prophetae. Occurrunt enim in his vaticiniis quam plurima Ezechieli alias consueta, uti signatio anni, mensis et diei, quo revelationem obtinuit; singularis illa allocutio: fili hominis! formulae illae: verte faciem tuam contra --- vaticinare contra, ---- audite sermonem Jehovae! --- sic ait Dominus Jehova, ---- factus est sermo Jehovae ad me, -- agnoscent, me esse Jehovam, ---- cane naenias in ----; tam in primis 24 capitibus quam in subsequentibus, reges saepe dicuntur נָגִיד et נָשִׂיא, et occurrunt eaedem machinae obsidionum, דָּיֵק circumvallatio, et סֹלְלָה agger 26, 8. ut 4, 2. 17, 13. c. 21, 27.; denique eadem ubique est accuratio et abundantia adjunctorum, imo 28, 14. respicitur ad visionem 1, 13. 10, 2. Frequentiorem commemorationem orci, 26, 20. 31, 14—17. 32, 18—33., materia substrata postulabat, et in argumentum alterius horum vaticiniorum indolis, trahi nequit.

## §. 141. Aetas Danielis.

Daniel, דָּנִיֵּאל, si non regia, certe nobili stirpe natus, juvenis, cum aliis regis et magnatum filiis, anno 4to regis Jojakimi (606 ante Chr.), a Nebucadnezare Babylonem deportatus est, ut linguam et scientias Chaldaeorum combiberet, et dein ad munera regia adhiberetur Dan. 1, 1—4. cf. 2 Reg. 24, 8. Jer. 25, 1. Babylone nomine Beltschazar, בֵּלְטְשַׁאצַּר, (Balthassar) insignitus, cum tribus amicis, Chanania, Mischael, et Azaria, le-

gem Mosaicam observabat, et pientissime vixit; quare ab Ezechiele 14. 14. 18. 20., anno fere 13tio captivitatis, Noacho et Jobo comparatur. Elapsis tribus informationis annis stetit coram rege, i. e., munus aulicum adeptus est, atque sapientia, et inprimis perspicacia visionum et somniorum, excelluit; quare ab Ezechiele 28, 3., omnium coaevorum sapientissimus celebratur. — Progressu temporis, probabilius post omnes Nebucadnezaris expeditiones ad primam regni dignitatem evectus, a successoribus tamen rursus neglectus est, ut non esset nisi eruditis aulicis praefectus. Babylone a Dario Medo per Cyrum capta, rursus inter primos tres regni praefectos assumtus est, et machinationibus aulicorum in speluncam leonum conjectus, illaesus exivit; vixit saltem usque in tertium annum Cyri, i. e., 534 ante Chr., Dan. 10, 1.

## §. 142. Argumentum libri Danielis in textu hebraico.

Prima sex capita referunt res Danielis, et interpretationem somniorum Nebucadnezaris atque scripturae in pariete coenaculi regis Belschazaris (Balthasar). In ultimis sex capitibus Daniel narrat visiones suas de interitu regni Persici, de Alexandro magno, de regibus Syriae et Aegypti post Alexandrum, de fine exilii, et de Messia.

## §. 143. Elocutio.

Somnia et visiones, quibus in hoc libro revelationes divinae offeruntur, stilo prosaico, scriptae sunt, lingua pluribus Chaldaicis aliisque exoticis vocibus permixta, et pars 2, 4—7, 28. dialecto Chaldaica exarata est. Voces quoque Graecas occurrere, exemplis indubiis ostendi nequit; quae enim proferuntur, sunt verba orientalia, et partim Persica aut Medica, atque ex Zend, Pehlvi, et Parsi commode explanantur.

Pars Chaldaica libri Danielis et Ezrae, in Hebraeam dialectum versa, reperta in codice, anno 1327. scripto, edita est a Kenikotto, et repetita per Joh. Ludov. Schulze 1782. Halae: Chaldaicorum Danielis et Ezrae capitum interpretatio Hebraica. Conf. Michaelis oriental. Biblioth. T. XXI. S. 130.

## §. 144. An liber sit Danielis?

Porphyrius librum conjecit in aetatem Antiochi Epiphanis, qua ignotus auctor, quae acciderant, more prophetarum elocutus sit; et Danielem de his vaticinantem induxerit. Verum liber ita comparatus est, ac si a viro pio et sapiente, qualis ab Ezechiele laudatur Daniel, scriptus esset, qui Chaldaicam et Hebraicam dialectum callebat, et per institutionem Babyloniam et commorationem inter Babylonios, Chaldaeos, Mehestanos, et peregrinos alios, in metropolim regni undique confluentes, verbis exoticis assuevit; liber talis est, ac si scriptus esset a viro, qui aevo monarchiae Chaldaicae Babylone vivebat, et nomina diversorum regni et aulae munerum accurate noscebat; qui ipse in negotiis politicis versatus, de futuris rerum conversionibus saepius cogitavit, Jeremiam eo fine excussit, et Deum exoravit, ut amplior lux de futuris sibi contingeret; qui, utpote politicus, has divinas revelationes accuratius percepit, et clarius literis mandavit, quam praestare potuisset quiscunque alius; (Cf. Part. I. §§. 19, 23.) qui annum et diem visionis, prout coaevus Ezechiel, notavit; cujus lingua Chaldaica, sicut in libro Ezrae, in pluribus hebraizat, sicut הַקְטֵל pro אַקְטֵל, אִתְקְטֵל pro אִקְטֵל (Aor. II. form. III.), et מְהַקְטֵל pro מַקְטֵל, qualia in Thargumim perraro offenduntur; lingua denique Hebraica est deterior, qua melior a viro, inter Chaldaeos adulto et vivente exspectari nequit.

Si alius (unicus enim auctor est libri, in quo eadem ubique ratio et elocutio observatur, et antecedentia in subsequentibus respiciuntur); si inquam alius aetate Antiochi Epiphanis (post annum 163 ante Chr.) librum exarasset: in Palaestina, ubi scribere debuisset, nec nomina munerum Chaldaicorum, Zendica, Pehlvica et Parsica novisset, neque ultimum regem Chaldaeorum Belschazar, nomine, historicis ignoto, compellasset; parietes coenaculi regii non calce obductos fuisse posuisset, sed laquearia fecisset; nec novisset Xerxem etiam occidentem (Chartaginenses) commovisse, neque historiam Alexandri, Aegypti et Syriae scivisset, Dan. 11, 2. 7, 6. 8. 5. 11, 3.; tertiam Antiochi Epiphanis expeditionem 11, 40. non extra ordinem repetiisset, neque duas dialectos miscuisset, sed omnia sedulo cavisset, quae offendere possent; neque etiam annum et diem visionum annotasset, quod ad transformationem historiae in vaticinia, nihil conferre poterat; pauciora de Alexandro, et plura de Maccabaeis, visionibus inseruisset, nec 8, 15. 27. 12, 4. 8. dixisset, vaticinia haec non posse intelligi, donec impleta fuerint, et vaticinium 10, 1. a Daniele intellectum fuisse, haec enim transformationi historiae in vaticinia, repugnant. — Quodsi haec omnia negligere velimus, percipi tamen nequit, qua ratione liber, aetate Maccabaeorum, qua Judaei pro libris sacris adeo zelabant, scriptus, in Canonem irrepere potuisset, inprimis cum plurimi essent Judaei ingenio literis Graecis exculto, adeoque in dignoscendis libris acutiores. Accedit quod liber recens Judaeis, illo aevo ubique terrarum dispersis, obtrudi non potuisset, quin controversiae orirentur, de quibus quaepiam saltem in libris Maccabaeorum, vel in scriptis posterioribus mentio conservata esset, quae frustra quaeritur, sed e contrario omnes veteres consentiunt, librum esse Danielis.

Josephus Archaeol. XI. 8, 5. ait, librum Danielis Alexandro fuisse exhibitum; auctor libri primi Maccabaeorum attingit 2, 59. historiam Ananiae, Azariae et Mischaelis, et 1, 54. phrasim ex Dan. 11, 31., et quidem ex versione Alexandrina, depromit, ut liber ea aetate jam dudum in Graecum quoque idioma versus fuerit. Multo quoque antiquiorem esse hanc versionem, ex eo liquet, quod audacior alioquin Graecus interpres Danielis, non modo in locis obscuris nullum ex historia lumen petivit, sed quaepiam etiam, quae ex historia lucem capiunt, non intellexit. Liber Danielis eo quoque aevo, quo Pentateuchus in Graecum traductus est, multo antiquior est; nam interpres, qui alias accuratus est, Deut. 32, 8. non vertisset, Deum divisisse gentes κατα αριθμον αγγελων θεȣ, nisi Daniel c. 10. 13. 20. 21. 12, 1. praeivisset, et angelos, custodes populorum et regnorum, memorasset.

## §. 145. Liber Danielis impugnatur.

Integro Danielis libro opponitur, quod Judaei Danielem hagiographis inseruerunt, unde concluditur, librum recentiori primum aevo innotuisse; antiquioribus enim temporibus, si cognitus fuisset, inter prophetas locum meriturum fuisse. Additur, Danielem a Siracide quoque c. 49. non accenseri prophetis, librum itaque eo aevo nondum extitisse. — Ast Danielis inter hagiographa locus, recentioris est aetatis, quo Judaei a prophetis, ut Graeci, quos imitabantur, a philosophis, postulabant, ne in aulis principum versarentur, in quibus Daniel constanter degebat; ex hac levi caussa, quae autem illo aevo erat gravissima, ideoque etiam a Porphyrio, (teste Hieronymo Comm. in Dan. c. 3.) ipsi exprobrata, Danielem ordine prophetarum exemerunt, et hagiographis adnumerarunt. Antiquiores Judaei Danielem prophetis accensebant, conf. supra Part. I.

hujus Introduct. §. 28. Siracides vero c. 49, 6—10. eos duntaxat laudat prophetas, qui de exilio Babylonio vaticinati sunt; quare et Jesaiam praetermittit, quem nonnisi occasione Hizkiae c. 48, 20. 22. memorat. Signatura Dan. 8, 26. c. 12, 4. nequaquam novitatem libri excusat, ut autumant nonnulli, sed propheta, ut ex c. 8, 26—27. c. 12, 9—10. liquet, jubetur annunciare, vaticinia haec usque ad tempus eventuum, fore intellectui impervia, non secus ac si sigillo clausa, aut occultata essent; nam prophetae, ut ex Jes. 6, 10. Jer. 1, 10. constat, id, quod jubentur facere, futurum esse, duntaxat annunciant. — Nec quidquam efficiunt, qui dicunt, librum, Maccabaeis exoptatum, Canoni facile inseri potuisse, quod, libris sacris jussu Antiochi Epiphanis combustis, nunc ignotum esset, quinam fuerint; nam solus Pentateuchus conquirebatur, sed nec hujus, nec reliquorum librorum exemplaria omnia comburi poterant, quia permulta erant in regionibus occidentalibus, Antiocho Epiphani non subjectis, uti in Aegypto, Cyrene et Asia, minori, et in Palaestina quoque exemplaria profecto pleraque flammis erepta sunt; nam hujusmodi cimelia eo cautius custodiuntur, quo curiosius ad perditionem conquiruntur. Maccabaei, paternarum traditionum tenacissimi, libros sacros, quos olim juvenes legebant, et nunc maximi faciebant, optime noverunt, et tam faciles non erant, ut librum, nunc primum ex tenebris emergentem, Danieli attribuerent, et libris sacris accenserent.

## §. 146. Argumenta contra primam Danielis partem.

Argumenta contra prima sex Danielis capita, magna ex parte concernunt plura extraordinaria et mirabilia, quae narrantur; ast quum auctor, excepto primo capite, illa duntaxat referre voluerit, quae Deus extra ordinem praestitit, ut Hebraei exsules in avita religione perseverarent, et ethnici de vero Deo monerentur:

alia omnia, quae erant ordinis naturalis exspectanda non sunt. — Dialectus Chaldaica 2, 4. 7, 28. in secundam quoque libri partem extenditur, et non creat difficultatem; nam quaecunque sit caussa duarum in libro exiguae molis dialectorum, a Daniele tamen usus earum potius, quam a quocunque alio repeti potest; recentior enim scriptor hanc dialectorum diversitatem cavisset, quae, deficiente simili prophetarum exemplo, offendere lectores potuisset. — Voces, quae Graecae originis esse perhibentur, orientales esse, jam supra observavimus, in argumentum itaque recentioris aetatis trahi non possunt, uti e contrario verba Zendica, Pehlvica et Parsica sapere antiquius, quam Antiochi Epiphanis aevum, diximus. Putandum enim non est, Babylonios inter et Medos atque Elamitas seu Persas ante Cyrum, nullum, aut exiguum intercessisse commercium. Etsi enim dubio non caret, Zoroastrem etiam Babylone docuisse: multos tamen Babylone fuisse Mehestanos, et doctrinam eorum etiam ante Zoroastrem valuisse, ex eo apparet, quod Nebucadnezar praefectum, ministrorum religionis Mehestanorum, רַב מָג dictum, in expeditionibus suis comitem habuit. Jer. 39, 3. Equi et currus solis ab antecessoribus Josiae Jerosolymis constituti, argumento sunt indubio, has superstitiones, non modo Zoroastre longe antiquiores, sed etiam late propagatas fuisse. Nec omittendum est, jam olim Belesyn, praefectum Babyloniae, cum Arbace, rege Medorum, antiquius Assyriorum regnum evertisse, uti postea Nabopolassar, Chaldaeus regi Medorum foedere junctus, secundum Assyriorum regnum expugnavit. Idem hoc Babyloniorum cum Medis et Persis commercium ostendit quoque similis cuneatus scripturae character, qui in ruderibus Persepolitanis et in lateribus Babyloniis observatur. Conf. Asiatisches Magazin 1802. 6tes Stück. Haec profecto plura sunt, quam desiderari possunt, argu-

menta mutuae communicationis Babyloniorum cum orientalibus gentibus, Medis inquam et Persis, ex quorum dialectis itaque aliqua in Daniele Babylonio occurrere, mirum non est.

Nebucadnezar quidem Danielem c. 2, 46. adorat, seu ad pedes ejus procumbit; ast haec humiliatio, postquam Daniel ignotum regis somnium et interpretationem annunciasset, juxta superstitionem illius seculi, non est adeo exorbitans, ut jure suspecta esse possit. — Statuam auream Dan. 3., altitudine sexaginta, et latitudine sex cubitorum, nihil cogit, credere e solido auro fusam; deaurata erat cf. Exod. 27, 10. 11. 30, 1—3. 39, 37., et illa proportio altitudinis ad latitudinem, a forma humana recedens, vel augustior credebatur, vel ex rudi antiquitate retenta fuit. — Daniel, qui fortasse eo tempore, quo statua adoranda erat, aegrotabat, vel Babylone aberat, ad adorationem statuae vocatus non fuit; inanis igitur est quaestio, quare soli tres amici Danielis extremum periculum subierint. Silentium historiae de Daniele, potius arguit, librum eo aevo scriptum fuisse, quo omnibus lectoribus notum erat, qua ratione Daniel periculum effugerit. Qui vero quaerunt, qua ratione reliqui Judaei se subtraxerint, obliviscuntur, non alios, quam summos praefectos reipublicae ad dedicationem statuae fuisse vocatos, Dan. 3, 2—3.

In relatione de Nebucadnezaris insania c. 4., difficultas redit ad septem annos, quos insania durasse putatur. Quodsi עִדָּן 4, 13., quod proprie tempus quodlibet, etiam momentum significat, de mensibus, vel de partibus anni, quas orientales sex numerant, intelligatur, ut Nebucadnezar per septem partes sextas anni, seu 14 menses insaniverit, difficultates disparent. Si 7, 25. 12, 7. עִדָּנִין et מוֹעֲדִים notione prophetica sunt anni, nequaquam ad 4, 13. trahendum est, ubi anni vel ideo intelligi nequeunt, quia ex narratione apparet,

hanc insaniam Nebucadnezari post omnes demum bellicas expeditiones, et post amplificatam et exornatam urbem Babylonem, anno igitur regni 40 vel 41, accidisse, ultra quem Nebucadnezar nonnisi duos vel tres annos vixit, ut adeo insania vix ultra 14 menses protendi potuerit. — Jam quaeri non potest, qua ratione regnum insano conservatum fuerit; aulici enim, de sua sorte sub successore dubii, omnem profecto operam dederunt, ut regnum ipsi servarent. — Nec verendum est, ne rex insanus victu herbarum perierit, aut a bestiis discerptus fuerit; nam Nebuçadnezar laborans fixa idea, se in belluam esse commutatum, et e regno pelli, fugam parabat; quare custoditus et catenis vinctus fuit, tandem forte elapsus, consortium bestiarum, quae in vicinia urbis regiae, paucae aut nullae fuere, quaesivit, et herbas, quae relaxando ventrem sanationem promovere poterant, manducavit; sed ab aulicis quaesitus, et demum inventus, ad sanam mentem rediit. — Historia profana de Nebucadnezare pauca conservavit, ut mirum non esset, si de hac insania nec vestigium occurreret; quaepiam nihilominus habet Megasthenes et Berosus apud Josephum contr. Apionem L. I. §. 20. et Archaeol. L. X. c. 11. §. 1., et apud Euseb. Praep. Evangel. L. IX. c. 41. Nec quaeri potest, cur Nebucadnezar haec omnia in literis publicis narraverit; nam facile cernitur, regem annunciare voluisse populo se rursus regni gubernacula capessivisse. — Notari meretur, totam hanc narrationem naturae rei ita convenire, ut vix ita fingi potuerit. Cf. Calmet Dict. de la Bible art. Lycantropie et dissert. de metamorph. Nabuchodon. Janssens l. c. Vol. I. pag. 469. sqq.

Historia profana nullum quidem memorat regem Chaldaeorum Belschazarem, id tamen non impedit, regem hujus nominis exstitisse; orientales enim, inprimis reges, pluribus non raro nominibus insigniuntur; e con-

trario auctor recentior, prout supra monuimus, nomen historiae ignotum, sedulo cavisset. Belschazar ultimus est Chaldaeorum rex, qui alias Nabonnedus, Nabonnadus, Nabannidochus, Naboandelus, Labynetus compellatur, quae nomina magis corrupta sunt, et minus cum aliis proprie Chaldaicis vocibus consonant, quam Belschazar. Neque Megasthenes apud Eusebium Praep. Evang. L. IX. c. 41. p. 457. Nabannidochum e familia Nebucadnezaris, e qua Belschazar Dan. 5, 2. 11. 15. 22. descendit, fuisse negat, sed id solum dicit, Laborosorasco antecessori crudelitate non fuisse similem. — Quodsi Daniel c. 5, 17. seqq. Belschazarem, fere ut regem Judaeum in republica theocratica, alloquitur, cogitandum est, Danielem tunc fuisse venerabilem senem prope 85 annorum, a pietate, sapientia et revelationibus divinis clarissimum, et loqui nunc paulo ante expugnationem urbis ad regem scriptura, subito in pariete comparente, exterritum. Ast cur ultimis horis regni Chaldaici tantum in pariete miraculum? — ut Danieli occasio praeberetur, rursus suam legationem divinam comprobandi, et ut per idipsum victoribus Medis et Persis, et inprimis Cyro, commendaretur, a quo dimissionem Hebraeorum impetrare debebat.

## §. 147. Argumenta contra alteram Danielis partem.

Vaticiniis Danielis, quae ultimis sex capitibus comprehenduntur, opponitur distantia eventuum, qui tam accurate praedicti sunt, neque tamen ultra Antiochum Epiphanem progrediuntur, ut vaticinia aetate hujus regis, de eventibus, quae jam contigerant, scripta esse videantur. — Ast accuratio horum vaticiniorum vix major est, quam in aliis quibusdam vaticiniis eventus longinquos praedicentibus, ut Jerem. c. 50—51. Ezech. c. 27—28. Zach. 9, 1—8. 9. 11. — 10, 12. Judaei aetate Epiphanis profecto noverunt normam vaticinio-

19

rum, et librum nostrum, si, nunc primum apparens, ab ea norma nimium abhorruisset, rejicissent, aut saltem non sine controversia omnes ubique terrarum unanimes suscepissent. Ast si tanta, quanta jactatur, esset claritas: tam diversae interpretationes ortae nunquam fuissent. Vaticinia autem haec ultra aetatem Antiochi Epiphanis nihil portendere, veritati non consonat cf. 7, 13. seqq. 9, 25. sqq. — Si angeli in Daniele prorsus tales essent, quales a Rabbinis describuntur: Rabbini qui ex Bibliis, non semper rite explicatis, hauriunt, ex Daniele depromsisse censendi essent. Idem respondemus si dicatur, librum in his similem esse apocrypho recentiori libro Ezrae, hujus nempe scriptorem hausisse ex Daniele. — Si Messias Danielis, Messiae Rabbinorum similis est: Rabbini rursus ex Daniele hauserunt. — Denique de reditu ex captivitate nequaquam, ut praetenditur, siletur; nam de ea sermo est Dan. c. 9., et consecratio novi templi promittitur 9, 24.

Recentiora occurrere, ut contendit Bertholdus, aequus rerum aestimator non deprehendet; nam expressio filius Dei 3, 25. de angelis occurrit Job. 38, 7. 1, 6. 2, 1., et notum est, regum filios dictos fuisse filios Dei aut deorum; vestigium trinae orationis per diem, apparet Ps. 55, 18.; facies orantis versus Jerusalem conversa deprehenditur; 1 Reg. 8, 38. 44. 48. 2 Paral. 6, 34. 38.; Dan. 6, 11. Schuschan quidem demum regibus Persis erat regia; erat tamen, teste Herodoto et Strabone, perantiqua urbs, quae prius ad regnum Chaldaeorum spectabat, ut Daniel 8, 2. ex quacunque caussa illuc se conferre potuerit; verum locus non est, ut omnia persequamur.

## §. 148. Conformatio libri Danielis.

Liber Danielis collectus est ex scriptis, quae primum singillatim exarata et edita fuerant. Prima sex capita, praeter exordium c. 1., quatuor exhibent documen-

ta; nam caput 5tum cum 6to arcte cohaeret. Posteriora sex capita rursus 4. complectuntur scripta; nam ultima tria capita unicam exhibent visionem. Si Thalmudici in Baba Bathra c. 1 asserunt, viros Synagogae magnae scripsisse (כָּתְבוּ) Ezechielem, duodecim minores prophetas, Danielem, et librum Esther, nihil certe aliud dicere volunt, nisi scripta haec in ordinem redegisse, uti ex 12 prophetis liquet; nec omittendum est, Thalmudicos viris hujus synagogae etiam Danielem adjungere. Versio Alexandrina non tantum c. 3—6., sed etiam 1, 20. et 9, 25—27. a nostro textu Hebraico et Chaldaico passim recedit, dissensus tamen c. 3—6. est frequentior, et c. 3—4. frequentissimus. Quipiam c. 3—6. aliam quoque interpretandi rationem observare voluerunt. Illam vero, quam diximus versionis Alexandrinae discrepantiam, quipiam arbitrantur prodere, diversas has partes separatis voluminibus fuisse descriptas, unde quarundam duplex recensio orta fuerit, altera quam in Bibliis Hebraicis habemus, et altera, qua interpres Alexandrinus c. 3—6. usus fuerit, qui ab interprete ceterarum partium Danielis alius sit. — Ast quaepiam profecto discrepantiae verisimilius ab interprete repetuntur, uti omissio magistratum 3, 3., quorum nomina v. 2. praecesserant; et instrumentorum musicorum v. 15, quae jam bis v. 5 et 7. aderant; ita quoque omissio 4, 3—6., et transpositio versus 8vi dubio procul interpreti tribuenda est. Aliae discrepantiae, quae ordinem aut sensum turbant, ab oscitantia librariorum versionis Alexandrinae descendunt, ut si c. 5, primum v. 1. 2. et 5., dein verba in pariete exarata leguntur, tandem primi quinque versus rursus repetuntur; ita quoque, si post narrationem de rege exterrito 5, 6., additur, magnates gloriatos fuisse; et omni sensu carens versio 3, 21. cf. 4, 32. 35. Caeterum vide Sect. quartae cap. secundum.

# Caput quintum.

## De prophetis post exilium.

### §. 149. Aetas Haggaei.

Haggai, חַגַּי, (Haggaeus) vaticinatus est sub Dario Hystaspis, qui 521 ante Chr. thronum Persiae conscendit. Hebraei jam 536 ante Chr., ex captivitate redierant, Jerosolyma restauraverant, et templi quoque aedificium, anno 535 ante Chr., inceperant; ast per Samaritanos impediti, qui a Pseudosmerde interdictum aedificii impetrarunt, perficere non potuerunt. Interim domus magnificas construebant, et tempus aedificandi templi nondum adesse, caussabantur, rati, 70 a Jeremia praedictos annos ad templum quoque pertinere, a cujus eversione tunc annus 68. labebatur. Quum itaque occiso Pseudosmerde, et cessante ejus interdicto, porro finem 70 annorum exspectarent: Haggaeus secundo Darii anno (520 ante Chr.) vaticinari coepit.

### §. 150. Argumentum libri Haggaei.

I. C. 1. hortatur ad prosequendam aedificationem templi, quod et factum est. Conf. Ezr. 5, 1—6. 5, 14. II. C. 2, 1—9. viros senes, qui, olim juvenes, templum Salomonis viderant, et nunc de templo novo minus magnifico contristabantur, solatur propheta promissione, templum hoc post unicam rerum conversionem futurum multo magnificentius.*) III. C. 2, 10—19. praedicit propheta, annos nunc fore fertiles, postquam

*) Celebrem locum 2, 6. 7 teste Sanctio Comment. in proph. min. plurimi Patrum de Christi Servatoris adventu explicant.

culpam, quam neglectu templi contraxerant, diluissent. IV. C. 2, 20—23. explicat Zerubabeli, vaticinium c. 2, 1—9. propositum de magna rerum conversione agere, ante quam Zerubabel moriturus est.

## §. 151. Elocutio Haggaei.

Haggaei oratio in arguendo quidem vehemens, nequaquam vero poëtica est; in locis tamen, in quibus de futuris eventibus agit, paulo altius assurgit. Lingua ad dialectum Chaldaicam accedit, et penuria verborum laborat.

## §. 152. Zachariae Aetas.

Haggaeo coaevus Zacharias, זְכַרְיָה, filius Barachiae, filii Iddo (Addo), in primis capitibus, cum Haggaeo consentiens, templi restaurationem urget, quare cum Haggaeo quoque Ezr. 5, 1. 6, 14, commemoratur; quod si in his locis, omisso patre, filius Iddo dicitur, non est nisi consueta orientalibus genealogiae detruncatio, quae avum celebriorem patre fuisse innuit.

## §. 153. Argumentum libri Zachariae.

Prima libri pars c. 1—8., fere tota concernit eventus proxime instantes, nempe restaurationem templi; adjecta tamen est praedictio de futuro aliquando sacerdotum regno, et praeceptum de abolendo jejunio, quod ob calamitates praecedentes inductum fuerat, c. 6, 9 — c. 8, 20. Pars altera c. 9—14. duo vaticinia complectitur de temporibus remotioribus, quorum primum c. 9—11. de Alexandro magno, de M e s s i a, de aevo Maccabaeorum et de ultimo bello Judaico, secundum vero c. 12 — 14. de rebus Maccabaicis, de bello Judaico contra Romanos, et de propagatione religionis agit.

## §. 154. Elocutio Zachariae.

In prima libri parte visiones stilo prosaico de-

scriptae sunt; ast c. 7 et 8., ubi nec visiones, nec symbola narrantur, oratio quoque nonnihil vehementior est. — Altera libri pars poëtica quidem est, neque tamen oestro illo, quod in aliis prophetis antiquioribus observatur, exarata. Tropi et allegoriae plures novae et elegantes occurrunt; ast non omnes, rerum naturae accurate conveniunt, neque etiam omnes sistuntur integrae, ut 9, 13. 13, 16. 10, 3. 11, 17. In capite undecimo, in quo rursus visiones aut symbola proponuntur, oratio quoque minus ornata et fere prosaica est. — Lingua per integrum librum paucis quidem Chaldaicis mixta, passim tamen duriuscula est, ut 1, 7—8. 2, 12. 5, 11. 7, 2—3. 8. 12. 16. 9, 8. 9. 12, 6.

## §. 155. An secunda pars sit Zachariae.

Ultima sex capita nunc multi Zachariae abjudicant, et alii censent esse antiquiora, alii vero recentiora. Duo quidem haec vaticinia, c. 9—11. et c. 12—14., ab uno eodemque auctore scripta esse, evincit eadem ubique indoles linguae et elocutionis, et confirmatur rebus quibusdam singularibus, quae utrique vaticinio communes sunt, uti quum praefecti populum opprimentes dicuntur mercatores ovium, כְּנַעֲנִיֵּ הַצֹּאן, 14, 21., et 11, 7. 11., ubi cum Interprete Alexandrino duae voces לָכֵן עֲנִיֵּ et כֵּן עֲנִיֵּ, dubio procul in unam jungendae, et, ut 14, 21., legendae sunt לִכְנַעֲנִיֵּ et כְּנַעֲנִיֵּ. — Ambo haec vaticinia aetate Zachariae scripta esse, apparet ex conditione populi et Jerosolymorum, quae est talis, qualis a Zacharia prioribus capitibus, et ab Haggaeo coaevo sistitur: colonia Judaeorum nondum potens sed humilis, quae venturo demum aevo potentior et bellatrix futura sit; Jerosolymorum incolae pauci, qui aliquando augebuntur. Ipsa etiam inscriptio 12, 1. super Israel, ut Malach. 1, 1., aevum post exilium innuit.

Qui antiquiora faciunt haec vaticinia, I. linguam, stilum et ornatum orationis, putant arguere tempora ante exilium; verum supra §. 154 vidimus, elocutionem non carere indiciis aetatis recentioris, et stilum etiam c. 7. et 8. esse vehementiorem. II. Opponitur quidem 9, 10. 13. 10, 6. (ut ante exilium) Juda et Jerusalem Ephraimo et Josepho, verum idem quoque 8, 13. et Jer. 30, 4. observatur; Zacharias vero adductis locis non potuit hanc oppositionem evitare, quia praedicit, plurimos ex decem tribubus futuro aevo in Palaestinam redituros, et 10, 6. addit, aevo Maccabaeorum fore, ut posteri decem tribuum per tribum Judam protegantur, et domicilia obtineant, atque tandem ipsi etiam strenui bellatores futuri sint. III. Si 10, 2. 13, 2 —6. memorantur idola et pseudoprophetae, qui post exilium non erant: Zacharias tamen non reprehendit idololatriam et hariolationes sui aevi, sed praedicit futuro illo aevo non fore has superstitiones, sicut saepius repetit, constantem fore Dei cultum. Accedit denique orthographia quoque recentior, uti דָּוִיד, pro דָּוִד, Zach. 12, 7—9. 12. 13, 1.

Qui, ut haec vaticinia in aevum Zacharia recentius conjiciant, urgent, illa, quae praedicuntur, a Zacharia nimis dissita esse, innituntur opinioni, prophetas non praedicere nisi proxime instantia, quod falsum esse, jam supra ostendimus, ne repetamus, Zachariam etiam c. 6, 9—15. summo sacerdoti promittere diadema regium, quod remotissimo demum seculo obtinuit. Denique indoles linguae et orationis horum vaticiniorum recentiori aetati repugnat.

Etsi haec vaticinia nec antiquiora, neque recentiora sunt, quaeri tamen potest, an sint Zachariae, quia elocutio in prima parte prosaica, in altera vero poëtica est. Ast haec quidem, quaecunque sit, stili diversitas, movere cordatum criticum nequaquam potest, ut diversum auctorem statuat; nam et Hoseas c. 1 et 3,

prosaica, et c. 2. atque 4 — 14. poëtica oratione utitur, ubi eadem subversatur discriminis ratio; nam prout Hoseas c. 1 et 3, ita quoque Zacharias c. 1 — 6., symbola narrat, quae stilum poeticum non ferunt. Zacharias primis 8 capitibus monet et consolatur, et ubique fere de proxime instantibus loquitur; in ultimis autem sex capitibus multo remotiora praedicit, quibus stilus poeticus magis congruebat. Nihilominus ambabus partibus plura sunt communia, uti tropi et allegoriae minus exactae, et interdum rerum naturae non usquequaque respondentes; symbola et visiones, quae in prima parte frequentes sunt, recurrunt quoque c. 11; lingua ubique a Chaldaicis non prorsus immunis, et passim duriuscula; stilus quoque primae partis, ubi non narrantur symbola visionum, vehementior, et in secunda parte c. 11, ubi symbola narrantur, humilior est. Imo plures quoque dictiones primae partis, recurrunt in secunda, conf. 2, 14. cum 9, 9.; 2, 10. cum 9, 12 — 13.; 7, 14. cum 9, 8. Ipse quoque singularis legatus vel angelus, qui 2, 12 — 15. 3, 1 — 7. ex persona Jehovae loquitur, eandem personam induit 11, 4 — 13., quod alias rarius observatur. Si quaepiam in prima parte obvia, in secunda desiderantur, ratio est diversitas materiae substratae et elocutionis; sic in secunda parte angeli non comparent, quia non narrantur visiones; signatio temporis 1, 1. 1. 7. 7, 1., deest in secunda parte, quia de aetate remota sermo est, ubi dubium moveri non poterat, an non post factum fuerit conscriptum vaticinium; formulae: sic ait Jehova, factus est sermo Jehovae, vel effatum Jehovae, sermonibus popularibus primae partis, magis conveniebant, quam vaticiniis stylo poetico exaratis secundae partis, quare non quidem prorsus desunt; sed rarius recurrunt, 11, 5. 10. 13. 15. 13, 8.; alibi vero 9, 1. 12, 1. permutantur

cum formulis prolatio seu sermo effati Jehovae, מַשָּׂא דְבַר יְהוָה. Denique illa quoque monitio 2, 12. 15. 4, 9. 6, 15. obvia, eventu vaticinii agnitum iri, veram sibi legationem divinam obtigisse, in secunda parte 11, 12. rursus legitur.

## §. 156. Editio libri Zachariae.

Quum propheta in prima parte saepius, uti 2, 13. 15. 4, 9. 6, 15. 8. 6., moneat, et etiam 11, 12, repetat, aetate, qua praedicta contingent, agnitum iri, legatum se fuisse Dei: apparet, prophetae effatis a coaevis denegatam fuisse fidem, dubio procul, quia ante primam libri partem edidit secundam, quae obscura erat, et in quibusdam cum antiquioribus vaticiniis pugnare videbatur, conf. 13, 8—9. 14, 1—2. et c. 11. Ut igitur fidem sibi conciliaret propheta, obtinuit revelationes illas, in prima parte descriptas, quarum complementum proxime instans, coaevos de divina legatione convinceret. Librum autem integrum editurus, postrema, quae obtinuit, vaticinia, in fronte collocavit, ut lectorem ad sequentia praepararet.

## §. 157. Aetas Malachiae.

Malachiam, מַלְאָכִי, coaevum Nehemiae fuisse, constans fert antiquorum sententia, et argumentum libri, eam rerum faciem sistens, quae aetate Nehemiae fuit, illam omni dubio eximit; nam templum ponit dudum aedificatum; Judaeos inducit de minus felici conditione rerum suarum conquerentes; uxores ethnicas arguit, quas Nehemias tandem e populo semovit Neh. 13, 23—30.; decimarum retentionem reprehendit, quam et Nehemias 13, 5. deprehendit. Ex his simul apparet, Malachiam vaticinatum esse, quando Nehemias secunda vice (circa 412—403 ante Chr.) in Judaeam redux, praedictos abusus abolevit, quod Malach. 2, 2—5. confirmatur.

## §. 158. Argumentum libelli.

I. C. 1, 1—5. conquerentibus Judaeis, sibi nequaquam singularem Dei favorem contingere, respondet propheta, regionem eorum esse cultam, quum regio Edomitarum vastata, et porro vastanda sit. II. C. 1,6—2, 9. sacerdotes reprehendit, qui de multis laboribus et exiguis proventibus conquerebantur, et legem pervertebant, ac sacrificia illegitima suscipiebant. III. C. 2, 10—16. invehitur in Judaeos, qui uxores pro arbitrio repudiabant, et alienigenas ducebant. IV. C. 2, 17—3, 6. querelis Judaeorum, ethnicos manere impunes, et Messiam, qui gentes, ut putabant, contriturus esset, non advenire, respondet propheta, eum venturum, nequaquam autem puniturum esse gentes, sed Judaeos, inprimis Levitas; praecessurum autem legatum, qui viam ipsi praeparet. V. C. 3, 7—12. querelas de sterilitate et locustis, inanes esse respondet, quamdiu decimas defraudant aut retinent. VI. C. 13, 13—24. argumentum 2, 17—3, 6. prosequitur, pios de justitia divina melius sentire, et hos eripiendos fore ex poena, qnam Deus in Judaeos aliquando exercebit; et illum legatum, qui praecessurus est, Eliam compellat, qui conversionem morum urgebit; demum autem regionem perpetuo anathemate damnandam esse, quo Judaea per Romanos vastata innuitur. Caeterum notatu dignissimum est, Messiam dici dominum templi, i. e. Deum, et legatum foederis i. e. legatum; qui cum Hebraeis olim foedus pepigit.

## §. 159. Elocutio Malachiae.

Malachias sermone vehementi castigat vitia. Sententiam plerumque praemittit, et populi quaestionem subjicit, cui deinceps respondet. Stilo fere ubique prosaico utitur et lingua interdum duriuscula, conf. 2, 16. Tropi et allegoriae sunt aliis prophetis communes.

# Sectio tertia.

## De poëticis et doctrinalibus libris V. F.

## Caput primum.

### De Psalmis.

#### §. 160. Aetas Psalmorum.

Hebraeis jam olim ante Davidem erant cantica, et collectiones quoque canticorum sacrorum, quorum tenues exstant reliquiae, Exod. 15. Deut. 32. Jud. 5. 1 Sam. 2. Psalmi, תְּהִלִּים, plerique sunt ex temporibus, quae Davidem inter et captivitatem Babylonicam intercesserunt; an aliqui sint ex aetate Antiochi Epiphanis et Maccabaeorum disputatur.

#### §. 161. Argumentum Psalmorum.

Quemadmodum argumentum librorum propheticorum, ita quoque Psalmorum est in suo quodlibet genere unicum, cui simile apud alias gentes frustra quaesiveris. Nam creatoris et gubernatoris omnium Dei attributa et relationes ad aspectabile hoc universum et ad hominem, et relationes hominis ad Deum omnes canuntur, inprimis vero Dei providentia, et regimen mundi visibilis et invisibilis, Dei scientia, justitia et

misericordia infinita; atque hominibus commendatur pietas, probitas et fiducia in Deum, sine qua omnis Dei cultus inanis est; porro celebratur felicitas piorum et proborum, ut animus ad pietatem et probitatem, et inprimis ad resignationem in divina decreta, ad gratum erga Deum animum, et ad gaudium de Deo Domino benevolentissimo, commoveatur. E contrario canitur miseria impiorum et improborum. — Ceterum plerique Psalmi historiam resonant, saltem eatenus, ut eventus quispiam cantico occasionem praebuerit, qui proinde, ut Psalmus recte intelligatur, indagandus, et ex Psalmo ipso eruendus, atque cum historia conferendus est; dolendum, historiam adeo esse compendiosam, nec omne, quod desideramus, subsidium ferre. Verum nequaquam omnium Psalmorum historica quaerenda occasio; sunt enim non pauci, quibus nullum factum historicum substratum est; et hi quartam facile partem Psalterii constituunt.

An Psalmi quipiam Messiam canant, nostro aevo disputatur; sunt, qui nullum Psalmum Messianum agnoscere volunt, quia omnes psalmi, ut praetendunt, ex historia iis coaeva explanari possunt; ast ut ex multis pauca tantum commemoremus, in Ps. 2, 16, 22, 40, 72, 81, 89, 110 etc. talia continentur, quae ex historia illorum temporum explicari non possunt; verum si conferuntur cum iis, quae scripta Prophetarum et libri N. F. de Messia continent omnia clara sunt. Notatu dignissimum est, in Ps. 2, et 110, quorum argumentum nulli regi humano convenit, Messiam describi ab adversariis potentibus impetitum, sed iis superiorem factum, quam notionem David Ps. 16, et 22 ita amplificat, et illustrat, ut prorsus conveniat cum Jesaia c. 53. Psalmo 72 David futuro Messiae regnum attribuit, quale in nullum regem Hebraeum quadret, vv. 5. 7. 11. 17, atque in ult. hoc vs., cum haud obscure respiciat ad divinum oraculum, quod Abrahamo obtigit,

Gen. 12, 3. 22, 18, felicitas illa, quae in omnes gentes ex semine Abrahami redundatura esset, ipso Davide interprete exspectanda foret sub Messiae imperio.

Imprecationes, quae in Psalmis occurrunt, non sunt vota se ipsum ulciscendi; ultores sui ipsius inimicis Dei, i. e., atheis et providentiam divinam negantibus accensebantur Ps. 8, 3. 44, 17. 10, 13. 94, 7., cf. 1 Sam. 24, 1—23. 26, 1—25.; sed sunt vota, ut Deus malevolos hostes puniat et ita Dei justitia puniens improbos, manifestetur, ac non ut injustus aut impotens blasphemetur; et ut Deus malevolos poenis coërceat, ac probos, ne insectationibus sceleratorum opprimantur aut pusillanimes reddantur, liberet; Ps. 5, 11. 7, 17—18. 9, 5. 10, 13. 35, 10. 52, 5—10, 58, 11—12. 64, 10—11. 94, 8—16. 109, 26—28. Ex quibusdam locis apparet, imprecantem optasse, ut per immissa mala perversi in se redeant, Dei justitiam agnoscant, et emendentur, uti Ps. 83, 17. 19. 59, 14. 19, 12. cf. Jes. 29, 9—10. Si hae dirae nonnunquam durius insonant, meminerimus, I. carmina esse, quorum sermo vehementior esse solet; II. illo aevo, quo homines sensualitati magis dediti erant, necessarium fuisse, ut Dei, in praesenti etiam vita remunerantis et punientis justitia fortius inculcaretur, qua probi in probitate confirmarentur, et improbi salutari terrore percellerentur.

## §. 162. Inscriptiones Psalmorum.

Plerisque Psalmis (exceptis fortasse 33) praefixae sunt inscriptiones, quarum aliae (prope 86) auctorem: aliae occasionem Psalmi et materiam substratam; aliae praesidem chori, vel musicum, vel instrumentum musicum, vel melodiam, ut אַל תַּשְׁחֵת Ps. 57—59., indicant. Quaepiam nullam notitiam suppeditant, ut מִזְמוֹר Ps. 98, 1. 100, 1. Aliquae vero inscriptiones plura eorum, quae modo dicta sunt, simul complectuntur. Pleraeque hae notitiae magni sunt momenti, et multum conferunt ad interpretationem; dolendum quaspiam esse obscuriores, ut מַשְׂכִּיל et לְהַשְׂכִּיל Ps. 13, 1. 44, 1. 45, 1. 52, 1. 54, 1. 70, 1. 142, 1. — Nomen auctoris indicatur per praefixum Lamed, ut לְדָוִד, לְאָסָף; eadem

tamen ratio observatur ad indicandum musicum et praefectum musicae, ut: לַמְנַצֵּחַ praefecto musicae, et לִבְנֵי קֹרַח Korachitis musicis. — Instrumentum musicum exprimitur per particulas עַל, אֶל, vel per praefixam Beth, ut עַל הַגִּתִּית Ps. 8, 1.; בִּנְגִינוֹת Ps. 6, 1.; אֶל הַנְּחִילוֹת Ps. 5, 1. — Inscriptiones, quae praefectum musicae, instrumentum musicum, vel aliam destinationem cantici exprimunt, ad templum referuntur, et interpreti minus conferunt.

## §. 163. Aetas inscriptionum.

Orientales poëtae a longa adhinc aetate poëmatibus nomen suum praefigere solent, Exod. 15, 1. Deut. 31, 30. Jud. 5, 1. 2 Sam. 17—18. 3, 33—34. 22, 1. Excerpta ex Hamasa in Schultensii editione Grammat. Arab. 1767. Caab Ben Zoheir carmen ---- item Amaralkeisi Moallakah ed. Lette 1784. p. 3 et 48. Hinc verisimile est, nomina propria, quae pluribus Psalmis praefixa sunt, ab ipsis auctoribus descendere. Quum vero plerique Psalmi nomine auctoris careant, fatendum est, nomen non omnibus Psalmis adjectum, vel deinceps omissum et deperditum fuisse. Quum porro nomina auctorum deprehendantur, quae cum argumento Psalmi pugnant: negari quoque non potest, quaepiam recentiori aetate ex conjecturis fuisse adjecta. Inscriptiones itaque, nomen auctoris exhibentes, praejudicio quidem antiquitatis suffultae, nequaquam tamen indubiae, sed examinandae sunt, an argumento Psalmi respondeant; quod si minus, rejiciendae sunt. Sic Ps. 103. Davidi inscribitur, et linguam exhibet Chaldaicis permixtam; praestat fateri, inscriptionem falsam esse, quam eam, contra usum loquendi, in illum sensum detorquere, ut sit Psalmus in Davidem, vel modo Davidico exaratus. — Inscriptiones, quae instrumenta musica, vel praesidem musicae, vel aliam destinationem psalmi indicant, pos-

sunt quidem ex Davidis aetate, qua chorus ad sacrum tabernaculum et ad arcam, atque pro templo institutus est, descendere; nequaquam vero omnes illam aetatem attingunt, sed non paucae sunt recentiores, uti passim verba ipsa arguunt, e. g., Ps. 30, 1.; sed has quoque esse antiquas, inde patet, quod jam interpreti Alexandrino fuerunt imperviae. Interpretes antiqui, inprimis Alexandrinus et Syrus, non raro conjecturas suas praefixerunt. Cf. Tobenz l. c. P. II. p. 72.

## §. 164. Psalmus Mosis.

Psalmus 90 Mosi inscribitur, quocum argumentum et elocutio, quae canticis Mosis similis est, conspirat. Judaei Mosi tribuunt sequentes quoque 10. Psalmos (91 — 100); ast regula, cui innituntur, Psalmos, inscriptione carentes, eidem, qui proxime in titulo praecessit, auctori deberi, gratis sumta est, et re inspecta concidit, uti mox Ps. 99, qui memorat v. 6. Samuelem.

## §. 165. Psalmi Davidis.

Davidi inscripti sunt Psalmi 71., et in versione Alexandrina alii 11.; ast quibuspiam inscriptionibus elocutio vel argumentum repugnat, ut Ps. 103 et 139. Davidis esse possunt quipiam, qui in versione Alexandrina ei tribuuntur, ut Ps. 96.; et quaepiam quoque qui inscriptione auctorem referente, aut omni inscriptione carent. — Materia, canticis Davidicis substrata est varia. Jam conqueritur de persecutionibus et calamitatibus, atque liberationem exorat, et spe divinae protectionis se erigit; jam pro salute Deo grates persolvit, et porro praesidium implorat; jam victoriam contra hostes exorat, ne ethnici, Deum esse impotentem, blasphement; jam pro victoriis, quas de hostibus reportavit, et Deo acceptas refert, gratum animum testatur; jam sua deplorat peccata, inprimis adulterium cum Bathscheba (Bethsabea) et caedem Uriae; jam pia

capit consilia, et in probitate se firmat, quam unam suam felicitatem esse depraedicat, Deumque precatur, ut in ardua virtutis semita opem ferat, jam Messiam venturum canit etc. — Carmina Davidis nequaquam sublimia sed suavia sunt; hinc prae ceteris placent, quae ridentes naturae scenas cantant, ut Ps. 23 et 42; nonnunquam quidem altius assurgunt, neque tamen cantica Mosis aut Asaphi assequuntur, ut Ps. 18.

## §. 166. Psalmi Korachitis et Jeduthuno inscripti.

Filiis seu posteris Korachi inscripti sunt Psalmi 42—47, 84; 85, 87, et 88., non auctoribus, sed musicis, a quibus in templo decantandi erant; quare in inscriptionibus Ps. 45—46. et 88 instrumenta quoque musica nominantur, quae canenda erant, et Ps. 88 etiam auctoris nomen, Heman, additum est. Carmina haec pleraque sublimia sunt, nec suavitatem Davidis spirant, cujus autem sint, non liquet. — Jeduthun, qui in quibusdam inscriptionibus legitur, non est horum carminum auctor, sed instrumentum musicum a musico Jeduthun, qui 1 Paral. 16, 38. 40. 25, 1. 3. occurrit, denominatum, ut ex Ps. 62, 1. 77, 1. coll. Ps. 39, 1. patet.

## §. 167. Psalmi Asaphi.

Asapho, Levitae percelebri, (1 Paral. 6, 24. 16, 5. 8. 32. 25, 1.) attribuuntur Psalmi, 50, 73—83. Ast Ps. 74 et 79. eversionem Jerosolymorum et incendium templi canunt, et Jeremiae lamentationibus propiores sunt; Asaphi itaque esse nequeunt. Psalmos 77 et 80. ejus non esse, sine sufficiente ratione asseritur; nam res Hebraeorum initio belli Nesibeni tales omnino erant, quales etiam Ps. 83. sistuntur. Psalmus autem 78. sublimitatem Asaphi non attingit, v. 69. aedificium templi memorat, et v. 67—68. 70. schisma Hebraeorum jam

factum ponit, procul dubio est ex aetate Rehabeam vel Abiae. Fortasse autem quipiam eorum, qui inscriptione auctoris carent, sunt Asaphi, ut Ps. 91 et 97. Aliunde mandatum regis Hizkiae, ut Psalmi Davidis et Asaphi in templo cantentur, plura Asaphi carmina fuisse innuit. — Hic Psaltes in carminibus didascalicis praecellit, atque Jesaiae et Habakuko non cedit. Psalmi hi dispositione et elocutione nitent, minus quidem suaves quam Davidici, ast vehementiores sunt, quare suspicio nasci nequit, a Davide scriptos, et ab Asapho decantandos fuisse.

## §. 168. Psalmi Hemanis et Ethanis.

Inscriptiones Psalmum 88. Hemani Ezrachitae, et Ps. 89. Ethani Ezrachitae tribuunt, in quo cognomine, coll. 1 Reg. 5, 11. cum 1 Paralip. 2, 4. 6, 18. 29., est difficultas, quae nunc ad nos non attinet; nam ex argumento horum Psalmorum liquet, recentiora haec esse cantica; rerum enim facies exhibetur, qualis Jes. 38. sistitur. Psalmus 89. a quibusdam ad ultima tempora regni Judae refertur.

## §. 169. Psalmi Salomoni attributi.

Salomoni inscribuntur Psalmi 72 et 127.; verum Psalmo 127 nomen Salomonis hac sola de caussa praefixum fuisse videtur, quia v. 1. mentio de aedificio domus occurrit, quod de templo explicabatur, hinc interpres Alexandrinus inscriptionem hanc non exhibet. Psalmus vero 72. complectitur vota pro inauguratione regis. Cf. §. 161.

## §. 170. De Psalmis anonymis.

Reliquorum Psalmorum auctores textus Hebraeus non exhibet: versio Alexandrina aliquos nominat, sed argumentum vix unquam congruit, ut quum Jeremiae attribuit Ps. 137, cujus auctor ex exilio redux cecinit;

aut quum Ps. 146 et 147. Haggaeo et Zachariae assignat, ex conjectura, illum vel hunc haec carmina composuisse.

## §. 171. Collectio et partitio Psalmorum.

Ratio partitionis Psalterii in quinque libros colligitur ex Psalmis, quos quilibet liber complectitur. Nam Psalmi libri primi fere omnes sunt Davidis; in secundo sunt 22 Psalmi Davidi, unus Asapho, et 8 anonymi Korachitis inscripti. In libro tertio unicus est Psalmus 86 Davidi inscriptus, et quidem dubius; reliqui sunt partim Asaphi, partim incerti auctoris, partim anonymi; in quarto libro duo duntaxat Davidi adscripti, unus (90mus.) Mosi tributus, et reliqui sunt anonymi; in quinto denique libro 15 Psalmi Davidi assignantur, unus ex conjectura Salomoni inscriptus est, et reliqui sunt anonymi. Ex his liquet, quinque Psalmorum libros totidem esse diversas collectiones, quae ordine, quo factae sunt, se excipiunt. Primus, qui collectionem instituit, Psalmos Davidis, secundus spicilegium Psalmorum Davidis dedit; quare paucos alios in collectionem admisit. Tertius de Psalmis Davidis prorsus non cogitabat, et quum collectionem suam priori addere vellet, addidit libro secundo clausulam Ps. 72.: desinunt preces David, filii Isai. Quartus anonymos Psalmos colligebat; hinc nonnisi unum Mosis (90), et duos Davidis (101. 103.) exhibet, quorum alter Davidis non est. Quintus denique spicilegium omnium carminum sacrorum instituit; hinc habet 15 Davidicos et 30 anonymos. Ex his facile perspicitur, quare aliqua carmina, quae in priori quapiam collectione habentur, in posteriori rursus recurrant, ut Ps. 14. et Ps. 53.; Ps. 57. et Ps. 108. — Aetas harum collectionum definiri vix potest, omnes tamen, aut saltem duae postremae, in quibus Chaldaica occurrunt, post reditum ex Babylone factae sunt, cum cultus Dei in

templo restitueretur. Integer Ps. 18. sistitur quoque 2 Sam. 22., quod supponit, aevo auctoris (in captivitate Babylonica) collectionem Psalmorum nondum extitisse. — An aetate Davidis collectiones minores in usum templi adfuerint, dubitatur; necessariae non erant, sufficiebant enim Levitis cantoribus plura singulorum Psalmorum exemplaria. Mandatum Hizkiae, ut Psalmi Davidis et Asaphi in templo cantentur, pro collectione nihil facit; decantari enim sine collectione potuerunt.

1. In versione Alexandrina et nostra Vulgata Psalmi 9 et 10. in unum conflati sunt; hinc numeri subsequentes unitate deficiunt usque ad Ps. 114, qui rursus cum Ps. 115. conjungitur: ast quum mox Ps. 116. iterum in duos dividatur, rursus unitas in subsequentibus numeris deficit; sed Psalmus demum 147tus in duos dividitur, ut numerus 150 compleatur. Allegationes meae autem sequuntur textum Hebraeum. Ceterum Ps. 1. in 7 codicibus, tanquam exordium, non habet numerum; et Hieronymus testatur ab Hebraeis non fuisse numeratum, unde Ps. 2dus Act. Ap. 13, 33. dicitur primus.

2. De voce vel literis סֶלָה quae saepius recurrunt, diversae sunt eruditorum sententiae; verisimilior est eorum, qui notam musicam esse statuunt; fortasse aequalem nostro d a capo.

## §. 172. Psalmi graduum.

Quindecim Psalmi 120—134. inscripti sunt שִׁיר הַמַּעֲלוֹת, quod verti solet, canticum graduum, verti autem quoque potest, canticum ascensionum, nempe peregrinationum Jerosolyma, quod vix reditum e Babylonia indicat, ut taceam, Ps. 126. aliquo post reditum tempore exaratum esse; sed innuit consueta itinera ad festa Jerosolymis celebranda; non enim singillatim, sed more orientali, plures collecti proficiscebantur, et carmina fortasse haec decantabant. Compellatio ascensionum apprime pro his itineribus facit; orientales enim de itinere in metropolim, amant uti verbo ascendere.

## §. 173. An in Psalmis sint chori.

In Psalmis quibusdam duos esse choros, qui cantant, apparet ex Ps. 24. 118. et 136.; in omnibus autem, in quibus persona loquens variat, ut Ps. 2, 21, 89, 91; 95, 109, 121, 126, 128, choros quoque variasse, verisimile non est; multo minus igitur in aliis in quibus nulla personae loquentis variatio observatur, chori diversi distinguendi sunt, ut Nachtigal in libro, Zion inscripto, 1796. contendit.

---

# Caput secundum.

## De proverbiis Salomonis.

### §. 174. Proverbia Salomonis.

Liber Proverbiorum inscribitur מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה, ubi מְשָׁלִים, ut ex مَثَل patet, nequaqum proprie sic dicta proverbia, sed sententias significat quales reapse exhibentur de probitate et improbitate, de administrandis rebus domesticis, oeconomicis et publicis, de institutione prolium, de regimine civitatis, de officiis liberorum, parentum, subditorum, judicum, magistratuum et regum, de finibus seu bono seu malo, felicitate et infelicitate.

### §. 175. Argumentum libri Proverbiorum.

Libri pars I. c. 1—9. est commendatio sapientiae et probitatis; II. 10, 1—22, 16. exhibet sententias breves sine nexu; et III. 22, 17—31, 31. sex segmenta minora, quorum 1mum 22, 17—22. orditur ab alia commendatione sapientiae, et dein sententias complec-

titur longiores, quae fere divites et magnates concernunt; 2dum 24, 23—34. peculiarem inscriptionem praesefert, et sententias breves sine nexu exhibet; 3tium c. 25—29., ex inscriptione, sententias Salomonis refert, ab eruditis sub rege Hizkia collectas; 4tum 30, 1—33, sententias continet Aguri filii Jake 5tum 31, 1—9. institutionem refert, qua regina filium suum imbuit; 6tum denique 31, 10—31. descriptionem mulieris probae sistit, in qua versus literis initialibus ordinem Alphabethi sequuntur.

## §. 176. An auctor Proverbiorum sit Salomo.

Sententiae hae, exceptis illis, quae c. 30—31. continentur, et per inscriptionem Aguro vindicantur, Salomoni tribuuntur 1, 1. 10, 1. 25, 1., qui 1 Reg. 5, 12. tria millia sententiarum protulit. Unum eundemque auctorem arguunt non modo verba quaepiam singularia, saepius recurrentia, uti קֶרֶת urbs, 8, 3. 9, 3. 14. 11, 11., et חַדְרֵי בָטֶן intima, 18, 8. 20, 27. 30. 26, 22. conf. 7, 27.; sed etiam idem ubique stilus, ut inscriptiones 22, 20—22. et 25, 1. erroris accusari non possint. — Librum vero, qualis est, a Salomone editum fuisse, nemo affirmaverit; nam ultima duo capita illius non esse, et sententias a 25, 1. ab eruditis sub Hizkia collectas fuisse, inscriptiones docent. — Nequidem prima 24 capita, qualia nunc sunt, Salomo conscripsisse videtur; nam 1 Reg. 5, 12. nequaquam liber noster Proverbiorum Salomoni tribuitur, sed id solum refertur, Salomonem 3000 sententias locutum esse; unde apparet, Salomonem has et plures alias sententias diversis occasionibus viva voce protulisse, quas regis notarius vel cancellarius, (הַמַּזְכִּיר) pro suo officio, annalibus intulit, annotata simul occasione, qua rex sententiam quamlibet protulit. Has sententias dein cancellarius (probabilius mandato regis) ex annalibus, omissa occasione, qua quaelibet prolatae fuerunt, in singulare

volumen collegit, ad quod rex exordium c. 1—9. scripsit vel dictavit. Ex hoc opere, quod totum describere molestius erat, eas forsan quilibet partes describebat, quae ipsi prae ceteris placebant, ut ipsum opus integrum rarius describeretur, et tandem periret. Hinc magna pars libri deperdita est, et quum jactura observabatur, defectus, quatenus fieri potuit, ex aliis exemplaribus suppletus est; unde habemus, quae 22, 17. usque ad 29. legimus, quibus demum ultima duo capita adjecta sunt. — Hinc patet, cur sententiae non paucae repetantur, ut 14, 31. et 17, 5.; 19, 12. et 20, 2.; 22, 14. et 24, 20.; 22, 18. et 23, 10.; 22, 13. et 26, 13.; 19, 24. et 26, 15.; 19, 13. et 27, 15.; 22, 3. et 27, 12.; 20, 16. et 27, 13.; aliquae etiam ter, ut 14, 12. 16, 25. 21, 2., et quaepiam quinquies recurrant, ut 17, 1. 19, 3. 21, 9. 19. 25, 25. Liquet porro, cur sententiae quaepiam mox in sequentibus rursus redeant, ut 10, 8. 10., 19, 5. 9. 20, 10. 23. Quum nempe rex eandem sententiam saepius, et interdum quoque paulo post alia occasione reperteret: cancellarius sententiam et hanc novam occasionem annalibus quidem inseruit; at quum ex annalibus excerperet, omissa occasione, sententiam repetiit. Cf. Tobenz l. c. P. II. p. 75, et 76. Janssens l. c. Vol. I. p. 416.

## §. 177. Elocutio Proverbiorum.

Lingua libri Proverbiorum, aliqua quidem recentiora, nequaquam autem exotica verba habet. Stilus est simplex, acutus et interdum aenigmaticus, Personificatio sapientiae, quae in prima libri parte saepius occurrit, tropus audacior est, sed sat commodus et elegans. Ceterum sententiae metris ligatae sunt, in quibus passim aliqua rythmi ratio observatur, ut 7, 13—15. 29, 17.

### §. 178. Usus proverbiorum.

Sententiae hae non modo parallela membrorum conformatione, ad indolem poëseos Hebraeae intime perspiciendam, multum conferunt, sed etiam foecunditate argumenti, et doctrinae, ad instructionem populi aptissimae sunt. Haec per sententias docendi methodus est antiquissima, et olim a sapientibus adhibita fuit; sententiae enim breves facili negotio menti altius infiguntur, acumine delectant, oblata occasione recurrunt, et normam agendi offerunt. Hinc in N. F. amplus earum est usus; apostoli enim doctrinam morum fere huic libro superstruunt, ut plura epistolarum loca intelligi vix possint, nisi cum sententiis Salomonis, ex quibus depromta sunt, conferantur. Julianus apostata, qui nostras sententias magnifice contemsit, exile per hoc ipsum prodidit judicium. Cyrillus Alexandr. L. VII. contra Julianum.

Si Proverbia Salomonis in Thalmude Baba bathra c. 1. tribuuntur Hizkiae, id de collectione duntaxat c. 25—29. valet; quodsi Massecheth Schabbath c. 2. p. 30. disputatur, an liber Proverbiorum sit canonicus, vix aliud est, quam examen dubiorum, quae uni alterive Judaeo in mentem venerunt; nam aetate Jesu, Apostolorum et Josephi de auctoritate libri nullum erat dubium.

---

# Caput tertium.

## De libro Job.

### §. 179. Argumentum libri.

Prologus libri Job, c. 1—2, praeparat lectorem, ad sequentem tractatum. Job nempe, vir probus et dives, calamitatibus opprimitur non in vindicationem

propriorum aut alienorum peccatorum, quorum particeps fuerit, sed ob id solummodo, ut sincera ejus probitas manifestetur. — Summa tractatus, c. 3—40., ad sequentia redit. Jobus, omnibus spoliatus, et lepra nigra affectus, invisitur a tribus amicis, qui longam cum Jobo de caussa harum calamitatum controversiam texunt, contendentes, Jobum per peccata, Dei justitiam provocasse; Job vero suam tuetur innocentiam, et aliam licet inscrutabilem suarum miseriarum esse caussam defendit. Quartus amicus, qui non venerat cum prioribus, omnia tamen audiverat, adeoque jam ante hos tres aderat, multa, ab aliis dicta, aliis verbis repetit, et nullum a quoquam fert responsum; ipsius sententia, etsi modestior, reapse a ceteris non discordat. Denique Deus ipse e nube tempestatis loquitur, et ex stupenda universi et creaturarum conformatione et gubernatione ostendit, hominem non posse perspicere normam, ad quam Deus regimen hujus mundi exigit. — Epilogus refert, Jobum sanitati restitutum, duplo ditiorem factum fuisse, et porro 140 annos vixisse.

## §. 180. Sententiae de argumento Libri.

Argumentum libri ab antiquioribus plerisque vera historia, a recentioribus multis parabola censetur; alii mediam viam ingressi statuunt, dispositionem, et elocutionem ad ornatum poeticum pertinere, praecipua autem capita narrationis, veram esse historiam.

Contra veritatem historiae sequentia producuntur argumenta: I. Illae Dei in coelo consultationes cum filiis seu ministris angelis, et singularis accusator, ejusque potestas, varia in terra patrandi, non sapiunt veritatem, neque ullum visionis vestigium occurrit. Si autem hic prologus, qui responsum ad quaestionem, in libro ventilatam, exhibet, fictio est: tractatio quoque quaestionis vera nequit esse historia. II. Dispositio et elocutio tantam artem prodit, quanta cum veritate hi-

storiae conciliari non potest, vir aegrotus, et amici eum consolantes, tot sublimia carmina ex arena fundere non potuerunt. Et si sermones omnes, prout referuntur, ita dicti fuissent: per tachygraphum excipi debuissent, quem non adesse dolet Job 19, 23—24. III. Omnem fidem superat, Deum e nube fere per dimidiam horam locutum fuisse non alio fine, nisi ut quatuor disputantes compesceret.

Qui librum Jobi pro historico habent, dicunt: I. Ezechiel, 14, 14. 16. 20 Jobum sistit ut veram personam cum Noacho et Daniele. II. Apostolus Jacobus 5, 11 scribit: Sufferentiam Job audistis et finem Domini (finem, quo Deus calamitates ejus coronavit) vidistis. III. Tobiae c. 2, 12 legitur, senem Tobit, ut quondam Jobum, coecitate fuisse tentatum, et 2, 25, Tobiam a propinquis, ut quondam Jobum a regibus, fuisse contemtum. IV. Patres ecclesiae consentiunt, librum Jobi veram narrare historiam. V. Urgent, orientales ostendere sepulcrum Jobi. VI. Proferunt denique versionis Pheschito subscriptionem, jam Origeni notam, quae Jobum fuisse regem Edomitarum testatur.

Argumentis hucusque pro duabus prioribus sententiis adductis, nec existentia alicujus viri divitis, et pii, diris fortunae casibus exagitati, expugnatur, neque etiam veritas totius narrationis de Jobo confirmatur; quare statuimus:

## §. 181. Libro Job vera subest historia.

Haec est sententia doctissimi episcopi Danielis Huetii Demonstr. Ev. Prop. IV. §. 4. 241., Bernardi Lamy Appar. Bibl. p. 336., Du Pin Prolegomen. T. I. §. 10. p. 93., Dan. Tobenz, J. Herm. Janssens ll. cc. et aliorum eruditorum Catholicorum. Nam I. amicorum Jobi nomen, et patria memoratur. II. Elihui quaedam genealogia adjicitur, cum ex tractu procul dissito, Syria, aut Mesopotamia c. 32, 2 advenisset,

adeoque minus notus esset. III. Locus designatur, ubi vixerit Jobus, non addita tamen vel ejus gente, vel aetate, quia in summa viri celebritate illud scriptori supervacaneum videri poterat. IV. Assumta historia intelligitur, unde sit, quod Jobi, ut verae cujusdam personae fama per totum Orientem longe lateque dispersa fuerit. V. Duo S. Scriptores Ezechiel c. 14, 14. 20 et Jacobus 5, 11 de Jobo sic loquuntur, ut si praejudicata opinione quacunque seposita, ingenue quaeramus, non quid forsan hos dixisse vellemus, sed quid ipsi dicere voluerint, sponte in hanc inducamur sententiam, ex horum quoque scriptorum judicio, vere olim vixisse aliquem, nomine Jobi insignitum, talemque omnino, qualis a Scriptore describatur. VI. denique et hoc accedit, quod antiquissimus poeta Graecus in Iliadis et Odysseae compositione neque bellum Trojanum, neque heroes suos Achillem, Hectorem, Ulyssem, Nestorem, aliosque confinxerit, sed ex vera historia in sua poemata receperit, suorumque heroum indolem, et characterem ad veritatem exprimere voluerit.

Casus vero celebrior, quem auctor libri poetice exornandum sibi elegit, hic fuerit: Vir aliquis princeps in valle Damascena singularis probitatis et opulentiae fama, clarissimus nomine vel vero, vel ex eventu dato Job, postquam summa prosperitate diu usus fuisset, subito gravissimis aerumnis pressus fuit; et initio quidem rara, et inconcussa patientia, omnes perfert calamitates, sed cum a suis derelictus et ab omnibus ut impius, occultorum scelerum reus tractatus fuerit, prae animi aegritudine, et dolorum acerbitate in vehementes erumpit querelas, nunquam tamen suam in Deum fiduciam dimittens, denique in integrum restitutus est: quo Dei singulari beneficio ita commotus est, ut ipsum querelarum suarum nimis acerbarum maxime poeniteret. Cf. Rosenmülleri proleg. in Jobum.

## §. 182. Dispositio et elocutio.

Dispositio et elocutio hujus libri subtile artificium prodit. — Prologus lectori aenigma, de quo deinceps disputatur, explicat. Duo nempe Dei judicia in coelo sistuntur, in quibus quaeque locum aptum tenent. Deus, ut rector universi benignus, et judex justus, inducitur: inter ministros, qui adstant, aliquis acutior, qui, latens ubique malum deprehendere se posse gloriabatur, et hinc perpetuo accusationes ad judicem Deum deferebat, ideoque nomen accusatoris, הַשָּׂטָן, adeptus, suae indoli convenienter loquitur. Calamitates Jobi celeriter se insequuntur, ut quasi continuis repetitis ictibus quassetur animus viri. Lepra nigra, morbus exsecrabilis, qui pro singulari Dei poena habebatur, opportune electus est, ut controversia excitaretur, et Job quidem miserrimus, nihilominus rationis compos sisteretur, qui cum amicis de caussa suae miseriae disputaret. — Prologus et epilogus prosaicus est; disputatio autem, uti et oratio Dei, sublimi refertur poësi, cui in ceteris libris Hebraicis nihil simile occurrit, nisi fortasse cantica Mosis. Neque tamen omnes eodem modo loquuntur. Sermones Jobi reliquis antecellunt; amicorum quilibet oratione discrepat; revelationes et cantica antiquiora, quae allegantur, sublimiori stilo concepta sunt, Job 5, 17—21. 8, 11—19. 12., 13—25. 15, 20—35.; sermones denique Dei reliquos omnes post se relinquunt. In sermonibus Elihu observatur quaepiam affectatio, quae singularem artem prodit. — Notiones quoque multarum rerum in exiguae molis libellum singulari arte intextae sunt, praesertim de Deo, de religione, de morum disciplina, ex historia naturali, inprimis de animalibus quibusdam, uti de equo bellico, hippopotamo et crocodilo 38, 39—41, 26., porro de fodinis c. 28., et de stellis 9, 9. 10. 26, 13. 37, 9. 38, 31—32.

**Indoles personae cujuslibet per totum librum eadem observatur. Job, ubique sibi similis, pius, suae** sibi probitatis conscius, sed miseria dejectus, et morbo oppressus, atque reclamatione amicorum irritatus, ad praecipitatas quasdam assertiones abripitur, suae innocentiae innixus audacior interdum provocator Dei, et asperior cavillator amicorum, ubique autem in querelas desinit, et audaciam magnitudine calamitatis excusat. — Amici, omnes sinceri cultores veri Dei, et acres probitatis defensores, conveniunt de justitia Dei, qua peccatores nunquam relinquat impunes, probis autem beatam concedat vitam; ut id comprobent, provocant ad antiquiores revelationes, ad doctrinam veterum, et ad experientiam, timentes, ne per contrariam Jobi assertionem probitas et religio evertatur; de angelis quoque omnes mentionem faciunt; nihilominus in pluribus discrepant. — Eliphaz perspicacia et politura reliquos superat, Jobo primum parcit, et nonnisi contradictione Jobi demum irritatus, eum improbis accenset. — Bildad, minus perspicax et minus politus, mox in principio Jobum accusat, vehementior deinceps, tandem vix habet, quod dicat. — Zophar et perspicacia et politura reliquis cedit, mox initio rustice agit; in secundo colloquio pauca, et in tertio prorsus nihil habet, quod reponat. — Elihu veneratur Jobum et amicos ejus; sed juvenis, loquitur, prout juvenes inflati solent, qui modesti videri volunt. — Deus cum omni majestate ex nube tempestatis loquens inducitur, cujus dignitati non convenit, rationem gubernationis suae reddere, et agitatam quaestionem dirimere, cui intelligendae homines pares non sunt; quare disputantes duntaxat ad silentium redigit. — Denique affectus progressu controversiae, ut fieri solet, incalescunt, et quilibet loquentium in sequenti colloquio magis aestuans in scenam prodit.

## §. 183. Consilium auctoris libri Job.

Consilium auctoris fuit, docere, caussas, ex quibus probi non raro, etiam usque ad mortem adversis conflictentur, et improbi usque ad vitae finem rebus prosperis utantur, esse inscrutabiles, adeoque res adversas non esse argumentum improbitatis, nec res secundas argumentum probitatis; Deum non semper pro ratione probitatis aut improbitatis, sed aliis justissimis de caussis, quae ab hominibus perspici non possunt, sortem in hac vita mortalium decernere. Id auctor illustrat exemplo Jobi, qui, ut sinceritas probitatis elucesceret, tot aerumnis afflictus fuit, quod nullus amicorum assecutus est. Sententia Jobi, quem Deus, rectius ceteris pronunciasse, ait, erat sententia auctoris, probos etiam usque ad vitae finem miseros esse posse, Deumque id ex inscrutabilibus, justis tamen caussis, statuisse.

Sunt qui contendunt, consilium auctoris esse illud, quod ab Elihu profertur, Deum probis, qui forte arrogantia exorbitant, immittere calamitates, ut his moniti, in viam rectam redeant, et demum rursus prosperam sortem recuperent. Ast Deus in sermone suo nullam de Elihu mentionem facit sed Jobum ceteris rectius locutum fuisse testatur; atque auctor, si sententiam suam sermonibus Elihu intexuisset, hunc virum, non ut juvenem inflatum, qui modestiam affectat, sed potius ut virum gravem induxisset. Denique haec sententia pugnat quoque cum prologo, in quo scopus calamitatum Jobi exponitur, ut sinceritas probitatis probaretur.

## §. 184. Locus commorationis Jobi.

Regio, in qua Job commoratus fuit, nominatur 1, 1. עוּץ. Uz (Hus), quam alii pro Idumaea aut parte Idumaeae, quae ab Uz nepote Seiri, Gen. 36, 28., denominata sit; alii vero pro amoenissima et celeberrima valle Damasci habent, cujus incolae Semitae, Gen. 10, 22. 23. sub nomine Uz commemorantur, et a Ptolemaeo Geogr. L. 5., Ozitae vel Uzitae nuncupantur. — Haec vallis dubio procul intelligenda, ubi-

cunque Uz sine adjuncto nominatur, inprimis vero, ubi reliqua adjuncta consonant, uti in Jobo, qui non modo, ut vir pius et probus, sed etiam ex omni parte beatus, inducitur, ad quod amoenus quoque locus commorationis multum confert, ut taceam, Jobum potuisse hic loci magnam illam agriculturam exercere, in adjacente Arabia deserta ingentes suos greges alere, et more nomadum interdum, quod se egisse dicit, intrare urbem, nempe, Damascum. Sunt hic quoque in Auranitide amplae specus, quae adhuc aevo Josephi feros troglodytas habebant, quales Job commemorat. — Aliunde, partem Idumaeae a viro Uz Gen. 36, 28., denominatam fuisse Uz, nullo idoneo testimonio comprobatur. Nam Jeremias 25, 20—21. distinguit regem Uz a rege Idumaeae, et Lament. 4, 21. filia Edomi, quae habitat in regione Uz, colonia est Edomitarum, quae in vastatam per Assyrios vallem Uz commigravit. Nec amici Job, excepto Eliphazo, erant Edomitae; si vero fuissent, nihilominus luctuosos viri celeberrimi in valle Damascena casus audire potuerunt; et denique nomades erant, qui nulli loco affixi sunt.

## §. 185. Aetas Jobi.

Aetas, qua Jobus vixit, ex amicis ejus erui potest; nam tribus Schuach, ex qua oriundus est Bildad, e posteris Abrahami, Gen. 25, 1—2.; atque tribus Theman, e qua est Eliphazus, ex posteris Esavi orta est, Gen. 36, 15.; quare aetas Jobi incidit in tempora, non modo Abrahamo, sed etiam Esavo multo posteriora, quae tamen nimis recentia statui non possunt, quia nulla de celeberrimo exitu Hebraeorum ex Aegypto, fit mentio, et Jobus aetatem 200 annorum attingit, quum aetas, paulo post exitum ex Aegypto, raro aliquantum ultra annos 70 et 80. extenderetur. Jobus itaque in ultimum seculum ante egressum Israelitarum ex Aegypto ponendus. Id per alia quaepiam indicia confirmatur,

uti quod antiqua carmina allegantur, quibus antiquissimo aevo doctrina conservabatur, 8, 8—18. 12, 11—26. 15, 17—35.; quod certa quantitas argenti vocatur Kesita, קְשִׂיטָה, c. 42, 11., uti Gen. 33, 15.; et quod alia non memoratur idololatria, nisi cultus solis et lunae, 31, 26—28.

## §. 186. Conditio Jobi.

Quum 19, 9. non diadema et vestitus regius, sed luctus solummodo indicetur, nulla est ratio, Jobum et amicos ejus regibus accensendi, quod et aliis adjunctis repugnat. Nam Job I. non amittit regnum; II. exercitum non habet, quo praedones persequatur; III. ab amicis criminum, duritiei in domesticos, at non tyrannidis in subditos arguitur; IV. Job narrat rationem suam agendi cum domesticis, et silet de ratione tractandi subditos; V. Job regum meminit 3, 14. 19, 25., quibus se minime comparat. — Neque tamen subjectus regi comparet Jobus; nam nec ipse, neque amici meminerunt, qua ratione Job se erga regem gesserit; e contrario Job veniens in portam urbis, ubi consessus magistratus et tempus fallentium erat, primum locum tenet, et sententiam rogatur. — Magni greges et ampla agricultura Jobi, innuunt, fuisse principem nomadum, qui simul agriculturam exercebat, perquam quidem potens, nequaquam tamen Abrahamo aequalis.

## §. 187. Liber Jobi opus unius auctoris.

Partes libri Job tam arcte cohaerent, ut sine violentia divelli non possint. Exordium necessarias de Jobo et amicis notitias suppeditat, consilium auctoris aperit, et finem calamitatum Jobi, qui in epilogo narratur, eminus conspiciendum praebet. Epilogus rursus respicit exordium. Sermones vero omnes recto ordine procedunt. — Qui exordium, vel epilogum, vel sermones Elihu, alteri alicui scriptori tribuunt, stili discrepan-

tiam urgent. Ast oratio prosa in prologo, ex consilio auctoris descendit, qui non suos, sed aliorum sermones metro ligare voluit. Nomen Jehova in prologo et epilogo, quod in ipso tractatu nunquam occurrit, solum probat, in illis duabus partibus scriptorem Hebraeum loqui, in tractatu autem loquentes induci Arabes, quibus nomen Jehova exoticum erat. Singulare autem quod in sermone Elihu observatur, ab arte auctoris repetendum est, qui juvenem hunc colore quoque orationis distinguere novit. — Accedit, sublatis his partibus, opus elegantissimum fore mancum. Sine prologo lector ignorat, quis Job, quinam amici ejus sint, et cur Job tot tantisque malis affligatur. Absque sermone Elihu desideratur transitus ab ultimis sermonibus Jobi ad sermonem Dei, ad quem sermo Elihu lectorem praeparat. Sine epilogo denique nescitur, quid Jobo factum fuerit. — »Ast cur nec in prologo, neque in sermone Dei, neque in epilogo de Elihu fit mentio?« — Quia Elihu non venit cum ceteris amicis: memorari in prologo non potuit, in quo adventus amicorum refertur. Quia autem nec, antequam omnes conticuissent, locutus est, neque deinceps ab ullo responsum tulit: in sermone Dei et in epilogo praetermissus est orator, qui multis operose nihil dixit, quod dictum ab aliis nondum fuisset; id enim unum addidit, peccatores a Deo per somnia, per legatos vel angelos, et per casus adversos moneri, ut in se redeant, se probent, et resipiscant, quod a ceteris quoque verbis aliis dictum fuerat.

## §. 188. Textus Hebraeus non est versio.

Loquentes in hoc libro esse Arabes, non arguit, librum Arabice scriptum, et in Hebraicum idioma translatum fuisse. Occurrunt quidem permulta, ex dialecto Arabica explananda; ast in sublimi poëmate mirandum non est, plures rariores voces et notiones esse obvias,

quae in tenui rerum Hebraicarum supellectili non supersunt, et a ditissima sorore Arabica conservatae fuerunt. Orthographia Arabica, saepius recurrens, non indicium versionis, sed argumentum est, auctorem longiori tempore inter Arabes commoratum fuisse. Omne autem dubium tollit stili indoles, qualis in versione exspectanda non est.

## §. 189. Auctor libri Job fuit Hebraeus.

Si liber Jobi non fuit scriptus Arabice, sed Hebraice, auctor profecto Hebraeus fuit; alius quippe lingua Hebraica non ita flexibili uti potuisset. Neque in alia antiqua gente talem de Deo et morum disciplina doctrinam reperies, qualis in Jobo legitur. Denique auctor in prologo et epilogo usu nominis יְהוָֹה Hebraeum se prodit. Falluntur itaque, qui censent, esse opus alicujus Edomitae vel Arabis, a quo Hebraei alioquin librum non recepissent. Si plura occurrunt Arabica, id unum colligi potest, auctorem longiori tempore in Arabia commoratum fuisse; in Palaestina profecto non vixit; nam de rebus hujus regionis altum observat silentium, quale Palaestinensis non observasset.

## §. 190. Liber Jobi ex aevo exilii Babylonici?

Artificiosa libri Job dispositio, elegantia et sublimitas stili, definita cujuslibet personae indoles per totum tractatum observata, affectuum per decursum sermonis progressus, et puritas linguae, affatim docet, non esse foetum aevi, quo Hebraei victi, excisi, patria extorres, elegantiores literas colere non poterant. Quaestio quoque, in libro agitata, et jam Ps. 37. 39. et 73. tractata, moveri non poterat tempore Babylonii exilii, quo Hebraei, nequaquam innocentes, ut Job, sed idololatrae et omni vitiorum genere corrupti, justas perversitatis suae poenas luebant. Satan autem, seu accusator hujus libri, nequaquam est Mehestanorum Ah-

rimanius, sed aliquis ministrorum Dei, qui a reliquis per id distinguitur, quod, singularem sibi perspicaciam in mala occulta arrogans, ubique mali quidpiam subolebat, explorabat et denunciabat. Neque filii Dei sunt recentiores ideae Mehestanorum; quippe ministri hujus generis jam Gen. 28, 12. 32. Exod. 33, 1—6. 1 Reg. 22, 19. Jes. 6. occurrunt. — Quae autem asseruntur formae vocum Chaldaicae, sunt quoque Arabicae.

## §. 191. Liber Job ex aevo Salomonis?

Salomonis atque etiam Davidis aevo tantum literarum erat studium, ut liber Job scribi potuisset ab aliquo, qui non celeri itinere Arabiam et Aegyptum conspexisset, sed longiori tempore in his regionibus commoratus, omnia objecta sibi adeo familiaria reddidisset, ut illis prompte in omnem partem uteretur. Ast non quaeritur, an hac aetate scribi potuerit, sed an verisimile sit, scriptum fuisse librum, cui nihil simile inter plura hujus aetatis scripta deprehenditur. Salomonis scriptis 1 Reg. 12, 13. non accensetur. Quae pro hac sententia adferuntur, exigui sunt momenti; gravissimum est, plura verba occurrere libro Proverbiorum usitata; verum id non amplius probat, quam antiquiorem librum Job ab auctore Proverbiorum diligenter lectum, et voces ex sublimi poësi in acutas sententias fuisse translatas. E contrario autem, plures occurrunt in Jobo dictiones quae in Pentateucho, alibi autem raro aut nunquam offenduntur, ut נִין et נֶכֶד Job 18, 19. Gen. 21, 23. et alias duntaxat Jes. 14, 22.; יָרָט, tantum Job 16, 11. et Num. 22, 23; נֵץ Job 39, 26. et Lev. 11, 16. Deut. 14, 15.; קְשִׂיטָה Job. 42, 11. Gen. 33. 19, et Jos. 4. 32.: פְּלִילִים Job 31, 11. Exod. 21, 22. Deut. 32, 31.; תְּנוּאָה Job 33, 10. Num. 14, 34.; rursus dictiones in Pentateucho non obviae in

Jobo raro aut nunquam occurrunt, ut כָּל, quod in Prov. duodecies, et in aliis libris ultra quinquagesies occurrit, in Jobo duntaxat 41, 14.; אַשְׁרֵי tantum Job 5, 17.; יהוה צבאות ac שׁ praefixum, et alia satis trita. Praeterea observantur quaepiam antiquiora alibi non occurrentia, cf. 1, 22. 42, 8. et אוּלָם 1, 11. 2, 5. 5, 8. 11, 5. 12, 7. 13, 3. 4. 14, 18. 17, 10. 32, 1. Vero quoque dissimile est, aevo Davidis vel Salomonis nomen auctoris non fuisse posteris conservatum.

## §. 192. An Job ante egressum ex Aegypto scriptus.

In libro Job nihil occurrit, quod ante egressum Hebraeorum ex Aegypto scribi non potuisset: verisimile autem non est, auctorem recentiorem tanta arte polluisse, ut, rerum sui aevi prorsus oblitus, se totum in tam seram antiquitatem transferret, et scriberet, ac si ante hunc egressum vixisset. Nec facile percipitur, Hebraeum Palaestinensem sibi comparasse tam profundam Aegypti et Arabiae notitiam, qualem auctor libri prodit. Magna quidem ars in dispositione, elocutione atque personarum indole latet, sed quae eam aetatem non superat, ex qua adsunt poëmata Exod. 15. Deut. 32. et Ps. 90., Num. 21, 27—30. Num. 24, 3—9. 15—19., quae, ut carmina Jobi 27, 1. 29, 1., מְשָׁלִים vocantur, qua voce Salomo non sublimia poëmata, sed sententias designat.

## §. 193. Auctor libri Job.

Moses, ut gesta, libri, et cantica ejus testantur, vir erat praeclaris animi dotibus praeditus, 40 annos in Aegypto, et 40 in Arabia versatus, has regiones quam optime novit, atque in Pentateucho vastam quoque notitiam artium, et historiae naturalis prodit, traditam a majoribus religionem unius veri Dei, et morum probitatem perpetuo et graviter inculcat, quae omnia in

libro Jobi recurrunt, ubi et de Palaestina, et de rebus hujus regionis, in quam Moses non venit, altum est silentium. Hic concentus libri Job cum adjunctis Mosis, verisimillimam profecto reddit sententiam Thalmudicorum et plurium patrum Graecorum et Syrorum, qui Mosen Jobi auctorem esse statuunt.

## §. 194. Argumenta contra auctorem Mosen.

»Ast in libris Mosis perpetuo connectitur probitas cum felicitate, et improbitas cum infelicitate, quod auctor libri Job negat, adeoque Moses esse nequit.« — Si id revera ita se haberet, Hebraei librum Jobi Mosi repugnantem, sacris libris nunquam accensuissent. Verum I. Job nihilominus tandem restituitur, et felicior est, quam ante morbum fuerat, quod geminum est historiae, quam Moses refert de Josepho, Genes. 37, 1 — 50. 26. II. Job exaggerat quidem sententiam suam, probos esse infelices, et improbos felices, neque tamen ullibi negat, probitatem homini prodesse, et ordinariam esse viam ad felicitatem; improbitatem vero homini esse noxiam, et viam ordinariam ad infelicitatem etiam in hac vita; id solum contendit, hunc rerum nexum non esse perpetuum et constantem, cujus ratio homines latet. Id ipsum vero Mosen, exemplum Hebraeorum in Aegypto oppressorum docuit, quorum permulti probi, calamitatibus obruti, vita decedebant, quum eorum oppressores felices diem obirent supremum. Moses itaque optime novit, illum probitatis cum felicitate, et improbitatis cum infelicitate nexum, non esse perpetuum; ast id in Pentateucho vel attingere, cum scopo libri pugnasset, ubi praecipere, et observantiam praeceptorum per rationes congruas urgere oportebat; hic facere mentionem, probitati non semper respondere felicitatem, fuisset infringere animum et conatum observandi mandata. Ceterum ex historia elucet, populos constanter probitate eluc-

tari, et res suas augere; improbitate vero enervari et deprimi, atque id unum urget Moses in Pentateucho; in Jobo autem non de populis, sed de hominibus singulis sermo est. III. Dei consilium in calamitatibus Jobi, quod primis duobus capitibus exponitur, erat, manifestare sinceram viri probitatem, et hujusmodi probationes occurrunt non solum in historia Abrahami et Josephi, sed in libris quoque subsequentibus Moses saepe monet, cavere haec et illa, Deum enim haec esse admissurum, ut Hebraeos probet, Ex. 15, 25. 20, 20. Deut. 7. 19. 8, 2. 15—16. 13, 3—4. 29, 2. Jobus itaque Pentateucho in summa doctrinae consentit. — Ita quoque si linguae character Arabiam spirat, et tropi, allegoriae et similitudines a rebus Arabicis depromtae sunt: id non probat, auctorem non esse Mosen, qui tot annos inter Arabes commoratus est. Quod autem urgeri solet, ad talem rerum Arabicarum usum requiri, ut auctor libri in Arabia educatus fuerit, quia ingenium poetae maneat, quale in juventute formatum fuit, admitti nequaquam potest; nam ingenium poetae ardens et imaginatio vivax omnes impressiones facile excipit, et hinc mutata sede commorationis, mutatur.

## §. 195. Consilium Mosis in libro Jobi.

Si Moses est auctor Jobi, fugitivus in Arabia librum scripsit, quod temporis spatium plura innuunt, ut silentium de rebus Hebraicis; notiones vocum, quae dein per legem in alias mutatae sunt; orthographia Arabica; tropi et similitudines ex Arabia petitae. Moses Hebraeis, Jobum illustre exemplum pietatis, probitatis, et constantiae in rebus adversis, proposuit, ut oppressi in Aegypto, in religione unius veri Dei constantes perseverent; hinc calamitates Jobi, sistit ut probationem, qua sinceritas pietatis et probitatis exploraretur; et per finem quoque miseriarum Jobi, spem liberationis confirmat. Haec autem Moses nonnisi per am-

bages proposuit, nec ad integrum populum, sed ad singulos, accomodavit. Hinc consilium Dei in calamitatibus Jobi. primis duobus capitibus aperit, quod Hebraeorum quilibet sibi applicaret. Allusio ad Hebraeos manifesta esse videtur in sermonibus Jobi et amicorum; vix enim dubitari potest, similes disputationes inter pios Hebraeos, promissionum divinarum memores, et Aegyptios vel Hebraeos impios accidisse, et multos Hebraeorum his ad cultum idolorum fuisse pertractos, quod Moses per hunc librum impedire et praecavere intendit. Cf. Bonfrerii append. ad cap. 7 praeloqq. in S. Script.

---

# Caput quartum.

## De Cantico Canticorum.

### §. 196. Argumentum Cantici.

Libellus שִׁיר הַשִּׁירִים, canticum canticorum, seu canticum pulcerrimum, inscriptus, complectitur cantica, in quorum partitione magnus est interpretum dissensus; fortasse sequentia diversa cantica statui possunt: I. 1—2, 7. Puella campestris amorem profitetur, et dilectus opilio aequali amoris contestatione respondet. II. 2, 8—3, 5. Puella canit dilectum, qui eam ubique locorum requirit, et ipsa quoque suum desiderium illius fatetur. III. 3, 6—5, 1. Puella in lectica, militibus Salomoni- cincta, ducitur ad reliquas regis uxores, quibus omnibus longe praefert dilectus unicam suam dilectam, quacum se, ipso rege feliciorem esse testatur. IV. 5, 2—6, 9. Dilecta canit dilectum, noctu venientem et rursus aufugientem, antequam illa portam recluderet; quare illum quaerit, sed a vigiliis vapulat, et peplo spoliatur. Enarrat dein pul-

critudinem dilecti qui tandem respondet, pulchritudinem dilectae celebrans. V. 6, 10 — 8, 3. Schulamith illectationes aulicorum, quos inopinate in horto invenit, paucis repellit, et amorem dilecti sui celebrat. VI. 8, 4 — 7. Contestatio et celebratio amoris constantis. VII. 8, 8 — 12. Colloquium fratrum de custodienda et vendenda sorore, quibus illa subsannando respondet, se ipsam fore fui custodem. VIII. 8, 13 — 14. Dilectus optat audire dilectam, quae respondens, fugam suadet. Cf. Calmet praefat. in Cant.

## §. 197. Materia Cantico substrata.

Qualem haec cantica amorem celebrent, antiqua est disputatio. Aliqui Canticum de amore utriusque sexus interpretati sunt, omnium pessime Theodorus Mopsuestenus, in concilio Constantinop. anno 553 notatus, quod Canticum ut librum turpem rejecit; procul dubio interpretatus est de amore illicito. — Bosuet, et Du Pin nuptias Salomonis cum regis Aegypti filia cani, autumarunt, verum de nuptiis nullum occurrit vestigium. — Alii statuerunt, castum amorem utriusque sexus ante matrimonium, objectum esse cantici; ast, ut jam monuit Joan. Mercerus Comment. in Cantic. 1573, non est verisimile talem librum Hebraeos inter scripta sacra retulisse. Cf. Rosenmüller über des hoh. Liedes Sinn und Auslegung in Analect. Fasc. 3to. —

Hebraeorum magistri, ut testantur R. Salomon, Aben-Ezra, et alii, docuerunt, dilectam (sponsam) esse populum Hebraeorum, et dilectum (sponsum) Deum aut Messiam. — Christiani doctores antiquissimi statuerunt; sponsam esse Ecclesiam, ejusque sponsum Christum Dominum, ut testatur Theodoretus in prooemio suae interpretationis Cant. »Non solum Eusebius Palaestinus, et Origenes Aegyptius, et martyrii corona redimitus Cyprianus Carthaginensis, et his antiquiores, apostolisque propinquiores, verum etiam qui post

in ecclesiis excelluerunt, magnus ille Basilius Proverbiorum principium exponens, et uterque Gregorius, quorum alter sanguine, alter amicitia Basilio conjunctus fuit, et fortis ille pietatis propugnator Diodorus, et Joannes, qui ad hunc usque diem doctrinae fluentis irrigat universum orbem terrarum, ac denique, ut paucis rem complectens consulam brevitati, omnes quotquot postea fuerunt, librum hunc spiritualem esse censuerunt.«

Ex his testimoniis apparet, Canticum nostrum ab antiquis V. et N. F. magistris constanter intellectum fuisse de spirituali amore Deum inter et homines, ac speciatim inter Messiam, et populum Hebraeum, aut inter Christum, et ecclesiam. Cum vero »Patres christiani, et scriptores primorum saeculorum noverint traditionem ecclesiae Israeliticae, et Christianae, ut optime notat Dr. J. H. Kistemacker (in praestantissimo opusculo: Canticum Canticorum illustratum ex Hierographia Orient. Monasterii 1818 p. 80.); noverant item, magisque quam nos, ingenium mysticum antiquitatis. Dum utraque hac notitia instructi erant, magni ponderis est eorum auctoritas;« cui et nos acquiescamus oportet; ea tamen cum cautela, ut ne singula adjuncta interpretari velimus; respicienda enim sunt, ut in parabolis, monente Chrysostomo hom. 47 in Matth., praecipua duntaxat capita, quae quidpiam significant, reliqua ad integritatem, et ad ornatum spectant.

## §. 198. Auctor, et aetas Cantici.

Recentiores multi Canticum hoc auctori, qui post Salomonem vixit, attribuunt: I. Quia aetatem recentiorem indicant verba Aramaea, et recentiora hebraica, quae occurrunt. — Ast haec commode explicari possunt ex frequenti Salomonis cum exteris consortio. II. Quia Tirza (Thersa) 6, 4. occurrit, ut civitas regia, cum tamen urbs regia facta non sit, nisi post Schisma

Cf. 1 Reg. 14, 17. 15, 21. 16, 6. — Ast potuit Tirza cum Jerosolymis componi respectu situs sui amoeni, a quo dubio procul nomen accepit. — Thalmudici illud Ezechiae regi adscribunt. — Antiqui vero omnes Canticum nostrum Salomoni tribuerunt, nomenque ejus in titulo textus hebraici, et versionis Alexandrinae extat. Cf. Tobenz l. c. P. II.

---

# Caput quintum.

## De Ecclesiaste.

### §. 199. De nomine Ecclesiastes.

Nomen libri est: קֹהֶלֶת, in quo ultimum Thau non est foemininum, sed augmentativum, sicut in pluribus vocibus Arabicis. Haec forma in nominibus quoque propriis Hebraicis occurrit, ut סֹפֶרֶת et פֹּכֶרֶת Ezr. 2, 54. 57. Neh. 7, 57. 59. Qui nomen קֹהֶלֶת de congregatione eruditorum interpretantur, puncta vocis abstractae, קְהִלַּת, subjicere deberent, quod tamen repugnat 1, 1. 12.; quare etiam 7, 28. literae ita separandae sunt: אָמַר הַקֹּהֶלֶת, pro אָמְרָה קֹהֶלֶת, non enim congregatio, sed vir unicus loquitur. Nomen ab interprete Alexandrino etymologice translatum est: εκκλησιαςης, quod Hieronymus in versione retinuit. Salomonem esse, qui Koheleth dicitur, dubium non est; ast quaeritur, sitne vir, qui populum congregat, vel ad populum congregatum loquitur. Quae in libro leguntur, populo accomodata non sunt, et si 12, 9. dicitur Koheleth docere populum, populus sunt lectores libri. — Neque de congregatis in quadam academia sapientibus, quos Nachtigal inducit, ullum in libro occurrit vestigium, Kohe-

leth ubique solus loquitur, et si 12, 11. sententias sapientum laudat, ipsum hunc librum commendat, qui sententias hujus generis complectitur. Ipsi quoque בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת 12, 11., non sunt congregatores aut congregationes sapientum, sed collectores sententiarum, quibus vitae instituendae ratio docetur. Talis collector sententiarum est quoque auctor, quae notio vocis קֹהֶלֶת argumento libri aptissime convenit et ab auctore quoque 12, 9—10. exprimitur.

## §. 200. Argumentum Ecclesiastis.

Liber exhibet varias observationes de conatibus, et moliminibus, laboribus, et studiis hominum ad felicitatem consequendam, et hosce conatus vanos, et molestos dicit. Cum homo per omnia sua studia veram felicitatem in hoc mundo obtinere nequeat, alicui in mentem venire posset, homini nullum aliud vitae emolumentum superesse, nisi illud, quo fruitur, seu ut auctor dicit: edere, et bibere. Hinc docet Ecclesiastes, quomodo quis tristem hanc vitam alleviare possit, bonis creatis moderate utendo, Deumque timendo 12, 13. Caeterum vitam futuram c. 12, 7. diserte profitetur.

## §. 201. Dispositio argumenti.

Querelae de vanitate et molestia rerum humanarum initio solae leguntur, 1, 2—4., 16.; deinceps vero semper pauciores occurrunt, et versus finem prorsus desunt; e contrario monita et institutiones ad vitam beatam, primum 4, 17. incipiunt, deinceps semper frequentiores recurrunt, et in fine utramque paginam faciunt. Ex hac dispositione diversarum partium non possunt deduci duae personae loquentes, aut duo diversi sermones; nam querelae, et institutiones ad beatam vitam, in praecipuis capitibus consentiunt; sicut enim querelae, omnia esse vana et molesta,

librum inchoant, sic institutio in fine concludit, omnia esse vana et molesta; et sicut in querelis 2, 24. 3, 12. 22. 5, 17. 6, 3—6., ita quoque in institutione 11, 8. 9. 10. commendatur laetus vitae usus tanquam unicum hominis emolumentum ast cum perpetuo respectu ad judicium Dei; cap. 7, 1. seqq. etiam memoria mortis ad rectam vitae rationem utilis esse docetur. Ex his liquet unicum esse, qui in toto libro loquitur.

## §. 202. Scopus Ecclesiastis.

Scopum auctoris fuisse, vitam mollem docere, ex frequentiori monitione, unicum vitae emolumentum esse, manducare et bibere, colligi nequit, quia etiam voluptatem sapientiae junctam esse dicit vanam et molestam, probitatem et religionem inculcat, et jubet, mulieres callidas, ut extremam perniciem, fugere, quae omnia vitae molli repugnant. E contrario ex querelis de vanitate et molestia rerum humanarum, concludi nequit, auctorem docere, non posse oblectamenta, utut innocua, cum probitate in amicitiam coire; nam huic sententiae repugnat frequens monitio ad laetum, religiosum tamen, vitae usum. — Auctor vanitatem et molestiam rerum humanarum non magis ac hilarem vitae usum spectavit; unde apparet, reprimere voluisse inquietam hominum contentionem, qua in corradendas divitias, conquirendas voluptates et adipiscendos plausus, praecipites feruntur; monere tamen simul, ne innocua oblectamenta, etsi fluxa et fugacia, sibi prorsus denegent, et vitam sibi molestiorem reddant. — Auctorem impugnare singulares adversarios, ut Pharisaeos, vel sophistas Graecos, aequus rerum judex vix observabit; neque enim alii occurrunt adversarii, quam quos auctor edocere vult, nempe insipientes, qui sibi sapienter agere videntur, quum voluptates, divitias, applausus et quaecunque alia, imo ipsam quoque sapientiam immodice consectantur, aut in cala-

mitatibus animos despondent, nec Deum respiciunt, neque sortem hominis serio perpendunt; homines hujus generis, si Pharisaeos vel Sophistas dicere placet, nullo aevo desunt.

Thalmudici Schabbath p. 50. referunt, quosdam Judaeos fuisse offensos, quod auctor vanas dicit creaturas, et etiam inter se pugnantia asserit; nempe non perspiciebant, libri dispositionem id secum ferre, ut observationes de vanitate et molestia rerum humanarum per alia principia labefactentur. Christianis aliquibus non arrisit tristis rerum humanarum facies, quae in libro exhibetur; offendiculum fere idem, quod de Judaeis retulimus; aliis autem quibusdam displicuit frequentior monitio ad hilarem vitae usum: utrique non adverterunt scopum, ad quem auctor per haec omnia collineat.

## §. 203. Lingua et stilus Ecclesiastis.

Lingua Ecclesiastis multis Aramaeis verbis et verborum formis et notionibus permixta est, ast Graeca, quae Zirkel Untersuchungen über den Prediger. Würzburg 1792. S. 4—56., deprehendisse sibi visus fuit, ex linguis orientalibus commodam habent interpretationem. Conf. Joh. Ernst Schmidt Kohelets Lehren 1794. S. 283—304. — Stilus est humilis, et ad prosam accedit. Membra parallela, poesi Hebraeae propria, non raro neglecta sunt. Nexus orationis passim hiat, in posterioribus vero capitibus paulo accuratior est. Occurrunt et plura obscurius dicta.

## §. 204. Auctor et aetas Ecclesiastis.

Antiquiores omnes hunc librum Salomoni tribuerunt I. Ob dicta 1. 16. 7, 27. 12, 9. II. Ob traditionem omnium Patrum, de quorum sententia ex eorum commentariis e. g. Gregorii Neocaesar., Hieronymi, Theodoreti etc. constat, et cunctorum pene Judaeorum antiquorum. Huic argumento aliud obmoveri non potest, nisi, quod, utut communis, plene tamen universalis traditio non sit, cum Thalmudici regi Ezechiae

Ecclesiasten adscribant. — Recentiores vero plerique Ecclesiastis auctorem aevo Salomonis multo posteriorem existimant. Arbitrantur eum Salomonis nomine, quemadmodum auctor libri Sapientiae, locutum fuisse. Rationes eorum sunt: I. Quod multi occurrunt Aramaeismi, et recentiora Hebraica vocabula. — Ast constans Salomonis cum alienigenis commercium et praecipue cum uxoribus extraneis consortium initio quidem loquelam, deinde stilum quoque corruperit. Idque locum habuisse eo verosimilius est, quo magis probabile, Salomonem jam grandaevum Ecclesiasten exarasse. II. Quod Salomon non scripsisse videtur: Ego fui vel sum rex Israel in Jerusalem — Sed utrumque Salomon scribere poterat. Primum quia non solum suis coaevis, sed posteris quoque monita dabat; Secundum quia coaevos suos non novi quidquam, sed hoc docere voluit, sibi potentiam et opportunitatem fuisse omnibus voluptatibus fruendi, absque eo, ut vera felicitate potiretur. III. Quod haud verisimile est, sapientissimum regem de filio suo scripsisse: Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto — Verum multum abest, ut rationes exegeticae suadeant, hunc versum de filio Salomonis explicandum esse. IV. Quod tempore Salomonis illa libros scribendi cupido, quam auctor coaevis suis exprobrat, non exstitit. — Verum recte aevo Davidis, et Salomonis Hebraei scientarum cultura inclaruerunt, ex quo facile scribendi cupido c. 12, 12. exprobrata, explicari potest. V. Quod Salomon non fuisset tantopere conquestus de injustitia judicum, de potentum violentia, et de servorum et stolidorum ad dignitates evectione, cum hoc modo administrationem suam diffamasset. — Ast optimi reges non omnes defectus praecavere, nec omnibus malis medelam adferre possunt; hinc tot optimorum quoque principum contra administratores querelae. — Caeterum candide fatendum Ecclesiam, auctorem Cantici et Ecclesias-

tis quod attinet, nullam edidisse dogmaticam definitionem. Cf. Pineda praefat. in Ecclesiasten. — De aetate, qua liber noster scriptus sit, Tobenz l. c. Part. II. p. 86 et 87. haec habet. »In sententia itaque prima locus scriptionis Hierosolyma, tempus Salomonis aevum est. In secunda sententia sicut auctor, ita nec tempus, nec locus scriptionis accurate determinatur, nisi quod in Palaestina elaboratus sit. Circa tempus enim in partes abeunt hujus sententiae patroni. Verior sententia illorum adparet, qui ante captivitatem Babylonicam confectum contendunt, ob monita, quae in eo dantur, regis praecepto obediendi, nec quidquam contra eum moliendi C. 8, 2. 10, 4. 20, quod temporibus captivitatem Babylonicam sequentibus non convenit. Non longo tamen tempore ante captivitatem confectum fuisse in hac sententia adseri necesse est, ob Chaldaismos (Aramaeismos) plures in illo occurrentes, qui ultimam regum aetatem magis, quam anteriorem decent.«

Varias de auctore et aetate Ecclesiastis sententias examinavit jam Joannes de Pineda in suo in Ecclesiasten commentario. Antverpiae 1620.

# Sectio quarta.

## De scriptis deuterocanonicis.

### §. 205. Difficultates in scriptis deuterocanonicis.

Difficultates in scriptis deuterocanonicis tantae non sunt, quantae olim ab adversariis jactabantur; multa enim, quae opponebantur, erant a longe petita et quaesita, multa alia detorta, et multa hypothesibus superstructa, erant autem responsa quoque nostrorum non pauca minus solida. Deerat pugnantibus accura-

tior linguarum et antiquitatum orientalium cognitio. Restant nihilominus difficultates non contemnendae, quae, qua possint ratione commodius solvi, dispiciamus. — Caeterum notatu dignissimum est, quod scribit Car. Dav. Ilgen in praefatione ad opus: Die Geschichte Tobi's. Jena 1800. »Mentis imbecillitati Theologorum Protestantium priorum temporum imputandum, quod errores tantum et defectus horum librorum (deuterocanonicorum) detegere, et existimationem illorum elevare studuerint; praerogativas vero et emolumenta inde haurienda de industria silentio presserint; atque eo tantum tetenderint, ut auctoritatem librorum (proto-) canonicorum extollerent. Quaerebant in illis collisiones cum libris (proto-) canonicis V. F., investigabant errores dogmaticos; detegebant falsas doctrinas morales; invenisse sibi visi sunt multitudinem mendorum contra chronologiam; quin animadverterint, critices licentiam aliquando aggeres sacros, quibus tectos libros (proto-) canonicos adeo securos putabant, transcensuram, illosque eadem severitate dijudicaturam. — Et longe ante ipsum Drusius († 1616.), vir a moderatione inter Protestantes celebris, in observ. Sacr. occasione difficultatum in partibus deuterocanonicis liberi Esther ait. »Quum a tempore, quo libri hi scripti sunt, distemus maxime, neque historiae tam remotorum seculorum notitiam habeamus, nisi obscurissimam, non licet nobis absque temeritate ob historicas, aut chronologicas conjecturas illud rejicere, quod ab auctoribus, qui nobis proximiores fuerunt temporibus illis, receptum novimus, quin iis, quae nos morantur, difficultatibus deterrerentur.«

Inter recentiores doctores catholicos de auctoritate divina librorum deuterocanonicorum omnium additis dictis classicis Patrum egerunt: Dan. Tobenz in Institt. S. Scripturae Part. I. Vindob. 1814, et anonymus in dissertatione de divina auctoritate deuterocan. U. T. librorum et partium. Jaurini 1819.

# Caput primum.

## De libro Baruch.

### §. 206. Baruch.

Baruch perhibetur filius Neriae, filii Maasaeae (vel (Maasiae), filii Zedekiae, filii Asadiae (vel Sedei), filii Chelkiae, qui celebrior quidem, neque tamen sacerdos ille fuisse videtur, qui sub Josia antiquum exemplar legis Mosis in templo invenit. An noster Baruch sit ille, qui erat notarius Jeremiae, et patrem quoque Neriam habuit, dubitari potest, quia id, licet memoratu dignum, in inscriptione tamen, etsi prolixa, non annotatur, et quia notarius Jeremiae, post eversa Jerosolyma in Aegyptum commigravit, Jer. 43, 6., quum noster anno quinto ab eversis Jerosolymis, in Babylonia versetur, sed potuit, Baruchus, Jeremia mortuo, mox ex Aegypto in Babyloniam migrare. Si Eichhornius Einleit. in die apocryphischen Bücher des A. T. S. 377—378., hunc annum 5tum a deportatione Jechoniae numerat, repugnantem sibi habet locum Baruch c. 1, 2., ubi eversio Jerosolymorum praecessisse narratur; neque Judaeus quiscunque historiae suae adeo ignarus fingi potest, qui deportationem Jechoniae distinguere ab eversione Jerosolymorum non nosset.

### §. 207. Argumentum libri Baruch.

I. Prologus narrat 1, 1—3, 8., Baruchum anno 5to post excidium Jerosolymorum, praelegisse librum

suum regi Jechoniae et populo in Babylonia ad fluvium Sud vel Sodi, atque populum ad poenitentiam fuisse conversum, et librum cum epistola et muneribus Jerosolyma misisse. II. Tractatus libri 3, 9—5, 9., exhibet, 3, 9—4, 8. adhortationem ad sapientiam et legis observationem. Inducitur 4, 9—29, vidua urbs Jerusalem, se et filios suos spe reditus recreans; et sequitur 4, 30—5, 9. responsum, spem hanc confirmans. III. Epistola, Jeremiae, c. 6., in qua vanitas idololorum ostenditur, et exsules in Babylonia monentur, ut ab idololatria caveant.

## §. 208. Difficultates libri Baruch.

Si exsules 1, 7. munera mittunt Jerosolyma, quae urbs 1. 2. incensa et eversa fuisse refertur, nulla est difficultas, siquidem etiam Jer. 41, 5., octoginta Judaei deferunt munera in urbem eversam; inter rudera nempe nonnunquam offerebantur sacrificia, quod 23tio anno Nebucadnezaris, id est, eodem hoc 5to anno ab eversis Jerosolymis, quo Jer. 52, 30. omnes reliquiae Judaeorum deportatae sunt, cessasse, exsulibus in Babylonia adhucdum ignotum erat. — Vix majorem difficultatem creat, quod 1, 8. refertur, sacerdotem Jojakimum aliqua vasa argentea, quae rex Zidkias fieri curaverat, recepisse; nam Judaei in Babylonia vasa quaepiam redimere potuerunt. Neque dicatur, sacerdotem magnum id temporis fuisse Serajam, non Jojakimum; nam Seraja eversis Jerosolymis interfectus fuit, Jer. 52, 24. 27., et reliquiae Judaeorum in Judaea, spectatissimum Jojakimum, qui singillatim nominatur, sacerdotem magnum venerari poterant. — Majoris momenti est, 1, 11. Nebucadnezarem et filium ejus Baltasarem memorari, quum Evilmerodach, non Baltasar (Belschazar) esset successor Nebucadnezaris. — Respondemus, Baltasaris nomen vel ex errore librariorum descendere, vel fuisse titulum cujuslibet

filii successoris, aut Evilmerodachum fuisse binominem. — Fluvius Sud vel Sodi, 1, 4., est Euphrates, qui hoc nomen inde adeptus est, quod non modo tractus terrae circa Kufam et Bassoram, sed omnes quoque pagi Babyloniae, Arabice سُوَاد, Sovad, dicuntur, uti ex Annalibus Moslemicis Abulfedae constat.

## §. 209. Lingua libri Baruch.

De exemplari aliquo Hebraico Baruchi nulla est apud antiquos mentio. Hebraismi textus Graeci a Judaeo Graece scribente repeti possunt; nequidem ex phrasi 1, 10. ποιήσατε. μάννα, facite manna, textum Hebraeum colligere licet, siquidem etiam interpres Alexandrinus Jerem. 41, 5. מִנְחָה per μαννα reddidit, ut μαννα in Graecitate Judaica pro מִנְחָה veniret, prout et Suidas explicat, conf. Suidae et Phavorini Gloss. sacrae ex ed. Ernesti p. 86. Ast quum in Barucho nulla occurrant eloquentiae Graecae vestigia: liber in recentiorem aetatem, qua Judaei Graece scribebant, non est removendus, quod collatum cum memorato μαννα et cum Hebraismis frequentibus, veram demonstrat sententiam, quae librum Hebraice scriptum fuisse statuit.

## §. 210. De epistola Jeremiae c. 6. libri Baruch.

Scripta est haec epistola ad Judaeos post excidium Jerosolymorum in Babyloniam deportatos. — Genuinam esse Jeremiae hanc epistolam ex orationis conformatione, atque argumento, rebusque aetati Jeremiae et instituto convenientibus, recte statuitur. Eam habebant Judaei et Jeremiae esse agnoscebant, ut patet ex 2 Macc. 2, 1—3. Sunt et Patres, qui Jeremiae esse epistolam confirment: Cyprianus de orat. domin. Cyrillus Jeros. Catech. IV., Athanasius in epist. fest. Hilarius in prolog. explan. in Psal. —

Deest quidem ut Baruchi prophetia in Codd. hebr.; ast Hebraeam esse orationem epistola loquitur. Cf. Bendtsen Excit. erit. — His non obstantibus tamen non pauci negant, hanc epistolam esse Jeremiae I. Quia deest omnis forma, qua temporibus illis antiquis utebantur, qui epistolas scribebant. — Ast id etiam caderet in cap. 29 Jerem., in quo idem defectus observatur. II. Quia in hac epistola dicitur, exilium Babylonicum duraturum septem generationibus, dum Jerem. 29, 10. dicitur, illud futurum 70 annorum. — Verum apud antiquos reperiuntur generationes 100, 50, 30, 10 annorum. Vox γενεα aetas, generatio significat h. l. spatium decem annorum. Sic etiam Diogenes Laert. in vita Pythagorae lib. 8 scribit, scholam Pythagorae 19 aetatibus (generationibus) substitisse ad exprimendum, illam 190 annis stetisse. Cf. Biel in nov. Thesaur. ex edit. Schleusneri Lipsiae 1820 s. v. γενεα Sandbichler Erläuterungen der bibl. Geschichte p. 390 — 399. Dereser, die h. Schrift des A. T. part. 4tae vol. 2do.

## §. 211. Versiones libri Baruch.

Antiquae libri Baruch versiones Latinae sunt duae, altera in Vulgata, et altera a Josepho Maria a S. Caro Romae 1688 edita; utraque est antiquior Hieronymo, qui librum Baruch non vertit. — In polyglottis Londinensibus excusa est versio Arabica et Syriaca, et in Parisiensibus alia habetur Syriaca, quae a nostro textu in multis dissentit. — Fons harum omnium versionum est exemplar Graecum; aetas ignota est.

## §. 212. Auctoritas canonica libri Baruch.

Liber prophetae Baruch I. continebatur in versione Alexandr. quae authentica, et vulgata Judaeorum graecorum erat. II. Constitutiones sic dictae Apo-

stolorum lib. 5. c. ult. testantur, Judaeos die propitiationis in synagogis legere librum Baruch cum Threnis; ex quo palam fit, Judaeos extra Palaestinam hunc librum a canone non rejecisse. III. In antiquissimis catalogis SS. LL. sub nomine Jeremiae continetur, cum pars vaticiniorum Jeremiae haberetur, ut diserte annotat Augustinus de civit. Dei XVIII, 33. — IV. Ceu liber divinus allegatur ab antiquissimis P.P. Irenaeo contra haer. V., 35, Cypriano Testim. lib. II., 6., Clemente Alex. Paedag. I, 10, II, 3. Eusebio Demonstr. Evang. VI, 19, X, 3, Tertulliano Scorp. c. 8, Athanasio de Trin. n. 19, Hippolyto Tom. II. contra haeres. Noet. Ambrosio Serm. 18 in Ps. Cyrillo Hieros. Catech. XI, 15 etc. V. Etiam alii Scriptores S. ex nostro libro aliqua depromserunt. Cf. Baruch 1, 15 cum Dan. 9, 7 et Nehem. 9, 32. Baruch 2, 7 cum Dan. 9, 13. Baruch 2, 11 cum Dan. 9, 15 et Nehem. 9, 10. Baruch 2, 15 cum Dan. 9, 19. Baruch 2, 19 cum Dan. 9, 18. Baruch 6, 3 cum 2 Macc. 2, 2. — Has traditiones secuta Ecclesia in Conc. Trid. Sess. IV. de can. S. Script. librum Baruch canonicum, et divinum esse declaravit. —

# Caput secundum.

## De partibus deuterocanonicis libri Danielis.

### §. 213. Canticum trium puerorum.

Quae in versione Alexandrina Dan. 3, 24 — 91 occurrunt, praeter orationem Azariae ac Canticum historica sunt, et cum historia in parte Danielis Chaldaica optime conspirant. Canticum aut Azarias, aut unus amicorum ejus, aut Daniel ipse exaraverit, retenta sub-

stantia laudum in ardente fornace decantatarum. Sandbichler l. c. p. 401. — Lingua, qua haec omnia exarata sunt, vestigia textus Hebraici vel Chaldaici exhibet ut c. 3, 33. αποϛαται, quod est מרדים apostatae, et Syriace quoque crudeles, quod ultimum hic loci obtinet, ita quoque v. 37, et 40. Quibusdam haec non sufficiunt, ut statuant, canticum Hebraice scriptum fuisse, quia Theodotio illud non ex Hebraico vertit, sed ex versione Alexandrina descripsit; ast Theodotio persaepe a versione Alexandrina recedit, ut dubitari possit, an hoc canticum ex versione Alexandrina descripserit, vel textum Hebraicum verterit. Versio nostra Latina ab Hieronymo ex textu Graeco traducta est.

## §. 214. Historia Susannae Dan. 13.

Susanna, uxor divitis Judaei Babylone, in horto a duobus judicibus Judaeis ad adulterium sollicitatur; quos, etsi vindictam meditaturos praevidet, religione tamen ducta, repellit. Offensi per repulsam in forum vocant Susannam, et testantur, eam in horto deprehensam fuisse adulteram, eamque morti addicunt. Quum innocens ad supplicium duceretur, Daniel, qui pessimos hos judices aliunde novisse videtur, populum eo adducit, ut examen repetatur, et Daniel interrogat senes singillatim, sub qua arbore, vel in quo loco horti adulteram conspexerint; et quum primus responderet: ὑπο σχινον; sub ilice, mox sententiam in eum dicit: ὁ αγγελος κυριε σχισει σε μεσον et alterum, qui respondet ὑπο πρινον, sub lentisco, quoque condemnat: νυν ὁ αγγελος κυριε την ρομφαιαν εχων, πρισαι σε μεσον. Populus confirmat sententiam Danielis, et hi falsi testes, qui simul judices fuerant, jure talionis supplicio afficiuntur.

## §. 215. Difficultates.

De hac narratione scribit Hieronymus Praef. in Dan.: »audivi ego quempiam de praeceptoribus Judae»orum, cum Susannae derideret historiam, et a Grae»co, nescio quo, eam diceret esse confictam, illud »opponere, quod Origeni quoque opposuit Africanus, »etymologias has, *απο τȣ σχινȣ σχισαι, και απο τȣ πρι»νȣ πρισαι*, de Graeco sermone descendere. Cujus rei »intelligentiam nostris hanc possumus dare, ut verbi »gratia dicamus, de arbore ilice dixisse illum: illi»co pereas; et a lentisco: in lente te comminuat »angelus, vel non lente pereas, aut lentus, id est fle»xibilis ducaris ad mortem.« — Ast excepta paronomasia nihil occurrit, quod fieri non potuisset; etiam, quod Dan. 13, 63 in vers. Alex. dicitur veram historiam arguit. Judaeus Hellenista historiam Susannae ex antiquiori documento Danielis desumsit, et ita, ut eam nunc habemus, exaravit; paronomasia illa nil aliud exprimitur, quam sententia mortis horum duorum judicum. — Objiciunt quidem I. tumultuarium judicium seniorum et ipsius quoque Danielis a forma orientalis judicii penitus abhorrere. — Ast quot judicia tumultuaria et praecipitanter peracta non sunt ? — Etiam innocens Naboth 1 Reg. 21 ob testimonium duorum falsorum testium capite damnatus est. Num vero Susanna inaudita condemnata fuerit ob brevitatem qua historia haec narratur, definiri nequit. Idem obtinet respectu sententiae in duos seniores a Daniele latae. — II. Judaeos exules non habuisse jus vitae et necis. — Ast inde non sequitur, hos duos judices nequam neci a Judaeis traditos non fuisse sed tantum, id sine facultate regis fieri non potuisse, quam rex non denegarit, cum Judaeis legum suarum exercitium permissum fuerit. Nec putandum, tam exactam disciplinam publicam, qualis nunc inter nationes cultas

viget, inter Chaldaeos viguisse. Cf. Sandbichler l. c. p. 401 et 402.

## §. 216. Versiones historiae Susannae.

Textus Theodotionis non est quidem alia versio, ab Alexandrino tamen textu in multis dissonat, ac si Theodotio quaepiam emandasset. Ex hoc textu Theodotionis manaverunt tres versiones Syriacae, et una Arabica, quae, uti duae Syriacae (altera auctoris ignoti, altera episcopi Heracleensis ann. 613.) in polyglottis Londinensibus exhibentur; in ambabus Syriacis textus passim mutatus est. Tertia Syriaca versio inedita, est Jacobi Edesseni, cujus specimen dedit Bugati in notis ad Danielis Syriacam versionem Hexaplarem. Nostram Vulgatam Hieronymus ex textu Theodotionis transtulit.

## §. 217. Historia de Belo et dracone.

Historia de Belo et dracone, Dan. 14., in Vers. Alex. et nostra Vulg. haec est: Daniel, a rege Babylonis, ex sententia Sandbichleri l. c. p. 406. probabiliter Dario Medo (Kyaxare II.) ad colendum idolum Bel invitatus, spondet, se demonstraturum esse, idolum non consumere cibos, qui quotidie largiter ei apponebantur. Itaque cibis appositis jubet omnes e templo discedere, et pavimentum cineribus conspergit, quo facto, templum clauditur, et porta annulo regis signatur. Quum mane rex et Daniel templum, reseratis portis ingrediuntur, inveniunt quidem cibos absumtos, sed conspiciunt quoque in cineribus pavimenti vestigia sacerdotum, uxorum et liberorum, qui noctu, per occultam portam ingressi, cibos consumserant. Quare rex idolum Beli testaceum, auro obductum, confringi jubet. — Daniel, rursus a rege interpellatus, ut adoraret draconem, qui Babylone cultus fuit, reponit, se fore eum, qui inermis putativum hunc terribilem deum interficiat. Obtenta facultate, draconi cibum ex 30 minis picis, pinguedine

et pilis confectum praebet, quo devorato draco disruptus est. — His stragibus deorum editis, commota est plebs, et tumultibus regem adegit, ut Danielem traderet; qui a seditiosis in specum leonum conjectus, inter leones tamen salvus, sexta die cibum accipit per Habakukum, qui prandium messoribus portans, per angelum arreptis capillis, sublimis per aera fertur ad Danielem, ac eadem die et eadem ratione rursus transfertur in Judaeam. Rex tandem Danielem salvum, extrahi, et persecutores ejus leonibus objici jubet.

## §. 218. Difficultates in historia de Belo et dracone.

Praecipuae sunt I. Hieronymus Praef. in Dan. scribit, memoratum praeceptorem Judaeorum, de hac narratione dixisse: »quod miraculum divinaeque aspi»rationis indicium, vel draconem interfectum offa picis, »vel sacerdotum Belis machinas deprehensas, quae ma»gis prudentia solertis viri, quam prophetali essent spi»ritu perpetrata? Cum vero ad Habakukum venit, et de »Judaea in Chaldaeam raptum discophorum lectitaret, »quaerebat exemplum, ubi legissemus in toto veteri tes»tamento, quemquam Sanctorum gravi corpore volasse, »et in puncto horae tanta terrarum spatia transiisse; cui »quum quidam e nostris, satis ad loquendum promtus, »Ezechielem adduxisset in medium, et diceret, eum »e Chaldaea in Judaeam fuisse translatum, derisit homi»nem, et ex ipso volumine demonstravit, Ezechielem »in spiritu se vidisse transpositum. Denique et Apostolum nostrum, videlicet ut virum eruditum, et qui legem ab Hebraeis didicisset, non ausum affirmare, se »raptum in corpore, sed dixisse: sive in corpore, »sive extra corpus, nescio, Deus scit.« II. Daniel nominatur sacerdos 14, 1. III. Mandatum regis Beli idolum conterendi, IV. Babylonii colunt draconem. — His difficultatibus occurrimus sequentibus, et quidem Imae: Responsum, quod dedit Abdias Eliae 1 Reg. 18,

11 docet, tales translationes hominum per aërem non fuisse inauditas, et Act. 8, 39. 40 legitur Philippum per aërem delatum fuisse. Miraculum quidem maximum est, sed erat necessarium ad confirmandos Hebraeos in cultu unius veri Dei, et ad demonstrandam inanitatem et impotentiam idolorum aptissimum. Judaeus igitur cum Hieronymo loquens sufficientem causam cavillandi non habuit. — Caeterum Habakuk propheta in hac historia occurrens distinguendus est ab eo, cujus prophetiae in Bibliis continentur. — IIdae In documento originali fuerit כהן, quod proprie ministrum significat, ordinarie vero de sacerdotibus usurpatur; hinc interpres graecus tritam arripuerit significationem. — IIItiae Cum Daniel regem publice convicisset, cibos appositos non idolum, sed sacerdotes comedere, debuit rex insigne severitatis exemplum edere, atque idolum destruere. IVtae Draco, seu serpens apud Persas erat imago Ahrimanii, mali principii, et in cultu Orzmudi variae imprecationes adversus Ahrimanium, ejusque cultores proferebantur. Oportet ergo in Persia, regionibusque vicinis fuisse adoratores Ahrimanii sub symbolo draconis. Cum draco vivus Babyloniorum Ahrimanium repraesentans, verisimiliter nonnisi a plebe adoratus fuerit, rex perspectis fraudibus sacerdotum Beli, facile Danieli permisit, ut hunc draconem, si posset, interimeret. — Cf. Sandbichler l. c. p. 404 sqq. Dereser commentar. in Danielem. Tobenz l. c. Part. I.

## §. 219. Lingua et versiones historiae de Belo et dracone.

Documenta, ex quibus historia haec hausta est a Daniele hebraica aut chaldaica lingua sine dubio exarata erant; prout nunc autem ea in Bibliis habemus, videntur lingua graeca exarata fuisse.

Vulgata hujus historiae versio Latina ex textu Theodotionis translata est ab Hieronymo. — Versio Sy-

riaca et Arabica, in polyglotis Londinensibus excusa, ex textu quoque Theodotionis manavit; textus Alexandrinus exhibetur in versione Danielis Syriaca Hexaplari, quam D. Bugati 1788. Mediolani edidit. Conf. P. I. hujus Introd. §. 51.

### §. 220. Auctoritas canonica partium deuterocanon. Danielis.

I Continebantur in versione Alexandrina II. Allegantur ut S. Scriptura ab Irenaeo contra haer. IV, 5. 26. Clemente Alex. Strom. IV, 19. Tertulliano de jejun. c. 7 de coron. mil. c. 4, Origene Hom. 1 in Levit. Cypriano epist. 40, 56, libr. de opere, et elecmos., libr. de orat. domin., et Serm. de laps., Hippolyto Comment. in Dan. XIV, XVI, Eusebio H. E. VI, 23. Ephrem Syr. Paraen. 45. etc. III. Ecclesia graeca non obstante schismate has partes ceu divinam Scripturam veneratur. IV Concilium Trident. Sess. IV sententiae antiquissimorum P. P. insistens has partes divinitus inspiratus esse declaravit.

---

# Caput tertium.

## De deuterocanonicis partibus libri Esther.

### §. 221. Argumentum.

Liber Esther in versione Alexandrina habet plura, quae in textu Hebraeo desunt, et in nostra Vulgata in fine 10, 4—16, 24. adjecta leguntur. Referemus illa, prout in versione Alexandrina habentur, et loca indicabimus, quae in nostra Vulgata occupant. I. Librum inchoat (Vulg. 11, 1—10. et 12, 1—6.) somnium Mor-

dechaei de duobus colluctantibus draconibus, quibus Mordechaeus et Haman praesignantur. Commemoratur quoque detecta per Mordechaeum conjuratio eunuchorum, quae etiam c. 2. legitur. II. Mandatum regis de Judaeis interficiendis et spoliandis, 3, 13. (Vulg. 13, 1—7.) III. Orationes Mordechaei et Estheris, 4, 17. (Vulg. 13, 8—14, 9.) IV. Estheris introitus ad regem, 5, 1. (Vulg. 15, 4—19.) V. Mandatum regis ad liberationem Judaeorum, 8, 13. (Vulg. 16, 1—25.) VI. Annotatio, Mordechaeum intellexisse nunc supra memoratum somnium, atque subscriptio, epistolam de festo Phurim per Dositheum sub Ptolemaeo et Cleopatra in Aegyptum allatum fuisse, 10, 3. (Vulg. 10. 3.) Caeterum partes hae deuterocanonicae tanti sunt momenti, ut pars protocanonica sine eis in multis esset obscura.

## §. 222. Auctor, et lingua harum partium.

Diversos esse auctores harum partium ab eo, qui priora nostri libri capita exaravit, quae hebraice nobis conservata sunt, certum est, nam I in prioribus, et posterioribus partibus habetur binis vicibus relatio genealogiae Mordechaei, et translatio illius Babylonem cum Jechonia c. 2, 5, c. 7, 2. Binis vicibus narratio conspirationis eunuchorum contra vitam regis c. 2, 21—23 et c. 12, 1—4. Binis vicibus commemoratio ingressus Estheris ad regem c. 5, 1—4, et c. 15, 4—19. II. Non invenitur subinde nexus inter has partes, et hebraicum textum. III. Deprehenduntur non paucae apparentes antilogiae (quas D e r e s e s l. c. comment. et prolog. in Estheris librum solide conciliavit). IV. Diversa utrobique scribendi ratio observatur. Quum enim in prioribus capitibus nomen Dei nunquam legatur, in posterioribus saepe numero recurrit.

Lingua hebraica haec postrema 7 capita Estheris exarata sunt, nam I. In versione Theodotionis ex he-

braico adornata, continebantur teste Origene in epist. ad Afric. II. Hebraismi in illis continentur haud pauci. — Quod tamen attinet duas Artaxerxis epistolas c. 13, 1—7 et c. 16 facile damus, eas ex hebraico versas non esse, sed ipsum nostrum textum graecum originale esse. Nullum enim in eis versionis vestigium deprehenditur, et stilus graecum originale prodit. Id vero non impedit, quo minus, ut tales etiam qua primitivae Artaxerxis epistolae recipiendae sint. Cum enim hae litterae conceptae fuerint, ut quaeque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum c. 3, 12; ambo haec rescripta regia in lingua quoque graeca ad quosdam provincias Persici regni graeca lingua patria utentes missa fuerint. Unde deinde in nostram versionem graecam harum partium postremarum migrasse credibile est. Dereser l. c., Tobenz l. c. P. I. p. 308. sqq.

## §. 223. Versiones horum fragmentorum.

Latina versio est Hieronymo antiquior; hinc hae partes in vulgata in fine libri positae sunt, quia Hieronymus textum Hebraeum secutus est. — Versio Arabica imperfecta, et Syriaca, habetur in polyglottis Londinensibus. — Chaldaica versio, supra memorata, jam fusior, jam succinctior est, quam textus Graecus; edita fuit ab Evodio Assemani in Bibliotheca Vaticana, ex qua eam de Rossi Specim. Var. Lect. V. T. desumsit.

## §. 224. Auctoritas canonica harum partium.

I. Exstiterunt in versione Alexandrina, ut disserte testatur Origenes epist. ad Afric. II. Nullus antiquorum excepto Hieronymo, nullus Canonum distinctionis priorum et posteriorum capitum meminere. Ut S. Scripturam allegant Basilius lib. II. contra Eunom. Chrysostomus Hom. 3 ad popul. Antioch. Augustinus lib. de grat. et lib. arbitr. c. 31. III. A saeculo quinto

hae partes ab universa Ecclesia adoptatae sunt, consentiente ecclesia graeca non unita. IV. Concilium Trident. in decreto de canon. Scripturis Sess. IV. canonicas, et divinas has partes declaravit. Cf. Dereser l. c.

---

# Caput quartum.

## De libro Tobiae.

### §. 225. Argumentum.

Liber Tobiae exhibet narrationem ex captivitate Assyriaca de patre Tobit (juxta Vulg. Tobia), et filio Tobia. Capita praecipua sunt. Tobit ex tribu Naphtali, ex urbe Thisbe vel Thesbe in Galilaea oriundus, post eversionem Samariae a Salmanassare in Assyriam deportatus, in urbe Nineve αγοραςης seu mercator regis factus, legi Mosaicae constanter adhaerebat, beneficus erat in pauperes Israelitas, atque interfectos quoque, qui extra moenia projiciebantur, clam sepeliebat. In itinere quopiam 10 talenta argenti apud Gabaelem in Rage, civitate Mediae, deposuit. Sub Sancheribo munere motus, non destitit, clam sepelire Israelitas, quos Sancheribus post cladem, quam in Judaea perpessus est, interficiebat. Proditus tandem, fuga quidem sibi consuluit, sed omnibus suis facultatibus spoliatus est, 1, 1—20. Sancheribo paulo post a filiis occiso, Tobit per propinquum suum Achiacharon, qui ad sublimem dignitatem evectus fuit, impetravit ab Assarhadone licentiam Nineven redeundi, et pergebat interfectos Israelitas sepelire. Quum festo Pentecostis noctu Israelitam humasset, et funere contaminatus, in area domus penes murum decubuisset, excrementa hirundinum, quae ad murum nidificarant, in oculos delapsa sunt, et glaucoma, seu tenuem pelliculam pupillis induxerunt, quae pium

senem caro oculorum lumine privavit, 2, 21—2, 14. Hanc calamitatem patienter tolerabat, et primum ab Achiacharon, donec in Elymaidem proficisceretur, sustentabatur, postea vero ex mercede, quam uxor pro labore recipiebat, victitabat. Quum autem uxor quondam praeter mercedem, dono accepisset hircum, Tobit mutientem audiens, et furto ablatum ratus, restitutionem vehementius urgebat; quare uxor impatientior, exprobabat ei non modo iniquam hanc suspicionem, sed etiam priorem beneficentiam, quam licet coluit, excoecatus tamen esset; id aegerrime tulit senex, et Deum imploravit, ut finem vitae suae faceret, 3, 1—6. — Eadem die Sarra, filia Raguelis, cognati Tobit, ab ancillis arguebatur, septem viros, quos Asmodaeus apud eam nocte nuptiarum interfecerat, ab ea trucidatos fuisse; id in tantam consternationem conjecit puellam, ut a Deo mortem exoraret, 3, 7—14. — Tobit vero, sperans vitae suae finem, Tobiam filium salutaribus monitis instruit, et, ut illa 10 talenta reciperet, in civitatem Rages ablegat. Invento comite, qui, se Azariam esse filium senioris Ananiae, dicebat, viam init, c. 4—5. — Confecto primo diei itinere, vespere in Tigride balneantem Tobiam aggreditur piscis praegrandis, quem monitu comitis Azariae apprehendit, ex aqua extrahit, exenterat, atque auctore Azaria, cor, fel et hepar, utpote utilia medicamenta, aufert, 6, 1—9. — Cum appropinquarent ad Ecbatana, Azarias suadet Tobiae, ut supra memoratam Sarram, ditissimi Raguelis filiam, uxorem duceret, et Tobias, ab Azaria edoctus, Asmodaeum, qui Sarrae septem sponsos priores occiderat, potestatem non habere in eos, qui desiderio liberorum nuberent, et hunc daemonum principem per fumum cordis et hepatis illius piscis fugari, obsequitur 6, 10—17. Matrimonium contrahitur c. 7, et Tobias prima nocte accendit cor et hepar piscis, cujus fumo Asmodaeus fugatur, et ne reverti posset, ab an-

gelo in deserto superioris Aegypti vinculis alligatur. Tobias dein preces ad Deum fundit, quibus finem matrimonii exponit c. 8. Comes Azarias interim solus in civitatem Rages profectus, illa 10 talenta adfert, et Gabaëlem quoque adducit ad nuptias, quibus absolutis, cum uxore Sarra, quae dimidium facultatum patris in dotem secum fert, ad parentes, de filio jam sollicitos, revertuntur, atque Tobias, ut Azarias monuerat, felle piscis illinit oculos patris, et visum ei restituit, c. 9 — c. 11. — Quum Tobit et Tobias tandem Azariae mercedem offerent, 5 talenta de recepta a Gabaele pecunia, ille aperit, se angelum esse Raphaëlem, unum de septem spiritibus, qui coram Deo assistunt, seu ministrant, et orationes hominum offerunt. Obstupefactis animos addit angelus, et disparet; Tobit vero Deo gratias agit, c. 12 — c. 13. — Adjicitur, patrem Tobit aetatis annum 158 (juxta Vulg. 102.), et filium Tobiam annum 127 (juxta Vulg. 99.) attigisse, c. 14.

## §. 226. Difficultates libri Tobiae.

Difficultates praecipuae, quae in hac narratione occurrunt, sunt: I. Septem angeli coram Deo consistentes, seu ministrantes, qui Deo orationes hominum offerunt. II. Angelus Raphaël, forma humana indutus, se Israelitam esse mentitur, et longum iter conficit. III. Seni Tobit excrementa hirundinum in ambos oculos simul incidunt, et excoecato per fel piscis visus restituitur. IV. Tobit et Sarra eodem tempore injuste arguuntur, eodem tempore exorant a Deo mortem, et eodem tempore obtinent per angelum Raphaëlem auxilium; tot simultanea non sapiunt historiam. V. Civitas Rages, vel Ragia in Media, juxta Strabonem p. 524., a Seleuco Nicatore (post annum 300 ante Christum) condita fuit, quae juxta librum nostrum jam 700 annis ante Chr. exstitisset. Rage ab Arriano in Exped. Alexandri L. III. c. 20. commemorata, non dicitur urbs,

sed $\chi\omega\varrho o\varsigma$, locus, vel regio, et fortasse Arrianus nomen praeoccupavit. VI. Tobit dicitur per Salmanassarem deportatus, quum tribus Naphtali jam a Thiglaphilesere deportata fuerit, nisi fortasse placuerit, Tobit id temporis Samariam commigrasse. Tobit et Tobiae aetas quoque justo major est, sed haec fortasse erroribus librariorum tribui posset; versio enim Vulgata minores numeros exhibet.

## §. 227. Solutio difficultatum Tobiae.

His difficultatibus moti interpretes plures ex recentioribus narrationem censent esse parabolam, qua doceatur, preces proborum calamitatibus conflictantium a Deo exaudiri, quod et Raphael 12, 15 disertis verbis edicit. — In hanc sententiam si quis descenderet, monente Tobenz l. c. Part. II. p. 42. »fidem non infirmaret. Nam et Christus in Evangelio multas parabolas proposuit.« Tamen ad solvendas difficultates hac forsan violenta sententia opus non est; commode alio modo solvi possunt, statuendo nempe narrationis praecipua capita veritate historica niti, reliqua a Scriptore S. ornatus causa addita fuisse. Cf. §. 181. His praemissis ad singulas difficultates respondemus, ad I. Septem angeli idem est ac plures angeli, ut ex usu numeri septenarii in aliis locis apparet. Prov. 24, 16. 26, 25. Jes. 4, 1. Jerem. 15, 9. coll. cum 1 Sam. 2, 5. Matth. 12, 45. Luc. 8, 2. Si dicuntur offerre Deo orationes hominum, significatur, eos reliquis angelis excellentiores esse, et pro hominibus apud Deum intercedere. Ad II. Angeli humana forma induti more hominum agunt, ut ex pluribus aliis S. Scripturae locis palam est. Hinc cum angelus Raphael in Tobiae junioris bonum personam Azariae, Ananiae filii, assumta ejus forma, exterius prae se ferret, potuit se dicere c. 5, 18 Azariam, c. 5, 7. de filiis Israel etc. Praeterea monente Sandbichlero l. c. p. 359 in nominibus: Ana-

nia, Azaria, et in responso Angeli latet sensus mysticus, qui angelo Raphaeli optime convenit. Ad III. Potuit Tobias casu oculos aperire. Excrementa hirundinum vi acri, et maxime caustica praedita esse dicuntur, ita ut valde calida corneam oculorum adurere possent. Stercora vero oculis Tobiae illapsa admodum calida non fuerunt, sed inflammationem in oculis produxerunt, quae aucta glaucoma, seu tenuem pelliculam pupillis superinduxit, quare auctor libri Tobiae ait, e Tobiae oculis postea exiisse quasi membranam ovi cap. 11, 14. Hinc liquet, organum visus Tobiae sanum, sed pellicula solummodo obductum fuisse. Removenda tantummodo erat haec pellicula, quod testantibus medicis fel lucii, et nonnullorum aliorum piscium praestare potest. Cf. Ilgen. Die Geschichte Tobi's, p. LXVIII. sqq. Ad IV. Similitudo sortis Tobiae, et Sarrae, et auxilium ab angelo eodem tempore utrisque collatum commode referri posset ad ea, quibus substantia historiae Tobiae exornata fuit; quod si non placet, explicari potest ex singulari providentia divina, eo fine ut insignis pietas Tobiae, et Sarrae declararetur. Ad V. Urbs jam pridem extans, quae a principe ampliata, ornata ac fere immutata fuit, ab isto principe condita esse, quandoque a scriptoribus dicitur; sic Babylonis exstructio tribuitur reginae Semiramidi, quae eam perfecit, ac insigniter ornavit. Cf. Dan. 4, 27. Cur igitur etiam civitas Rages 700 annis ante Christum extare, et 300 ante Chr. a Seleuco Nicatore perfecta, ampliata, et ornata, latiori sensu condita dici a Strabone non potuit? — Ad VI. Probandum esset, Tobiam cum sua familia tempore primae deportationis sub Thiglathphilesere in terra Naphthali fuisse, aut illum se huic deportationi per praeviam fugam non subduxisse.

## §. 228. Lingua aetas, et auctor libri Tobiae.

Utrum liber Tobiae scriptus sit, lingua Hebraica,

vel Chaldaica, aut Graeca, quaeritur inter eruditos. — Textus Hebraicus nec ab Hieronymo, neque ab Origene repertus est; neque argumentis internis, ex textu Alexandrino depromtis comprobari potest. Hieronymus quidem textum Chaldaicum habuit; ast illum non fuisse ex Graeco translatum, probari nequit. Auctor itaque Graece scripsisse videtur. — Qua praecise aetate liber scriptus sit, ex defectu historiae definiri non potest. Si originarie Graece scriptus est, vix ante annum 200, vel 150 ante Christum scriptus est. — Librum post Christum exaratum esse, nullo argumento probari potest; silentium enim Josephi et Philonis de Tobia nihil evincit; nam uterque scriptos silet quoque de Jesu filio Sirach. Accedit, Scriptores N. F. librum Tobiae legisse. cf. Apocal. 21, 18. cum Tob. 13, 21. 22. — Quis auctor sit, quoque ignoratur, quod vero auctoritatem libri infirmare non potest.

## §. 229. Versiones libri Tobiae.

Versio nostra Vulgata est Hieronymi, qui Praef. in Tob. scribit: »mirari non desino exactionis vestrae »instantiam; exigitis enim, ut librum Chaldaeo sermo»ne conscriptum ad Latinum stilum traham, librum uti»que Tobiae, quem Hebraei de catalogo divinarum »scripturarum secantes, his, quae hagiographa memo»rant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non »meo studio. Arguunt et nos Hebraeorum studia, et impu»tant nobis, contra suum Canonem Latinis auribus ista »transferre. Sed melius esse judicans, Pharisaeorum »displicere judicio, et episcoporum jussionibus »deservire, institi ut potui. Et quia vicina est Chal»daeorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguae »peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem »arripui, et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expres»sit, hoc ego accito notario sermonibus Latinis expo»sui« — Exstat et alia antiquior Latina versio,

quae ex textu Graeco traducta fuit, et a Sabbatier in Biblior. Sacr. Lat. versionibus antiquis 1751. edita est. — Versio Syriaca incertae aetatis, ex textu Graeco manavit, et in T. IV. polyglottorum Londinensium legitur, in quibus expressae quoque sunt duae versiones Hebraicae non magnae antiquitatis, quarum prima ex textu Graeco, a Paulo Fagio primum sententiis Ben Sirae 1542. adjecta, et Constantinopoli 1617. edita est; altera, quae a Sebast. Münstero 1542. edita fuit, videtur ex versione Latina manasse. — Omnes hae versiones in multis dissentiunt, quod, an ab interpretibus, an vero a librariis repetendum sit, difficile dictu est.

## §. 230. Auctoritas canonica libri Tobiae.

I. Continetur liber Tobiae in versione Alexandrina II. Posteriores Scriptores Sacri eo ceu libro divino utuntur cf. Tob. 4, 16. cum Matth. 7, 12. Luc. 6, 31. Tob. 13, 21. 22. cum Apocal. 21, 18. III. Allegant eum ceu Scripturam Sacram antiquissimi P. P. Polycarpus in epist. Irenaeus adv. haeres. I, 30. Clemens Alex. Srom. II. n. 23 et VI. n. 12. Origenes epist. ad Afric. libr. 5. contra Cels. n. 19., tract. de orat. n. 11., Cyprianus Testim. I. 20. III., 1. 6. 62. De orat. domin., libr. de Mortal., libr. de opere, et eleemos. Constitutiones sic dictae Apostolicae Lib. I. c. 1., Athanasius apologia 2da, Hilarius Comment. in ps. 129, prologo in Ps. n. 15. etc. IV. Ecclesia graeca schismate non impediente, inter divinos libros eum constanter refert. V. Demum in Concil. Trident. canonicus et divinus liber Tobiae declaratus est. Sess. IV.

# Caput quintum.

## De libro Judith.

### §. 231. Argumentum.

Nabuchodonosor, rex Nineves, 12mo anno regni, in limitibus Ragau bello lacessitus ab Arphaxad, rege Mediae et conditore Ecbanatorum, obtinuit a populis finitimis quasdam copias auxiliares; misit autem ad alios quoque longius dissitos; sed hi omnes legatos sine contestatione honoris dimiserunt; quare Nabuchodonosor his gentibus excidium decrevit, atque devicto et interfecto Arphaxad, misit Holofernem cum ingenti exercitu, qui his gentibus, immanes clades importavit. His territi incolae littorum maris, se sponte subjecerunt, in quorum urbibus nihilominus Holofernes omnia depopulatus est, atque lucos incendit, et idola confregit, ut Nabuchodonosor solus adoraretur deus. Castra dein metatus in planitie Esdrelom, mense integro quievit C. 1 — 3. — Judaei autem, qui paulo ante ex captivitate reversi sunt, bellum parabant. Summus sacerdos Joakim scripsit civibus urbium Bethyluae (juxta Vulgatam Bethuliaė) et Baithomestain, quae ad Esdrelom sitae erant, ut aditus montium caute custodirent. Judaei interim omnes jejunabant, et Dei opem implorabant. C. 4. Holofernes insolitam audaciam miratus, quaerit ex ducibus, quaenam esset haec gens. Achior, dux Ammonitarum, respondens, brevem texit historiam Hebraeorum, ex qua ostendit, Hebraeos, si Deo suo fideles essent, invincibiles esse, et dissuadet praelium nisi cognitum fuerit, eos a Deo suo descivisse. C. 5.

Holofernes autem importune consulentem jubet tradi civibus Bethyluae, eandem cum eis sortem subiturum. C. 6. — Occupatis postera die aditibus montium Bethyluae, aquas intercipit, ut urbem siti ad deditionem cogeret. Post dies 34 incolae eo redacti erant, ut deditionem meditarentur, nisi intra 5 dies auxilium contingeret. C. 7. Hoc audito Judith, dives et formosa vidua, vocat praefectum et senatores urbis, et, exprobrato deditionis consilio, petit, ut sibi sub vesperam porta aperiatur, quo concesso splendidissime vestita cum ancilla sua Abra seu Habra, quae commeatum portabat, exit, transfugam simulans, ad Holofernem venit, et indicat, Hebraeos Deo suo fideles vinci quidem non posse, sed eos nunc decimas, sacerdotibus Dei sacras in usum suum conversuros, et ita in Deum esse peccaturos; quare ipsa, exitium praevidens, urbem reliquerit; se, adjicit, mansuram hic in castris; si sibi concederetur, noctu egredi, ut preces ad Deum coeli funderet, et tandem indicaturam tempus, quo, a Deo desciscentes Hebraei, vinci possent, et se fore ductricem usque Jerosolyma. C. 7 — C. 11. Haec placent Holoferni, et Judith bene habetur. Ast die quarta, sola post convivium apud Holofernem ebrium relicta, dormienti caput abscindit, Habrae ancillae in pera portandum tradit; more solito, Deum precatura, castra egreditur, et in civitatem Bethyluam redit, ubi caput Holofernis conspectui magistratus et populi exponit. Mane erumpunt obsessi, et hostes, duce orbatos, dispergunt. Sequitur laetitia omnium Judaeorum et epinicium Judith C. 12 — C. 16.

## §. 232. Difficultates libri Judith.

**Calmetus** in diction. bibl. art. Judith scribit »Maxima difficultas, quae adversus librum Judith movetur, consistit in assignando tempore quo historia, quam liber exponit contigerit. Textus graecus et syria-

cus probare videntur, illam evenisse post captivitatem babylonicam, textus latinus Vulgatae explicari potest de tempore quod captivitatem praecessit.« — Interpretes in duas abeunt sententias, quarum una nostram historiam in tempora, post captivitatem, altera in tempora ante captivitatem collocat. Primam, quod attinet nullum temporis spatium est post reditum ex exilio Babylonico, in quod hanc historiam colloces, nam Hebraei 207 annis erant subditi Persarum, demum Alexandri, Ptolomaeorum Aegypti regum, et tandem regum Syriae, donec libertatem suam recuperassent. — Secunda sententia quae historiam Judith collocat ante captivitatem, omnino praeferenda; ei tamen obstare videtur, quod 4, 3. 5, 18—19 et in Vulg. 5, 22. 23 reditus ex exilio disertis verbis commemoratur. Addunt adversarii: nec cum aetate ante exilium conciliari potest silentium de rege Hebraeorum et administratio reipublicae per summum sacerdotem et seniores; neque dici potest, regem Manassen captum fuisse Babylone nam ea aetate nec Arphaxad rex Mediae neque Nabuchodonosor erat, neque Ninive, quam Nabopolassar, pater Nabuchodonosoris evertit; dici etiam ea aetate non potuit, quod dicit Judith, nullum e populo colere idola, neque dux Nabuchodonosoris, qui Judaeos deportavit, potuit invenire Judaeos in Palaestina, neque eos ignorare. —

## §. 233. Solutio difficultatum libri Judith.

Has difficultates solvendi optimum medium multi post Hug. Grotium esse contendunt; statuere argumentum libri esse parabolam, quae doceat, Hebraeos, quamdiu Deo suo fideles sunt, etiam in summo rerum discrimine salutem expectare posse. — Hanc vero sententiam quamvis auctoritatem divinam libri non tollit cf. §. 227, tamen merito rejicit Dr. Ant. Thad. Dereser in proleg. ad libr. Judith in opere: Die heil. Schrift des

A. T. P. 2da T. III. fasc. 1. Francof. ad Moen. 1803, quia narratio omnibus verae historiae notis praedita est; nomina personarum, regionum, urbium, accuratae definitiones temporum cum hypothesi, librum parabolam continere, conciliari non possunt, accedit festum in memoriam hujus rei institutum fuisse; insuper genealogia Judith 8, 1. in parabola supervacanea esset. Si accurate definiri posset, qua aetate, et a quo auctore liber scriptus sit, facilius difficultates occurrentes solverentur. Occurrunt, aliqua, quae pro recentiori aetate, et auctore facere videntur, 1) προσαββατον, et προνουμηνιον c. 8, 6 sunt forsan recentiora instituta. 2) Allocutiones Judithae c. 8 et 11, et Achioris c. 5 aetatem arguere videntur, qua Hebraei litteras graecas noverunt. 3) Achiorem circumcisum fuisse, non quidem repugnat aevo antiquiori, at recentiori magis convenit. — His omnibus perpensis vera sententia videtur Sandbichlero l. c. p. 370 librum ab auctore recentiori ex antiquis documentis, additis orationibus, et reliquis recentius tempus prodentibus, adornatum fuisse; cum per hanc sententiam divina auctoris inspiratio nullo modo pereat. — Cf. §. 181, et 227, ac Tobenz l. c. Part. I. p. 162. Ex hac sententia igitur objectionibus praecipuis respondet. I. Rex Assyriae Nabuchodonosor vocatus, est probabilius Assarhadon, cum recentiores Judaei omnes potentes reges nomine hoc insigniunt, sic Nabopolassar pater Nabuchodonosoris vocatur Tob. cap. ult. Nabuchodonosor II. Arphaxad est Phraortes Herodoti, qui etiam Aphraates vocabatur. Nam facta similia sunt. In libro Judith Arphaxad (apud Vulg.) subjugaverat multas gentes, (apud Graec.) habebat magnos exercitus; in Herodoto Phraortes domitis Persis subjecit multas nationes, et omnem fere Asiam possedit. In libro Judith rex Ninives regem Medorum oppugnat cum magno exercitu, atque eum in praelio superat, et interficit; in Herodoto Phraortes cum ad Assyrios, qui Niniven tenebant, venisset, victus est

et cum suo exercitu periit. In libro Judith multae nationes spernunt legatos Assyrii regis, eique auxilia denegant: in Herodoto contemnuntur Assyrii ab iis gentibus, quibuscum antea in societate armorum erant. III. Quae captivitas intelligenda sit c. 4, 3. patet ex sequentibus, cum nempe Assyrii regem Manassen captivum duxerunt Babylonem cum aliis; multi jam Judaei fugerant Assyrios victores; qui cum viderent bellum cessasse, postquam rex abductus est, in patriam suam rediere. IV. Administratio reipublicae per summum sacerdotem et seniores sponte sequitur ex absentia regis. V. Quod c. 8, 18. 19. Judith dicit, neminem in populo idola colere, intelligendum est de incolis Bethuliae, vel id, quod inter suos concives obtinebat, de reliquis quoque Judaeis credidit. Sane ex quo abductus fuit rex Manasses, didicerant multi Judaeorum ab exemplo regis non colendos esse deos alienos. V. Holofernes Judaeos potuit invenire in Palaestina, quia non omnes abducti fuerunt: quod nec in ipsa captivitate Babylonica factum est. 2 Reg. 25, 22. Quod de Judaeis varia quaerit, ac si hanc gentem prorsus non nosceret, commode explicatur ex eo, quod omnia particulatim scire voluerit, et propterea sic interrogaverit, quasi omnia penitus ignorasset, ut de omnibus et singulis rebus fiat certior. — De reliquis difficultatibus minoris momenti vid. C. Fr. Houbigantium in notis crit. et prolegom. ad libr. Judith et Dr. A. Th. Dereser l. c. et Tobenz l. c. Parte I. p. 159—191.

## §. 234. Auctor, aetas, lingua libri Judith.

Auctor libri ignotus est, et si vera sunt, quae §. praec. ex Sandbichlero adduximus, videtur liber scriptus esse aetate Maccabaeorum lingua graeca; cum insuper dicat Origenes epist. ad Afric. de textu quopiam Hebraico nihil unquam auditum fuisse. Exemplar quidem Chaldaicum

habuit Hieronymus, ast non fuisse ex Graeco translatum, nullum praesto est argumentum, quod exceptionem non admitteret.

## §. 235. Versiones libri Judith.

Hieronymus Praef. in Judith scribit: »apud Hebraeos liber Judith inter hagiographa legitur, cujus »auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem »veniunt, minus idonea judicatur, Chaldaico tamen ser»mone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia »hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum »scripturarum legitur computasse, acquievi postulatio»ni vestrae; imo exactioni, et sepositis occupationibus, »quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiun»culam dedi, magis sensum e sensu quam ex verbo ver»bum transferens. Multorum codicum varietatem vitio»sissimam amputavi, sola ea, quae intelligentia integra »in verbis Chaldaeis invenire potui, Latinis expressi.« Haec versio est Vulgata nostra; quia Hieronymus, jam senex, Chaldaicam duntaxat aliquatenus didicit, ut ipse Praef. in Dan. fatetur: profecto interprete Judaeo usus est, vel Chaldaicum textum tantum hinc inde cum Graeco contulit. — Alia antiquior versio Latina ex textu Graeco, superest, ab eodem tamen passim recedens; unde illa vitiosissima varietas codicum confirmatur; quibusdam vero haec versio cum Hieronymi versione commixta fuisse videtur. — Versio Syriaca ignotae aetatis, textum Graecum pressius sequitur, ut dubium nullum sit, ejusdem filiam esse.

## §. 236. Auctoritas canonica libri Judith.

I. Continetur in versione Alexandrina II. Allegatur et ab antiquissimis P. P. ut S. Scriptura, a Clemente Rom. epist. 1. ad Cor. n. 55, a Clemente Alex.

Strom. libr. IV., ab Origene hom. 19. in Jerem., a Tertulliano libr. de Monogam. c. 17. ab Hilario Pict. comment. in Ps. 125. n. 6., a Sulpicio Severo hist. sacra L. 2. c. 14. ab Hieronymo epist. ad Princip. »Ruth, Esther, et Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina dederint« etc. etc. III. Ecclesia Graeca schismate non obstante librum Judith sacrum veneratur. IV. A Conc. Trident. divinus declaratus est.

# Caput sextum.

## De libro Ecclesiastici seu Jesu filii Sirach.

### §. 237. Aetas Jesu, filii Sirach.

Quis fuerit Jesus, filius Sirach, nullis argumentis idoneis definiri potest; qua vero aetate vixerit, ex aetate interpretis Graeci, qui in Praefatione se ejus nepotem profitetur, colligitur; nam refert, se anno 38, avi sui librum Hebraicum transtulisse in Graecum, in Aegypto sub Ptolemaeo Evergete. Duo quidem Ptolomaei cognominati sunt Evergetes, quorum prior ab anno 246 usque ad 221., alter ab anno 145 usque ad 116 ante Chr., regnavit. Communis sententia fert, posteriorem, qui et Physcon atque Kakergetes dicebatur, innui, quia Jesus, filius Sirach laudat Simonem, ut existimant, IIdum, filium Oniae IIdi, ut Jesu scripserit vel sub, vel paulo post hunc Simonem II., qui 217 — 195 ante Chr. summo sacerdotio fungebatur; quare nepos sub Ptolemaeo Physcone vertere librum debuerit. Annus 38 est annus aetatis interpretis, non, ut multi putant, annus regni; nam Evergetes I. duntaxat 24, et Everge-

tes II. 29. annos regnavit. Ceterum aetati Simonis II. illa, quae Jesu hinc inde de sua sorte, et de vicissitudinibus, quas subiit, inspergit, quidem non repugnant; ast dubium movet, quae c. 50, 1—21. occurrit laus Simonis, tanquam viri solertissimi et gravissimi, qualis non fuit Simon II., sed Simon I., cognomine justus, celeberrimus, qui canonem clausisse fertur, et summo sacerdotio functus est ab anno 300 usque 292 ante Chr., ut Jesu, filius Sirach, intervallo illo temporis saltem ab anno 292 usque 280 librum suum ediderit. Huic aetati conveniunt non modo omnia, quae auctor de se et diversa fortuna sua attingit, sed etiam lingua Hebraea, qua usus est, et ignorantia, qnam prodit rerum Graecarum. Nepos itaque librum in idioma Graecum transtulit sub Ptolemaeo Evergete I. 246—221,, quod temporis intervallum duabus generationibus, quae inter avum et nepotem intercesserunt, exacte respondet.

1. Altera praefatio, in polyglottis Complutensibus expressa, et a Linde in editione sententiarum Jesu Siracidae 1795. Gedani, repetita, videtur fragmentum esse synopsis Pseudo-Athanasii, nec aliud quidquam complectitur, nisi conjecturam de nomine interpretis, et indicium de argumento, quod in libro tractatur.
2. Ben Sirae, auctorem sententiarum Hebraicarum, quae a Fagio editae sunt, non esse nostrum Jesum filium Sirach, apparet ex diversitate stili et sententiarum, quae in nostro et in recentiori Ben Sirae libro interdum quidem eaedem, sed pleraeque aliae sunt.

## §. 238. Argumentum Ecclesiastici.

Siracides, Salomonis quidem proverbia imitatus, multo tamen plura complexus est, et quamlibet quoque materiam fusius tractat, quin tamen eam exhauriat. Ceterum hae sententiae, ut illae Salomonis, ab experientia petitae, non omnes sunt universales, sed multae id modo exprimunt, quod plerumque contingit.

Summam earum utilitatem indicat Apostolus Jacobus qui in epistola sua persaepe illis usus est. — Tres sunt libri partes: I. C. 1 — c. 43., commendatio sapientiae, et praecepta instituendae vitae pro omni hominum genere, sexu, aetate et conditione. De quibusdam objectis auctor saepius agit et nova praecepta addit; nam liber longiori temporis intervallo elucubratus est, quod ipse auctor 23, 16. vel 30, 16. fatetur. II. C. 44 — c. 50., laudatio patriarcharum et aliorum majorum celebrium. III. C. 51., oratio auctoris, et adhortatio ad sectandam sapientiam.

Qui Siracidem arguunt, de Messia mentionem non fecisse, non perpendunt, orationem 36, 13 — 17. pro eventu promissionum, et spem 48, 21 — 23. expositam, simul exspectationem Messiae complecti.

## §. 239. Versiones Ecclesiastici.

Textum Hebraeum Hieronymus, prout Praef. in libros Salomonis testatur, adhucdum vidit, et quidem parabolas, מְשָׁלִים, praenotatum, junctumque Ecclesiasti et Cantico. Dolendum est, ab Hieronymo non fuisse in Latinum translatum. Vulgata nostra antiquior est, et ex textu Graeco manavit, ab eodem tamen frequenter dissentit, et non solum additamenta quaepiam habet, sed illa quoque, quae 30, 25 — 33, 16. comprehensa sunt, post 33, 15. exhibet, unde alius prodit ordo capitum. — Textum Graecum esse versionem ex Hebraico, plura occurrunt indicia; quare et facillime Hebraice reddit potest. — Interpretem caput 51mum adjecisse, ut pseudo-Athanasius conjecit, verisimile non est. — Ceterum manuscripti Graeci codices multum inter se dissident, ut lectores vel librarii hinc inde quaepiam jam omisisse, jam adjecisse videantur. — Versio Syriaca in polyglottis Londinensibus, jam plus, jam minus, quam Graeca, exhibet, ex Graeco tamen descendere potest. Ast Bendtsen Exer-

citat. Critic. 1788., contendit, filiam esse textus Hebraici, idque varietatibus, quae nonnisi in lingua Hebraica oriri potuerint, comprobare studuit. — Non liquet. In codice Syriaco hexaplari, qui asservatur Mediolani, invenitur etiam Ecclesiasticus Syriacus, qui nondum examinatus est. — Arabica versio in polyglottis Londinensibus in lectionibus singularibus cum versione Syriaca facit, ejusque filia esse videtur.

## §. 240. Auctoritas canonica libri Ecclesiastici.

I. Continetur in versione Alexandrina II. Loca ex libro nostro ceu Scriptura S. allegant Clemens Alex. Paedag. I, 8, Origenes Homil. 9 in Ezech., Tertullianus de exhort. castit. c. 2, Cyprianus libr. de oper. et eleem. Optatus Milev. contra Parmenion. l. 3 Athanasius lib. de Virgin. Hilarius Pict. proleg. in Psalm., tract. in Ps. 140, Cyrillus Jeros. catech. 6. n. 4, Epiphanius in Ancorat. c. 12, Basilius in regul. brev. interr. 104, Gregorius Naz orat. 31, Hieronymus epist. 34 ad Julian. »Divina Scriptura loquitur: musica in luctu intempestiva narratio« (Eccles. 3, 22.) etc. etc. III. Scriptores N. F. saepius loca nostri libri respiciunt, ut patet ex collat. Eccles. 2, 18. cum Joan. 14, 23. Eccles. 29, 15. cum Luc. 16, 9. Eccles. 11, 10. cum 1 Tim. 6, 9. Eccles. 33, 13. cum Rom. 9, 21. Eccles. 11, 19. cum Luc. 12, 19. Eccles. 25, 11. cum Jac. 3, 2. Eccles. 35, 11. cum 2 Cor. 9, 7. IV. Ecclesia Graeca schismate non impediente librum nostrum divinum agnoscit. V. Demum Ecclesia in Conc. Trid. Sess. IV. eum canonicis, et divinis libris adnumeravit.

Teste Augustino lib. 2 de doctr. chr. c. 8. plures Patres nostrum librum sub nomine Salomonis allegant, non quasi Salomonis esset, sed ob similitudinem quandam cum libris Salomonis.

# Caput septimum.

## De libro sapientiae.

### §. 241. Argumentum.

Quemadmodum Jesu Sirach Proverbia Salomonis, ita auctor libri sapientiae Ecclesiasten, quodam modo imitatus est; hinc etiam Salomonem loquentem induxit. Liber duas partes complectitur. I. C. 1, 1 — c. 9. commendatur sapientia omnibus, et inprimis regibus, ut eam sibi eo diligentius comparare studeant, quo facilius inveniri potest, et amatores suos largius remunerat; quodsi fortasse in praesenti vita adversis premantur, in futuro tamen seculo beatos reddit, quum e contrario insipientes et improbi modo miseri sunt, in vita futura multo miseriores futuri. Distingui in hac parte possunt sectiones tres; nam c. 1 — c. 6. sapientia et insipientia cum consectariis suis sistitur; c. 7 — c. 8. Salomo narrat, quibus mediis sapientiam quaesiverit et invenerit; atque c. 9. oratio Salomonis pro obtinenda sapientia refertur. II. C. 10 — c. 19. exemplis historicis ostenditur felicitas, quam sapientia largitur, et miseria, in quam conjicit insipientia, inprimis idololatria. In hac parte duae sectiones distingui possunt, videlicet: c. 10 — 12. exempla sapientium et insipientium, et c. 13 — 19. observationes diversae, quibus studium sapientiae laudatur.

### §. 242. Lingua libri sapientiae.

Liber primum Graece scriptus est; nam stilus, ut jam Hieronymus Praef. in libros Salom. observa-

vit, Graecam eloquentiam redolet. Hebraica, quae hinc inde obvia sunt, non evincunt, nisi librum profectum esse a quopiam Hebraeorum, qui Graecam vix unquam puram scribebant. Lectiones, quae linguae Hebraicae ortum debeant, a Faber Programm 5—8. in L. Sap. productae, commodius aliunde explicantur. Textus Hebraicus, quem R. Mose Ben Nachman vidit, non erat nisi versio Syriaca characteribus Hebraicis scripta.

## §. 243. Auctor et aetas libri sapientiae.

Lingua libri Graeca, et plura alia, quae occurrunt, recentiora, manifeste ostendunt, opus esse non modo Salomone, cui inscribitur, sed etiam Zerubabele, quem Faber in octo programm. 1776—1787. auctorem statuit, longe recentius, et Salomonem duntaxat loquentem induci. Auctor libri ignotus est. Hieronymus quidem Praef. in libros Salom. refert, nonnullos veterum affirmasse, Philonis Judaei esse foetum; ast, si Philonem, cujus opera supersunt, auctorem libri existimabant, profecto longe a vero aberrarunt; stilus enim Philonis non est; quodsi alium antiquiorem Judaeum Philonem cogitarunt, hic nobis prorsus ignotus est. — Etiam ad aetatem accurate definiendam, desunt argumenta; id solum patet, Hebraeos aevo auctoris philosophiam Graecam apprime novisse; liber igitur desinente secundo vel inchoante primo seculo ante Chr., scriptus esse videtur. Loca, quae regibus sapientiam suadent, et persecutiones filii vel amici Dei (populi Judaeorum) commemorant, videntur aetatem Antiochi Epiphanis innuere. — Qui librum in tempora post Christum removerunt, nihil protulerunt, quod refutationem mereatur. — Conjectura vero, librum a Christianis fuisse interpolatum, fere dogmatica est, quia gratis sumitur, talem a Judaeo doctrinam exspectandam non esse. — Quipiam secundam partem, c. 10—c. 19., tanquam opus singulare, ab alio, vel ab eodem

quidem auctore, sed ex juniori ejus aetate, derivarunt; ast sententiam argumentis comprobare non potuerunt, nec nexum c. 9. cum c. 10. observarunt. Discrepantia stili, quam urgent, ex substrata materia descendit, quae in secunda parte alia est. Nec veritate nititur, Salomonem in secunda parte non loqui; nam si id non annotatur, cogitandum est, neque in prima parte annotatum esse, nisi c. 9, 7—8. 13. Denique diversitas idearum, quae de utraque parte jactatur, nimis quaesita est, et refutatur per id, quod utraque pars quam plurimas ideas easdem exhibet, uti et singulare illud 18, 13. θεȣ υἱον λαον ειναι, manifeste respicit filium Dei, 2, 13. persecutionibus usque ad mortem exagitatum.

Si libri argumentum ex congregationibus eruditorum, quas Nachtigal sibi ubique videre videtur, derivatum esset, linguae character et stilus magis variaret, ne dicam, has congregationes esse fictas.

## §. 244. Versiores libri sapientiae.

Versio Latina Vulgata Hieronymo antiquior est, et textum Graecum verbotenus exprimit. — Arabica versio in polyglottis Londinensibus, ignotae aetatis, textum Graecum quoque presse sequitur. — Versio Syriaca in polyglottis Londinensibus, textum Graecum initio accuratius, deinceps vero negligentius exhibet. Lectiones, quas Faber ex Chaldaico derivavit, partim librariorum et typographi menda, partim paraphrases sunt, et partim commodius ex Graeco explicantur.

## §. 245. Auctoritas canonica libri Sapientiae.

I. In omnibus codicibus versionis Alexandriae liber Sapientiae continetur. II. E libris deuterocanonicis nullus est, qui saepius in N. F. usurpetur, quam liber Sapientiae et Ecclesiastici. Cf. Sap. 7, 26. cum Hebr. 1, 3. Sap. 15, 7. cum Rom. 9, 20. 21. Sap. 3, 7. cum Matth.

13, 43. Sap. 2, 18. cum Matth. 27, 43. Sap. 9, 13. cum Rom. 11, 34. Ad Sap. 5, 18—20. respexit apostolus Paulus Ephes. 6, 13. III. Patres omnium seculorum eum ut divinam allegant Scripturam, Tertullianus de Praescript. c. 7. Clemens Alex. Strom. 6. num. 16., Origenes libr. 7. in epist. ad Rom. n. 4. Cyprianus libr. de Mortal., Hippolytus demonstr. adv. Jud. Eusebius in Praepar. Evang. I, 9. Basilius hom. in princ. Prov. n. 4. Hilarius Pict. Tract. in ps. 127 n. 9, Epiphanius haer. 64 n. 54, Hieronymus Comment. in c. 1 Jeremiae. »Ne aetatem consideres, alio enim propheta loquente didicisti: cani hominis sapientia ejus (Sap. 4, 8.) etc. etc. IV. Ecclesia graeca, licet schismate ab Ecclesia latina divulsa, nostrum librum ceu divinum veneratur. V. Antiquissimam traditionem sequens Concilium Trident. retulit librum nostrum in canonem librorum divinitus inspiratorum Sess. IV. de canon. Script.

# Caput octavum.

## De duobus libris Maccabaeorum.

### §. 246. De nomine Maccabaeorum.

Ex 1 Macc. 2, 4. liquet, filios Mattathiae singulos propria habuisse cognomina, et Judam solum dictum fuisse τον μακκαβαιον. Hoc nomen deinceps ad omnes qui seculo secundo ante Chr., pro religione et civitate decertarunt, extensum est, atque hinc descendit inscriptio horum et aliorum quorumdam librorum. — Nomen derivatum quondam fuit a literis initialibus verborum מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהֹוָה, quis inter deos sicut tu Je-

hova? vel מִי כָאֵל בָּאֵלִים quis inter deos sicut Deus? quae vexillis Judaeorum, contra Syros pugnantium, intextae, et in unam vocem מכבי vel מכב contractae fuisse putabantur; ast si haec esset vocis origo, scribenda fuisset μαχαβαιοι, quae perpetuo scribitur μακκαβαιοι, ut a מַקָּבָה malleus, מַקָּבִי malleator, derivanda sit, quod cognomen, Judae, ut quondam Carolo Martello, a factis heroicis inditum fuit, uti etiam نَقَبَ non modo perforare murum, sed etiam est, principem vel praesidem populi esse, unde نَقِيبٌ est princeps populi. Id jam olim vidit Isidorus Pelusiota, qui μακκαβαιος cum Persico κοιρανος contulit, quod in Etymologico inedito explicatur per δεσποτης, dominus. Idipsum exprimit etiam inscriptio libri Hebraica aut Chaldaica, ab Origene apud Eusebium Hist. Eccl. VI. 25. allata: σαρβατ σαρβενε ελ, שַׂרְבַּת שַׂר בְּנֵי אֵל, historia principis filiorum (seu cultorum) Dei, ubi μακκαβαιος idem est ac princeps. Cf. Marchini l. c. p. 283.

Maccabaei a Josepho Archaeol. XII. 6, 1. dicuntur quoque Asmonaei vel Hasmonaei, probabilius a gentili nomine חַשְׁמוֹן; quipiam vero id derivant a חשם, quia Arabibus حَشِمٌ est multi famulitii vir, id vero a longe petitum esse videtur.

## §. 247. Argumentum libri primi Maccabaeorum.

Postquam Antiochus Epiphanes, qui anno 137 aerae Graecorum seu contractuum, (175 ante Chr.) regnum Syriae usurpasset, et anno 143 aerae contr. (169 ante Chr.) a secunda expeditione Aegyptiaca redux, Jerosolyma depraedatus esset, multosque Judaeos partim interfecisset, partim captivos abduxisset, templum quoque spoliasset et profanasset, atrociora molitus, anno

145 aerae contract. (167 ante Chr.) a quarta expeditione ex Aegypto redux, jussit, omnes Jerosolymorum cives interfici, moenia dirui, et castellum Sion muniri; imo omnibus regni sui incolis mandavit, ut religionem regis amplecterentur. In Judaeam venerunt praefecti regii, qui Judaeos ad colenda idola cogebant, et refractarios morte plectebant. — Quum praefectus regius venisset in urbem Modeim, restitit Mattathias, sacerdos classis 24tae, quae a Jojaribo denominabatur. Hic vir strenuus cum quinque filiis suis, congregavit Judaeos, in religione avita perseverantes, atque regionem pervagans, non modo apostatas Judaeos, sed etiam praefectos regios interficiebat, et omnes Judaeos provocabat ad vim vi repellendam. Eo mortuo anno 146 aerae contr. (166 ante Chr.) filius illius Judas Maccabaeus bellidux designatus est c. 1 — c. 2., qui cum paucis sociis ingentes Syrorum exercitus prosternebat. Ei in praelio anno 152 aer. contr. (160 ante Chr.) interfecto, 3, 1 — 8, 27. substituerunt Judaei fratrem ejus Jonathan, qui 14 annos hoc munere functus, tandem insidiis hostium succubuit, anno 170 aer. contr. (142 ante Chr.) 8, 28 — 12, 53. Huic successit Simon, primogenitus Mattathiae filius, qui paulo post a populo principatum et summum sacerdotium jure hereditario accepit, et postquam rem strenue gessisset, septimo principatus anno a genero suo Ptolomaeo subdole occisus est, anno 177 aer. contr. (135 ante Chr.) c. 13—16.

## §. 248. Aetas libri primi Maccabaeorum.

Ex annotatione 1 Macc. 16, 23. gesta Johannis Hyrcani, qui patri Simoni successit, annalibus inserta esse, recte colligitur, ultimis hujus principis annis, vel eo mortuo (anno 106. ante Chr.) librum nostrum scriptum esse. Recentiori aevo repugnat illa tenuis de Romanis notitia c. 8, quae ultimo ante Christum seculo Judaeis profecto multo amplior et accuratior erat. De

semetipso auctor nullum vestigium reliquit; cum autem excerpsisse annales coaevos, ex memorata annotatione de gestis Joh. Hyrcani, et ex observatione de gestis Judae 9, 21., quae non omnia scripta fuerint, liquet. Auctorem vero annales candide excerpsisse, ipsum libri argumentum docet.

## §. 249. Lingua libri primi Maccabaeorum.

Hieronymus Prolog. Galeat. scribit, se reperisse primum librum Maccabaeorum Hebraicum, et Origenes refert illam, §. 246. memoratam, inscriptionem libri Hebraicam, vel Chaldaicam. Accedit, textum Graecum non modo Hebraismis scatere, sed quosdam etiam exhibere errores versionis, et lectiones varias, quae originem ex textu Hebraeo produnt.

## §. 250. Versiones libri primi Maccabaeorum.

Cujus aetatis sit versio Graeca, ignotum est. Liber, cujus argumentum omnibus Judaeis adeo exoptatum erat, profecto non multo post in eam linguam translatus fuit, in qua a Judaeis quoque Hellenistis legi posset; dubitari itaque vix potest, ante principium ultimi ante Christum seculi versum fuisse. — Nostra Vulgata Hieronymo antiquior est, et ex textu Graeco manavit. — Versionem Syriacam esse filiam textus Hebraei, multis probavit Joh. D. Michaelis in notis ad suam hujus libri versionem Germanicam, cui D. Trendelenburg in Eichhornii Repertor, für Biblisch. und Morgenl. Literatur XV. Th. S. 58. ssq. quaepiam non contemnenda opposuit, ut ad litem decidendam alio subtiliori examine opus esse videatur.

## §. 251. Argumentum libri secundi Maccabaeorum.

Liber secundus Maccabaeorum tribus partibus constat, quae nulla inter se ratione cohaerent. I. C. 1, 1. usque ad dimidium versus 10mi, epistola populi Jero-

solymorum et Judaeae, ad Hellenistas in Aegypto, scripta anno 123 ante Chr., 188 aerae contractuum, certiores reddit Judaeos in Aegypto, jam 169 aerae contr. (143 ante Chr.) epistolam de calamitatibus exantlatis missam fuisse, nunc autem sacrificia esse restituta, et agi festum encaeniorum, quod Judaeis etiam Aegyptiis celebrandum innuitur. II. C. 1. a dimidio versus 10mi usque ad c. 2, 18., alia antiquior epistola incolarum Judaeae, seniorum et Judae Maccabaei ad sacerdotem Aristobulum, paedagogum regis Ptolemaei, et ad Judaeos Aegyptios. Ex mentione Judae Maccabaei liquet, scriptam fuisse ann. 163 — 159 ante Chr., 149 — 153. aerae contr. Nunciantur pericula, quae ab Antiocho Epiphane imminebant, ejusque mors, et monentur Judaei Aegyptii, ut festum encaeniorum et ignis sacri, 15 mensis Caslev celebrent. De hoc igne sacro, uti et de arca foederis, de sacro tabernaculo, et de aureo altari suffitus, quaepiam singularia narrantur. III. Sequitur 2, 19 — 32. praefatio libri, in qua auctor significat, se redacturum esse quinque Jasonis libros in compendium. Refert dein c. 4 — c. 5. facta quaepiam antiquiora, quae persecutionem Antiochi Epiphanis praepararunt. Demum narrat gesta ducis Judae Maccabaei, et claudit librum clade Nicanoris, quae etiam 1 Macc. 7. refertur.

Libri duo Maccabaeorum perpetuo conferendi sunt; se enim, invicem illustrant. Dissidium chronologiae utriusque libri, ex initio anni componendum est, quod in primo libro, ut apud Babylonios, ducitur ab Aprili anni 311 ante Chr., in secundo vero ab Octobri anni 312 ante Chr. Quae contra hanc rationem numerandi annos, opponuntur, soluta reperies in libro, cui titulus est, Auctoritas utriusque libri Maccabaeorum Viennae Austriae 1749. p. 129 — 146.

## §. 252. Difficultates libri secundi Maccabaeorum.

Liber supplet quaspiam lacunas historiae hujus aetatis, quae in primo libro Maccabaeorum relictae sunt;

verum difficultates varias, quibus fides auctoris imminuitur, adversarii invenisse sibi visi sunt. Praecipuas referemur. I. Varia et contradictoria relatio de morte Antiochi Epiphanis. In epistola secunda 2 Maccab. 1, 13 — 17 dicitur hunc regem in Perside in templo Naneae, quod spoliare meditabatur, a sacerdotibus lapidibus obrutum, et in frusta sectum esse; et 2 Maccab. 9 legitur Antiochum e Perside reducem, ab urbe Persepoli pulsum, vivum vermibus corrosum et peregre in montibus miserabili obitu vita functum fuisse. 1 Maccab. 6, 1 — 17. refertur, Antiochum obsidionem urbis Elymaidis in Perside solvere coactum, reversum esse Babylonem, eum in Perside audita clade exercitus sui in Judaea in extremam melancholiam lapsum, ibidem mortuum esse. — Verum relatio mortis Antiochi 2 Maccab. 1, 13 — 17 est in epistola Hebraeorum Judaeae, et non ipso libro auctoris. Judaei isti de morte Antiochi non bene instructi fuerant. Inde praejudicium contra inspirationem, et fidem auctoris libri nullo modo nascitur; imo probatur ejus fides, qui in epistola, in qua haec occurrunt, quid immutare religioni sibi duxit, et sicut invenit, libro suo praemisit. Inter 2 Maccab. 9. et 1 Maccab. 6 nulla est contradictio, nam utrobique dicitur, Antiochum mortuum esse in Perside quod est caput rei, et utrobique legitur, illum ante Persopoli pulsum fuisse; Elymais enim 1 Maccab. 6 est Persepolis. Auctor 1 Maccab. 6 omittit morbum Antiochi, et designationem loci ejus mortis. Morbum autem horribilem hujus regis 1 Maccab. 6 supponi, ex verbis et lamentis Antiochi satis colligitur. II. Prodigia et apparitiones 1, 32. 33. 3, 25 sqq. 5, 1 — 3. 10, 29. 30. 11, 8 sqq. 15, 11 seqq. — Ast si rationem habemus adjunctorum temporis, quo haec omnia facta sunt, facile finis Deo dignus perspici potest, ne dicam non majoribus difficultatibus premi haec prodigia, et apparitiones, quam alia plura miracula in

libris protocanonicis narrata. De singulis his miraculis solide egit Dr. Aloys. Sandbichler l. c. p. 426 — 433.

## §. 253. Auctor et aetas libri secundi Maccabaeorum.

Conjecturae de auctore libri adeo leves sunt, ut praestet, ignorantiam fateri. Aetas quoque difficultate laborat, quum auctor nequidem aetatem Jasonis retulerit; id tamen passim observatur, auctorem extra Syriam, et aliquo post haec gesta intervallo scripsisse; nec longe a vero aberrabimus, si eum ante dimidium seculi ultimi ante Christum scripsisse statuerimus.

## §. 254. Lingua et versiones libri secundi Maccabaeorum.

Hieronymus Prolog. Gal. observavit, secundum librum Maccabaeorum ab auctore Graece scriptum fuisse, quod, ut addit, ex ipsa quoque phrasi probari potest. Graecitas hujus libri purior, et hinc inde elegans est, ut Judaeus, qui librum exaravit, hujus linguae bene gnarus fuerit. — Versio Latina Vulgata est Hieronymo antiquior, ex textu Graeco liberius traducta. — Syriaca versio in polyglottis Londinensibus, ignotae aetatis, est filia textus Graeci, cui tamen non ubique fideliter adhaeret. — Liber Maccabaeorum Arabicus non est versio, sed alia prorsus narratio, ex nostris libris Maccabaeorum et Josepho Flavio, vel ex opere de Maccabaeis, quod Josephi operibus adjectum est, compilata. — An duo libri Maccabaeorum, qui apud Judaeos Sinenses reperti sunt, iidem sint cum nostris, incertum est; sunt, qui suspicantur, esse opus fabulosum, quod Judaei nostri in encaeniis legunt. Michaelis alte orient. Biblioth. V. Th. S. 80.

## §. 255. Auctoritas canonica duorum librorum Maccabaeorum.

I. Continentur in versione Alexandrina. II. Allegantur ut libri sacri ab Origene de princ. II., 1, a Cypriano epist. 55, a Tertulliano adv. Jud. c. 4, ab Hieronymo comment. in Isaiam Libr. V. c. 23. »Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egressus sit de terra Cethim (1 Maccab. 1, 1.)« etc. etc. III. Denique Conc. Trident. Patres perpetuam hac de re traditionem decreto suo certiorem reddiderunt. Nam antea ut caeteris deutero-canonicis accidit, sua quidem his libris erat auctoritas; sed declarationis Ecclesiae manifestius quoddam genus deesse videbatur, quod Catholicos omnes in una eademque sententia contineret.

Erasmus Fröhlich, quondam bibliothecae in Academia Theresiana Viennae praefectus, 1744 edidit Annales compendiarios regum et rerum Syriae, nummis veterum illustratos, quibus historiam Maccabaeorum et libros nostros egregie illustravit, atque chronologiam et certitudinem gestorum confirmavit. Impugnatus est ab Ern. Frid. Wernsdorf in Prolus. de fontibus historiae Syriae in libris Maccabaeorum, Lipsiae 1746., respondit Fröhlich libro: de fontibus historiae Syriae in libris Maccabaeorum prolusio, in examen vocata, Vindobonae 1746. Hoc examen impugnavit Gottl. Wernsdorf., frater prioris, in commentatione historico-critica de fide historica Maccabaeorum 1747., cui respondit Jesvita annonymus in libro: Authoritas utriusque libri Maccabaeorum canonico-historica adserta, Viennae 1749.

# Conspectus operis.

## Numerus indicat paragraphum.

Qui libri dicuntur vetus testamentum? unde desumtum nomen, et quid sibi vult? Quo sensu collectio horum librorum dicitur foedus? Quid nomina mikra? Lex? liber Legis? scriptura vel scripturae? scripturae sacrae? sacrae literae? Biblia? Lex et Prophetae? Lex, Prophetae et Psalmi, vel alii aut reliqui libri? 1. — Gravitas librorum V. F. ex testimonio Jesu, Apostolorum, Evangelistarum, et primitivae ecclesiae, nec non ex antiquitate et argumento, 2. Argumenti praecipua capita, doctrina de Deo et de homine, miracula et vaticinia singularia, historia, et singulare consilium divinum, 3. — Introductio in libros V. F., quid? quotuplex? an necessaria? 4. Quaepiam de ejusdem historia literaria, 5.

## Pars I.

Quid liber genuinus? suppositus? Cujus momenti est quaestio, an libri V. F. sint genuini? 6. Argumenta pro γνησιοτητι librorum, quotuplicia? quae externa? quae interna? 7. — Testimonium nationis,

quae potuit scire et voluit edicere veram originem librorum V. F.; traditio haec facile conservabatur; non erat ratio eam corrumpendi, sed ratio urgebat, eam sincere propagandi, et ratio adfuisset, dicendi, libros hos esse suppositos; haec traditio non potuit corrumpi; testimonium hoc non modo recentiorum sed antiquorum quoque est Hebraeorum, 8. — Argumenta interna quotuplicia? an utraque necessaria? An adsunt pro γνησιοτητι librorum V. F. argumenta interna negativa? Positiva: I. si libri ponantur ab uno, vel a pluribus simultaneis aut successivis impostoribus suppositi fuisse; II. si argumentum librorum conferatur cum consilio impostorum, gentem vel laudandi, vel carpendi, vel doctrina de vero Deo imbuendi, 9. Quibus argumentis probandum esset, libros V. F. esse spurios? 10.

Quid corruptio librorum? 11. Libros V. F. corruptos non fuisse, historia testatur, I. a Mose usque ad Samuelem; II. a Samuele usque ad Malachiam; III. post schisma 10 tribuum; IV. a dimidio seculi VIII. ante Chr.; V. a seculo IV. ante Christum; VI. a seculo III. ante Chr. usque ad recentiora tempora, 12. Corruptioni ante exilium Babylonium et post Christum, repugnat argumentum librorum; a reditu ex captivitate Babylonica usque ad Christum gens ipsa nequidem tentari poterat, ut libros corrumperet, 13. Quid reponendum Patribus ecclesiae, qui Judaeos corruptionis librorum accusant? An in hac accusatione consentiunt, Quid respondendum theologis scholasticis eandem accusationem repetentibus? An ecclesia huic accusationi unquam consensit? Exempla praecipua corruptionis recentiori aevo prolata, 14.

Quibus argumentis probatur, libros antiquos historicos esse fide dignos, et quosdam fide digniores? An haec pro libris Mosis, pro reliquis V. F. scrip-

toribus historicis, et pro prophetis faciunt? Quid ex concordia librorum V. F. cum profanis concluditur? 15.

Si libri V. F. sunt genuini, incorrupti et fide digni: vera complectuntur miracula, quae in Aegypto, ad finum Arabicum, et in Arabia petraea patrata sunt, 16.; vera quoque complectuntur vaticinia divina, uti de propagatione agnitionis unius veri Dei per Hebraeos, de primatu tribus Judae, de Messia ex hac tribu et ex familia Davidis oriundo, de captivitate Babylonica, de reditu, restauratione reipublicae et constanti demum cultu Dei, nec non de interitu Babylonis, 17.; complectuntur denique religionem quoque revelatam, 18.

Unde colligenda divina eorundem auctoritas? Quid inspiratio divina? Qua ratione a revelatione distinguitur? 19. Quod argumentum requiritur ad probandam inspirationem divinam? 20. Judaei eam ex eo colligebant, quod scriptores plerique fuerunt prophetae, aut etiam a Deo jussi scribere, vel libri a prophetis fuerunt approbati; an haec omnia nobis quoque sufficiunt? 21. Testimonium Jesu et Apostolorum, atque praesertim Pauli 2 Tim. 3, 14—17. de inspiratione librorum veteris foederis, nec ex accommodatione, neque ex perverso usu loquendi explicandum, 22. — Qui limites et gradus inspirationis? quid de illis Patres ecclesiae? quid scholastici? quae in Belgio ortae contentiones? quid protestantes sentiunt? 23. — In libris historicis inspiratio non supervacanea ob eorundem nexum cum doctrina, ob singulare Dei in hac historia consilium, admittenda ob testimonium Jesu, Apostolorum et primitivae ecclesiae; an Paulus omnia ad doctrinam refert? Quid ad argumenta, quae opponuntur, respondendum? 24. — Cui bono divina librorum auctoritas? 25.

Quid Canon? quotuplex? quid liber apocryphus? a quo tempore hi termini his notionibus usurpantur?

26. Qua ratione Canon librorum V. F. indagandus? 27. — Canon Judaeorum ex testimonio Thalmudicorum, Hieronymi, Epiphanii, Origenis, Melitonis Sardensis, Aquilae, Symmachi, Theodotionis et auctorum versionis Syriacae Pheschito; an intervallo ab his auctoribus retro usque in aetatem Apostolorum, canon Judaeorum mutari potuit? Quot sunt libri in hoc canone? Qua ratione eos Josephus computavit? qua ratione computant Thalmudici? quando canon constitutus fuit? 28. — Canon primitivae Ecclesiae, quos libros complectitur? an pro librorum in canone Judaeorum non contententorum auctoritate ex Hieronymo, ex Origene, ex Junilio, ex constitutionibus Apostolicis, ex Thalmudicis, ex Josepho Fl. atque ex receptione eorum in plerisque antiquissimis ecclesiis aliquid concludi potest? Qui Patres eos rejecerunt? qui Patres et quae concilia eos admiserunt? 29. — Canon concilii Tridentini? 30. — Qui supersunt libri apocryphi? quid ex damnatione eorum concludendum? 31.

Quae de versionibus antiquis notatu digniora? 33.

Origo versionis Alexandrinae juxta Aristaeam; an haec narratio probanda? an prorsus falsa? Origo versionis ex adjunctis historicis Judaeorum in Aegypto? An Ptolomaeus versionem petiit? Quare a 70 denominata? Qui libri primum versi? quando reliqui? An Alexandriae aut saltem in Aegypto? 34. Pentateuchus non ex Chaldaico, neque ex textu Samaritano; sed ex textu Judaico translatus, 35. Indoles hujus versionis, in Pentateucho, Proverbiis, libris Judicum, Ruth, Samuelis et Regum; in Psalmis et Prophetis, inprimis in Jeremia, Amos, Ezechiele, Jesaia et Daniele; in Ecclesiaste, atque in Jobo? 36. Auctoritas hujus versionis apud Judaeos et Christianos, 37. Fata versionis; quid Origenes praestitit, et quo fine? quid asterisci et obeli in Hexaplis? quando opus periit? 38. Recensiones versio-

nis Alexandrinae: Luciani, Hesychii, Eusebii et Pamphili, atque Melchitica, 39.

Aquila, quis? quo tempore vertit libros V. F. quo fine? an loca de Christo pervertit? indoles versionis? 40. Theodotio, quis? quo tempore traduxit Biblia? qua ratione? 41. Symmachus, quis? quo tempore transtulit Biblia? quae versionis indoles? 42. Quinta, sexta et septima versio, unde haec compellatio? versionum harum finis? Quis auctor sextae? Quos libros complectuntur omnes tres? quos praeterea quinta et sexta? quos praeterea quinta et septima? 43. Quare interierunt hae sex versiones? Qui collegerunt fragmenta? Quae optima fragmentorum horum editio? Quid de versione Graeca Venetiis asservata? 44.

Versio Pentateuchi Samaritana, cujus aetatis? cujus indolis? 45.

Thargum Onkelosi cujus aetatis? quare non seculi IV aut Vti? cujus indolis? 46. Thargum Jonathanis in Prophetas, cujus aetatis? cur non seculi Vti? indoles paraphrasis, 47. Thargum pseudo-Jonathanis, cur Jonathanis dici nequit? indoles? aetas ejus? 48. Thargum Jerosolymitanum, an continuum? indoles et aetas? 49. Quae alia Thargumim? aetas et indoles eorum? 50.

Versio Syriaca Pheschito, ex qua aetate? ex quo fonte? unde cognatio ejusdem cum versione Alexandrina? indoles? quid de editione ejus notatu dignum? 51. Versio Hexaplaris, ex qua aetate? ubi superstes? Versio Philoxeniana, a quo? ex qua aetate? ex quo fonte? Versio alias dicta figurata, an hoc nomine compellanda? ex qua aetate? ex quo fonte? an reficta? 52.

Versio Arábica Saadiae Haggaon, quorum librorum? ex quo fonte? cujus indolis? Versio Pentateuchi ab Erpenio edita, cujus aetatis et indolis? Versio Arabica Pentateuchi ex textu

Samaritano, cujus aetatis? 53. Versio Arabica Jobi in polyglottis, ex quo fonte? Versio Arabica in polyglottis excepto Jobo et Pentateucho, ex quo fonte? 54.

Versionis Persicae auctor, aetas et fons, 55. Versionum Aegyptiacarum aetas et fons, 56. Versionis Aethiopicae aetas et fons, 57. Versionis Armenicae aetas et fons, 58. Versionis Slavonicae aetas et fons, 59.

Versiones Latinae ante Hieronymum plures, cujus aetatis? ex quo fonte? quae celebrior? an quaepiam superstes? 60. Quoties et qua ratione emendavit Hieronymus Psalterium et reliquos libros? 61. Versio Hieronymi, ex quo fonte? quae ejus indoles? 62. Quomodo excepta, et quando suscepta? 63. Fata ejus seculo 8vo, 11mo, 12mo et 13tio? 64. Quid concilium Tridentinum de ea decrevit? an eam praetulit textui originali? quo sensu dixit authenticam? qua ratione capiendum illud: nemo eam rejicere audeat? 65. Quae emendationes editionum Vulgatae quae emendatio Sixti Vti? Clementis VIIIvi? an emendatio haec ad sanas regulas exacta? 66. An haec est versio Hieronymi? qui libri non sunt ipsius? 67.

Qua lingua libri exarati sunt? cur haec lingua dicitur Canaanaea? cur Judaica? an in V. et N. F. unquam Hebraea dicitur? quae lingua in N. F. dicitur Hebraea? 68. Fata linguae Hebraicae; aetas aurea argentea, ferrea, et plumbea, atque mors; quid Thalmudica, et Rabbinica? 69. An Hebraica ita conservata, ut Latina et Graeca? 70. Unde oritur difficultas linguae Hebraicae? 71. An praeceptores Judaeorum testes de usu loquendi? Quae media Christiani seculo 17mo tentarunt? 72.

Dialecti cognatae, testes de usu loquendi indirecti; quae dialecti sunt cognatae? 73. Discrepantia dialectorum nihil impedit, 74. Dialecti naturam suam

non immutarunt, 75. Multitudo notionum ex dialectis collecta, non turbat interpretem, 76. Duplex emolumentum dialectorum, 77. Omnes dialecti conferendae; cavenda artificia; observanda analogia permutationis certarum literarum; transpositio earum non facile admittenda; voces omnes dialectorum uni verbo Hebraico respondentes conferendae; novitatis studium in notionibus a longe petitis cavendum; etiam phrases conferendae, 78. Usus Lexicorum, 79. Aestimatio singularum dialectorum, 80.

Etymologia, quid? quae notio prima? quibus indiciis dignoscenda? quae anologia in derivatione observanda? 81. Etymologia non docet, sed illustrat notiones, 82.; est tamen necessaria ad derivationem aliarum notionum, et etiam ad intelligenda loca, in quibus notio prima obliterata, aut allusio ad illam occurrit, ad tollenda dubia de notionibus rarioribus, ad intelligendas notiones rariores et antiquas versiones, 83. An semper inveniri potest notio prima? 84.

Antiqui interpretes, indirecti testes de usu loquendi, 85. Duplex eorum emolumentum, 86. Quibus versionibus et quo ordine iis utendum? 87. Methodus utendi versionibus, 88. Ad rectum usum necessaria cognitio dialectorum et linguae ipsius versionis, ars critica, et observatio locorum difficilium, 89. Quid de Josepho Fl. et Patribus ecclesiae statuendum? 90.

Quid decrevit concilium Tridentinum de interpretatione scripturae? Quae sunt petulantia ingenia? quae prudentia propria damnatur? Quae puncta concernit decretum? 91.

Quibus characteribus scripsit Moses? an hi deinceps manserunt iidem? an ab Ezra mutati? an quaestio haec est alicujus momenti? 92. An Hebraeis olim 22 characteres? an ex relatione de Cadmo, et ex inscriptionibus, 16 duntaxat characteres antiquiores probantur? 93. An nostra puncta vocalia olim usitata?

quo aevo introducta? 94. An literae quiescentes olim vocales? 95. An antiquis Hebraeis nulla signa vocalia? 96. Aetas accentuum et aliorum signorum diacriticorum, 97. An finis verborum olim per intervalla vel puncta designatus? 98. Qua aetate divisio in versus invaluit? Quid hemistichia? Quid στιχοι, cola et commata? 99. Divisio Pentateuchi in Pharaschas, cujus aetatis? 100. Haphtarae, cujus aetatis? 101. Divisio in capita, qua occasione et aetate inducta? an a Stephano vel ab Hugone Carensi? Capitula Hieronymi, an sunt nostra capita? Qua ratione olim a Judaeis loca scripturae designata? Quid est in Abiathar? in Elia? in Rubo? 102. Quae divisio librorum V. F. inter Judaeos usitata? Qui prophetae anteriores, et qui posteriores? Qui sunt libri dicti quinque megilloth? Quae divisio librorum V. F. Christianis usitata? 103.

An textus Hebraeus, a mendis immunis? quid lectio varians? an lectiones variantes ab omnibus admittuntur? 104. Quae menda irrepserunt ante versionem Alexandrinam? an non textus per illa depravatus? Quae erat methodus emendandi manuscripta majoris momenti? Quae sunt de antiquissimis fatis textus cognita? Quid post reditum ex captivitate? 105. In quibus monumentis textus extat a seculo III. ante Chr. usque in seculum II. post Chr.? quid singulare in collatione horum monumentorum observatur? 106. In quibus monumentis textus extat a seculo II. usque ad Vtum? An multae lectiones variae? quando collectae? quid Ittur Sopherim? Thikkun Sopherim? puncta extraordinaria? K'ri v'lo K'tib? K'tib v'lo K'ri? K'ri K'tib? Phisga? S'birim? 107.

Quid Masora? quo seculo coepit? an mox perfecta? qua ratione disposita? quid Masora parva, magna, et finalis? an Masora integritati textus consuluit?

108. Lectiones orientales et occidentales, unde et ex quo seculo? quales varietates exhibent? quas sequuntur nostrae editiones? In quibus monumentis praeterea exhibetur textus a seculo VII. usque ad XI.? 109. Recensiones Aharon ben Ascher et Jacob ben Napthali, ex quo seculo? cujus generis varietates exhibent? quid inde colligitur? quam recensionem sequuntur editiones nostrae? 110.

Textus in codicibus a dimidio seculo XI. usque ad typographicas editiones; quod discrimen antiquiorum codicum a recentioribus? an codices ad grammaticam correcti? quid de codicibus, qui a Rabbinis hujus aevi laudantur antiquissimi, sentiendum? qua ratione corrigebantur hoc aevo codices? an ad Masoram exacti? quid de lectionibus, quae Christianis favent? an textus quoque ad Thargumim refictus? 111. Quae primae editiones? quae fundamentales? quae Bombergianae? quae sunt Biblia polyglotta? 112.

Quae origo textus Samaritani? 113. An textus Samaritanus melior textu Judaico? cujus generis errores contraxit? 114.

Quid ars critica? an necessaria? quale hoc tribunal? quae caussa, quibus testibus, et quibus argumentis internis, ante hoc tribunal agitur? 115. Qua ratione aestimandi codices manuscripti? quare antiquiores sunt majoris momenti? Aetas eorum, qua ratione indaganda? an subscriptionibus fidendum? an indicia, ex indole codicis hausta, ad determinandam aetatem sufficiunt? Codices antiquissimi, antiqui, et recentiores, qui dicuntur? 116. Qua ratione examinanda est bonitas codicum? quid ex paucitate errorum calami concluditur? quae familiae codicum? an quilibet codex ad testimonium singulare admittendus? 117. Quae est auctoritas primarum editionum? quae masorethicarum et amasorethicarum? 118.

An versiones ad dicendum testimonium admittendae? cujus auctoritatis est earum testimonium? quibus casibus versiones sunt testes muti? Quid de versionibus mediatis, de immediatis, et de recentiori aevo refictis? quid de Archaeologia Josephi Flavii? 119. Quid de allegatis in Novo Foedere locis? 120. Quid de locis in Thalmude allegatis? an omnes discrepantiae Thalmudis sunt lectionum varietates? 121. Quid de Masora et de annotationibus k'ri dictis? 122. Cujus auctoritatis sunt allegata Rabbinorum? An omnes eorum discrepantiae sunt variae lectiones? 123. Quid de Patribus ecclesiae? 124.

Collectiones lectionum variantium antiquissimae et recentiores Judaeorum, Christianorum, praesertim Kennicotti et de Rossi, quae praestiterunt? et quae praestanda restant? 125.

Quae praecipua argumenta interna? Fontes errorum, qui? Qui errores calami? Qui errores ex falso judicio librariorum nascuntur? 126. Quae omitti solent? quae regula de omissionibus? 127. Quae addi solent? quid de matribus lectionis? 128. Quae transponi solent? 129. Quaenam errore oculorum permutantur? 130. Quae defectu memoriae permutantur? 131. Quae errore auditus permutantur? 132. Immutationes ex locis parallelis, an adeo copiosae? 133. Compendia scribendi, an in antiquo textu Hebraico usitata fuerunt? 134. Ex margine in textum illata, 135. Verborum separatio perversa, 136. Emendationes malésanae, 137. An lectionis varietates etiam ex corruptionibus ortae? Quid de lectionibus, quae Christianis minus favent? 138.

Argumentum criticum ex contextu et ex syntaxi, 139; ex parallelismo poëtico, et in psalmis alphabeticis, 140.; ex locis parallelis, quale

et quando argumentum ducitur? 141. Probabilitas, quid auctor scripserit, unde petenda? 142.

Ars critica vastam requirit eruditionem, acre judicium, felicem memoriam, attentionem, et exercitationem; an semper aliquid certum definiri potest? Quid inprimis cavendum? an argumenta pro lectione recepta negligi possunt? an lectio pluribus testibus suffulta semper praeferenda? quid de testibus, si reliqua sint paria? Quid si testes omnes consentiunt et interna simul adsunt argumenta? 143. Conjectura critica, quid? an admittenda? 144. Quando admittenda? an in textum assumenda? quando rejicienda? 145. Conjectura dogmatica, quid? an admittenda? 466. Sublimior ars critica, quid? an admittenda? quae in ejusdem exercitio cautelae? 147.

# Pars II.

Argumentum Pentateuchi? 2. Indoles libri, quem auctorem prodit? 3. An hic auctor se dicit Mosen? quid nominibus Legis, Legis hujus, et libri Legis, intelligendum? 4. Argumentum Pentateuchi omni aetate notum, 5., omni aetate nomine Legis Jehovae notum, 6. Pentateuchus tanquam Lex Mosis omni aetate notus, 7.; tanquam liber Mosis omni aetate notus, 8. Moses auctor Gneseos, 9. Interpolationes an recte statuuntur? 10. Pentateuchus non est recentiori aetate compilatus 11. Argumenta contra γνησιοτητα Pentateuchi, quo redeunt? An narratio miraculorum potest esse argumento, librum esse recentius scriptum? An linguae indoles hujusmodi argumentum praebet? 12.

Quae obstant hypothesi, Pentateuchum fuisse refictum? quae sunt hypotheses refictionis, et quid singulis obstat? An Ezras potuit supponere Pentateuchum? 13. Moses ipse scripsit? 14

Quibus argumentis ostenditur, Genesim ex antiquis monumentis haustam esse? An non obstat recentius nomen Jehova? 16. Quae dicuntur esse monumenta, ex quibus Genesis hausta est, et quid de his opinionibus sentiendum? Quae aetas horum documentorum? Historiae hae antiquissimae non sunt suspectae, aut mythi, sed fide dignae, quia tempestive literis exaratae, perpauca referunt, relationes sunt simplicissimae, invicem connexae, carent figmentis, in historia recentiori supponuntur, scandalosa non sunt suppressa? Quid de longaevitate patriarcharum sentiendum? an Exod. 7, 14—19. generationes omissae? 18. Argumenta pro mythis in Pentateucho, cujus generis sunt? 19. An etiam Gen. 1, 1—2, 3. antiquum documentum? cujus antiquitatis est historia creationis? 20. Qua ratione monumenta Geneseos a collectore digesta sunt? 21.

An Moses scripsit annales? quando Pentateuchum edidit? Cujus aetatis est divisio in 5 libros? 22.

Quod est argumentum libri Josuae? 23. Quis scopus? 24. An Auctor est Josua? 25. Liber est recentior, 26. Qua aetate scriptus? Quales sunt Samaritanis libri Josuae? Librum Josuae excerptum esse, ex antiquis documentis, quae sunt argumenta? 28. Auctor est fide dignus 29. Difficultates criticae in nominibus et numero urbium et de Jos. 21, 36—37., §. 30.

Quod est argumentum libri Judicum? 31. Scopus auctoris? Quid de chronologia hujus temporis? 32. Qua aetate liber scriptus est? 33. Ex monumentis, antiquis excerptum esse, quae probant indicia? 34. An monumenta religiose excerpta? 35. Appendix I. libri Judicum, quid exhibet? qua aetate scripta? an ex antiquo documento excerpta est haec historia, et an fide digna? 36. Appendix II. libri Judicum, quid exhibet? qua actate scripta? an adsunt indicia antiqui documenti? an historia fide digna? 37.

Quod est argumentum libri Ruth? 38. Qua aetate liber scriptus est? 39. An ex antiquo documento excerptus? et an fide dignus? 40.

An aetas Judicum heroica, eo sensu, quod surrexerint heroes? vel eo sensu, quod perpetua fuerint bella? vel eo sensu, quod tempora fuerint rudia et immania? 41.

Quod est argumentum librorum Samuelis et Regum? 42. An hi libri gestis coaevi? 43. An recte in quatuor libris dispertiti? an non ab eodem auctore conscripti? 44. Qua aetate scripti? 45. Quod est argumentum librorum Paralipomenon? 46. Scopus auctoris, quis? 47. Qua aetate scripti? 48. An libri Samuelis et Regum, et libri Paralipomenon, ex iisdem vel diversis documentis excerpti? 49. An omnes hi libri fide digni? 50. Qualis est indoles textus horum librorum? 51. An collatio horum librorum necessaria, et quare? 52.

Quod est argumentum libri Ezrae? An decem tribus redierunt ex exilio? 53. Quis est Artachschasta Ezrae? 54. An Ezras libri totius auctor? Stilus Ezrae 55. Indoles textus, quae? 56.

Quod est argumentum libri Nehemiae? 57. Quis est Artachschasta Nehemiae? an potest esse Xerxes, vel Artaxerxes Mnemon? 58. Quo anno Nehemias secundo venit Jerosolyma? Quid de Josephi in hac narratione erroribus? 59. An Nehemias libri totius auctor? 60.

Quod est argumentum libri Esther? 61. Achaschverosch Estheris non est Astyages, nec Cambyses, sed Xerxes, 62. An Mordechaeus auctor libri? Quae aetas libri? 63. Quae indoles textus? 64.

An antiqui in vaticiniis non distinxerunt naturales praesagitiones a supernaturalibus revelationibus? 65. Prima origo fidei in vaticinia, an superstitio? an impostura? an superstitio fraudibus suffulta? an desi-

**derium noscendi futura? An opinionibus his praestat** sententia, originem ex antiquissimis revelationibus repetens? An decursu temporum origo hujus fidei apud barbaras gentes omnes eadem? 66. Vaticinia Biblica nec superstitioni, nec imposturae innituntur; et quidem in adjunctis externis, 67.; sunt ratione argumenti ab oraculis gentilium prorsus diversa, 68. Quid de multitudine et consensu vaticiniorum Biblicorum memoratu dignum? 69. Quid de scopo? An scopum suum assecuta sunt? 70. Quid de praedictione eventuum longe distantium notabile? an adsunt vaticinia hujusmodi eventuum longe dissitorum? quid ex his pro origine vaticiniorum de eventibus proximis colligendum? 71. An vaticinia Biblica, ut oracula gentilium. ambigua? quale periculum subierunt prophetae, etiam de proximis eventibus determinate vaticinantes? 72. Vaticinia Biblica, an mere generica sine adjunctis? 73. An clara aut obscura sunt vaticinia Biblica? an claritas historica jure postulari potest? an ideo, quia non erant historice clara, nullam notitiam suppeditabant? quae tenebrae ab ipsis interpretibus illis offunduntur? 74. Qua ratione prospectus prophetici futura repraesentant? 75. An duplex quorundam vaticiniorum sensus? 76. Quaenam objecta vaticiniorum? Etymologia vocis נבא, quae? quis proprie dicitur נָבִיא? 77. Quae lex Mosaica sancivit de prophetis? 78. Quibus indiciis prophetae de legatione divina certiores redditi? Quibus indiciis auditores et lectores prophetis coaevi, de eorum legatione divina convicti? 79. Qualis fuit revelatio divina? cur explicari nequit? an fuit ordinis naturalis vel supernaturalis? an prophetae quaepiam ex mente sua hauserunt? an et haec auctoritate divina proferre potuerunt? Qui modi revelationis in Bibliis referuntur? Quid de prophetis, gesta et vitia suae aetatis referentibus? 80. Quae est elocutio vaticiniorum antiquiorum et recentiorum? An symbola vere per-

acta? An visiones ad meram elocutionem spectant? 81. An vaticinia omnia eventu completa sunt? 82.

Qua aetate vixit Jonas? 83. Quod argumentum libri Jonae? 84. Quae difficultates? Quid Kikajon? 85. Quomodo solvuntur hae difficultates? 86. An veram liber Jonae continet historiam? 87. Qua aetate liber scriptus est? 88.

Unde oriundus Amos? an vir de infima plebe? 89, ubi vaticinatus est? qua aetate prophetavit? quando librum scripsit? 90. Quae memoratu digniora in ipsius vaticiniis? et quos concernunt haec eloquia? Difficultas chronologica regum Juda et Israel, aetatem nostri prophetae concernens, 91. An Amos imperitus sermone? qualis ejus elocutio? 92.

Qua aetate et contra quos Hoseas vaticinatus est? qualis eo tempore rerum publicarum conditio? 93. Quae memoratu digniora in ejus vaticiniis? 94. Quae elocutio? 95.

Qua aetate et contra quos vaticinatus est Michas? quod singulare de hoc propheta et ejus aetate exstat testimonium? 96., in ejus vaticiniis notatu digniora? 97. Michae elocutio? 98. Quae argumentum libri continet vestigia aetatis, qua Michas vaticinatus est? 99.

Quis Jesaias? qua aetate vaticinari coepit? quamdiu vaticinatus est? 100. Quae praecipua vaticiniorum objecta? 101. Quae elocutio? 102. An Jesaiae vaticinia sunt integra? 103. Omnia vaticinia esse Jesaiae, evincit elocutionis indoles, stili sublimitas, linguae character, dispositio et ratio materias tractandi, reprehensiones rigidae inprimis pastorum seu regum; indicia, Jeremiam aliosque recentiores quosdam prophetas legisse haec vaticinia; Cyri agnitio veri Dei; nec obstat, pauca de deportatione et tot tantaque de reditu Hebraeorum occurrere, neque silentium de eversione regni Assyriorum, neque eventuum longinqui-

tas, 104. Quid de Jes. 2, 2—4. sentiendum? de Jes. 11—12.? de Jes. 15—16.? de Jes. 19, 18—25.? de Jes. 22, 1—14.? An, Jesaiam tot de Sancheribi irruptione fudisse vaticinia, vero dissimile est? Quid de Jes. 24—27. sentiendum? de Jes. 34? de Jes. 35.? 105. An vaticinium contra Tyrum Jes. 23. est recentius? 106. Quae opponuntur vaticiniis contra Babylonem? 107. An stilus, elocutio et linguae character horum vaticiniorum, aetatem exilii arguit? An ex accurata definitione eventuum adeo distantium, quidquam pro recentiori aetate colligi potest? An claritas vaticiniorum usque ad aetatem Cyri, et obscuritas ulteriorum, est argumentum recentioris aetatis? 108. An Jesaias est auctor c. 36—39.? 109. Quid de editione libri sentiendum? 110.

Quod est argumentum libri Joel? 111. Qualis elocutio? 112. Quae aetas Joelis? 113.

Quod est argumentum libri Nahum? An de prima, vel de secunda eversione Nineves agit? 114. Qualis elocutio? 115. Quae aetas Nahumi? 116.

Quod est argumentum libri Habakuk? 117. Qualis elocutio? 118. Quae aetas? 119.

Quod est argumentum Obadiae? 120. Qualis elocutio? 121. Quae aetas? 122.

Quis Zephanias? qua aetate vaticinatus est? 124. Quod est argumentum libri? 125. Qualis elocutio? 126.

Quis Jeremias? qua aetate et ubi vaticinatus est? quis singularis antiquus testis est, vaticinia haec esse Jeremiae? 127. Quaenam vaticinatur? 128. Qualis elocutio? 129. Unde repetenda perturbatio ordinis horum vaticiniorum? 130. Unde diversitas ordinis, et omissiones in versione Alexandrina? 131. Quae sunt argumenta, Jeremiam esse auctorem lamentationum? 132. Quae objecta lamentationum? 133, qualis dispositio et elocutio? 134.

Quis Ezechiel? qua aetate et ubi vaticinatus est? 135. Quae de argumento libri notatu digniora? 136. Qualis elocutio? 137. Unde perturbatio ordinis vaticiniorum contra alias gentes, repetenda? 138. Quae sunt indicia interna, ultima novem capita esse Ezechielis? 139. Quae interna adsunt indicia, vaticinia contra gentes, esse Ezechielis? 140.

Quis Daniel? qua aetate et ubi vaticinatus est? 141. Argumentum libri? 142. Elocutio? 143. Quae indicia interna, librum esse Danielis? quod argumentum ex historia ducitur, librum non esse aetate Antiochi Epiphanis scriptum? 144. Cur Judaei Danielem Hagiographis manciparunt? an etiam antiquiores Danielem ordine prophetarum excluserunt? An Dan. 8. 26. 12, 4. novitas libri excusatur? An aetate Maccabaeorum plurima exemplaria sacrorum librorum combusta, ut demum Daniel Canoni inseri potuerit? 145. An mirabilia arguunt quidquam contra prima sex capita? an ex commixtione dialecti Chaldaicae cum Hebraica quidquam colligi potest? An occurrunt in his capitibus voces Graecae? an voces Persicae arguunt recentiorem aetatem? An incredibile, Nebucadnezarem coram Daniele c. 2, 46. procubuisse? Quid de statua aurea? cur Daniel et ceteri Judaei ad eam adorandam non vocati? In quod tempus incidit insania Nebucadnezaris? quamdiu duravit? an in profana historia nulla de illa mentio? Quis rex Belschazar? quare in historia profana nomen non occurrit? an fuit ex familia Nebucadnezaris? Quid de Daniele c. 5. 17. Belschazarem fere ut regem Hebraeorum alloquente? 146. Quid de accuratione vaticiniorum in ultimis sex capitibus? An angeli in his vaticiniis obvii, aut Messias, similes angelis et Messiae Rabbinorum, et an ex hoc recentior aetas vaticiniorum colligi potest? 147. Quae est forma libri? unde discrepantia versionis Alexandrinae repetenda? 148.

Qua aetate vaticinatus est Haggaeus? 149. Quod libelli argumentum? 150. Qualis elocutio Haggaei? 151.

Qua aetate vaticinatus est Zacharias? 152. Quod libri argumentum? 153. Qualis elocutio in prima et secunda parte? 154. Duo vaticinia secundae partis sunt unius ejusdemque auctoris; ambo aetate Zachariae scripta; an elocutio, oppositio Ephraimi vel Josephi et Judae vel Jerosolymorum, idola et pseudo-prophetae commemorati, antiquiorem aetatem arguunt? an distantia eventuum recentiorem aetatem comprobat? an discrepantia stili alium auctorem arguit? an stilus utriusque partis non in multis convenit? cur aliqua in secunda parte diversa? 155. Quid de editione libri notatu dignum? 156.

Qua aetate vaticinatus est Malachias? 157. Quod argumentum? 158. Qualis elocutio? 159.

Ex quo aevo sunt Psalmi? 160. Psalmorum argumentum? An omnes historiam resonant? an quipiam prophetici? 161. Quod argumentum inscriptionum plerisque Psalmis praefixarum? an alicujus momenti? 162. An inscriptiones ab auctoribus praefixae, aut saltem antiquae? 163. An Ps. 90. est Mosis? an etiam Ps. 91.? 164. Quod sunt Psalmi Davidi inscripti? an hi omnes illius? Quod eorum argumentum? Quae elocutio? 165. Quid de Psalmis Korachitis et Jeduthuni inscriptis? 166. An Psalmi Asapho inscripti, omnes hujus auctoris? Qualis eorum elocutio? 167. An Ps. 88 et 89. ab Heman et Ethan exarati? 168. An Ps. 72 et 127. sunt Salomonis? 169. Quid de Psalmis anonymis? 170. Quo tempore Psalmi collecti? unde partitio in quinque libros? Quid de ratione numerandi Psalmos notatu dignum? Quid est de voce סֶלָה sentiendum? 171. Quid sibi vult inscriptio: Psalmi graduum? 172. An in Psalmis sunt chori? 173.

Quid de nomine Proverbiorum sentiendum? 174. Argumentum Proverbiorum? 175. An auctor est Salomo? an liber hac forma ab eo editus? cur quaepiam sententiae saepius, et interdum quidem mox iterum repetuntur? 176. Elocutio Proverbiorum? 177. Usus Proverbiorum, 178.

Quod est argumentum libri Job? 179. Quae sententiae de argumento libri? 180. Vera historia subest? 181. Qualis dispositio et elocutio? 182. Auctoris consilium? an consilium auctoris esse potest, quod Elihu profert? 183. Locus commorationis Job, an vallis Damasci, an Idumaea? 184. In quam aetatem ponitur Job? 185. An Job sistitur qua rex? an qua subditus? quis fuit? 186. Quae argumenta evincunt, librum Job esse opus unius auctoris? 187. Textus Hebraeus non est versio ex Arabico, 188. Auctor libri Job fuit Hebraeus, 189. Non scripsit in captivitate Babylonica, 190. Argumenta pro aetate Salomonis nihil evincunt, 191. Jobum ante egressum Hebraeorum ex Aegypto scriptum fuisse, gravia adsunt argumenta, 192. Quae sunt argumenta, Mosen esse libri hujus auctorem? 193. An argumentum libri repugnat doctrinae Pentateuchi? an necessario statuendum, auctorem in Arabia educatum fuisse? 194. Consilium Mosis in hoc libro, quale? 195.

Quid sibi vult nomen canticum canticorum? quod est argumentum? 196. An objectum est amor utriusque sexus? an impudicus? an nuptiae Salomonis cum filia Pharaonis? an amor castus ante matrimonium? an amor Dei aut Messiae et ecclesiae? 197. An Salomo auctor Cantici? 198.

Quid de forma foeminina Kobeleth sentiendum? An Kobeleth congregationem indicat? Quid nomen hoc significat? 199. Quod argumentum Ecclesiastis? 200. Quae libri dispositio? An liber ex congregationibus eruditorum derivandus? 201. An scopus Ecclesiastis

est, docere vitam mollem? an, omnia oblectamenta rejicere? quis auctoris scopus? an certos adversarios oppugnat? Quid de adversariis libri notatu dignum? 202. Qualis character linguae et stili? 203. An auctor Ecclesiastis est Salomo? 204.

An difficultates librorum deuterocanonicorum gravis sunt momenti? 205.

Quis Baruch? 206. Quod argumentum libri? 207. An munera missa Jerosolyma c. 3. 7., et vasa argentea recepta c. 1, 3. creant difficultatem? quid de Baltasare c. 1, 11. sentiendum? quis est fluvius Sodi vel Sud? 208. An liber lingua Hebraica scriptus fuit? 209. An Epistola c. 6., est Jeremiae? qua lingua et qua aetate scripta? 210. Ex qua aetate est nostra versio Vulgata? quae aliae adsunt versiones, et ex quo fonte manarunt? 211. An Baruch liber canonicus? 212.

Quae difficultas in cantico trium puerorum? an Hebraice scriptum? 213. Quod argumentum historiae de Susanna? 214. Quae in ea difficultates, et qua ratione solvendae? 215. An versio Vulgata est Hieronymi? quae aliae sunt versiones hujus historiae? 216. Quid Dan. 14. narratur de Belo et Dracone? 217. Quae in hac narratione difficultates, et qua ratione solvendae? 218. Qua lingua haec narratio conscripta fuit? An versio Vulgata est Hieronymi? quae aliae versiones? 219. An divinae sunt auctoritatis partes Danielis deuterocanonicae? 220.

Quod est argumentum partium deuterocanonicarum libri Esther? 221. Quis earum auctor, et qua lingua conscriptae fuerunt? 222. An versio Vulgata est Hieronymi? quae aliae sunt versiones harum partium? 223. Auctoritas canonica harum partium 224.

Quod est argumentum libri Tobiae? 225. Quae in eo difficultates? 226. Quibus rationibus solvuntur? 227. Qua lingua, quae aetate, a quo liber scriptus fuit?

228. An versio Vulgata est Hieronymi? quae aliae versiones libri? 229. Auctoritas canonica libri Tobiae? 230.

Quod est argumentum libri Judith? 231. Quae difficultates in hoc libro? 232. Quibus rationibus solvuntur? 233. Quis auctor libri, qua aetate et qua lingua conscriptus est? 234. Cujus est versio Vulgata? qua ratione Hieronymus hunc librum vertit? quae aliae versiones libri? 235. Auctoritas canonica libri Judith? 236.

Unde colligenda aetas Jesu Sirach? an nepos ejus sub Ptolemaeo Evergete primo vel secundo, librum Hebraicum in Graecum vertit? qua itaque aetate scripsit Jesu Sirach? Quid de altera praefatione? An Jesu Sirach idem cum Ben Sira? 237. Quod argumentum Ecclesiastici? 238. Ex qua aetate est versio Vulgata? Qualis versio Graeca? Ex quo fonte manavit versio Syriaca? Ex quo fonte manavit versio Arabica? 239. Auctoritas canonica libri Ecclesiastici? 240.

Quod argumentum libri sapientiae? 241. Qua lingua liber conscriptus fuit? 242. Quis auctor? qua aetate liber scriptus est? an pars secunda est ejusdem auctoris? 243. Ex qua aetate est Vulgata? Qualis est versio Arabica? Qualis Syriaca? 244. Auctoritas canonica libri Sapientiae? 245.

Unde descendit nomen Maccabaeorum? Unde nomen hoc derivandum? Unde est nomen Hasmonaeorum? 246. Quod est argumentum libri primi Maccabaeorum? 247. Qua aetate liber scriptus est? 248. Qua lingua? 249. Cujus aetatis est versio Graeca? Ex qua aetate est Vulgata? An versio Syriaca est filia textus Hebraici? 250. Quod argumentum libri secundi Maccabaeorum? 251. Quae sunt difficultates? qua ratione solvendae? 252. Quis auctor? quae aetas libri? 253. Quae lingua? Ex qua aetate est Vulgata?

Ex quo fonte manavit versio Syriaca? An liber Maccabaeorum Arabicus est versio? Quid de libris Maccabaeorum apud Judaeos Sinenses repertis? 254. Auctoritas canonica? Quae fuit duobus de libris Maccabaeorum controversia? 255.

Typis Antonii de Haykul.

# E r r a t a.

| Pag. | linea | | lege | | pro |
|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 6 | ab infra | adprobavit | — | adprodanit |
| 11 | 9 | a supra | odiosa | — | odioso |
| 20 | 11 | a. s. | obsoletarum | — | absoletarum |
| 26 | 4 | a. i. | ; | — | , |
| — | 1 | a. i. | quod | — | quid |
| 27 | 2 | — | accommodatio | — | accomodatio |
| 29 | 9 | a. s. | hallucinari | — | ballucinari |
| — | 10 | ab i. | fidei | — | flidei |
| 41 | 12 | ab i. | cum | — | eum |
| 54 | 11 | ab i. | Ezechielis | — | Ezechielia |
| 58 | 16 | a. s. | Psalmorum | — | Psalmorem |
| — | — | — | monasterio | — | monasterico |
| 60 | 6 | a. s. | caute | — | cante |
| 63 | 7 | a. s. | asteriscis | — | astericis |
| 67 | 1 | ab i. | qua | — | quo |
| 70 | 13 | a. s. | asteriscos | — | artericos |
| 84 | 16 | a. s. | בְרח | — | בדח |
| 87 | 8 | ab i. | post sunt | — | antiquiores vel meliores |
| 97 | 18 | a. s. | praefiniebant | — | preafiniebunt |
| 100 | 15 | a. s. | frusta | — | frustra |
| — | 5 | — | Cateches | — | Cataches |
| 102 | 2 | a. s. | quoque | — | quoqua |
| 109 | 6 | ab i. | inscribebatur | — | inseibcbatur. |
| 112 | 16 | ab i. | verosimiliorem | — | versimiliorem |
| 130 | 10 | a. s. | ונוכף | — | זמנף |
| 132 | 2 | a. s. | מוּת | — | תוּמ |
| 145 | 9 | ab i. | טוטפות | — | טיטפות |
| 154 | 6 | a. s. | repertus est, | — | repertus |
| 185 | 6 | ab i. | atque | — | atquae |
| 187 | 4 | a. s. | idololatriae | — | indololatriae |
| 189 | 9 | a. s. | פלני | — | פלגי |
| 204 | 1 | ab i. | 408 | — | 308 |
| 206 | 12 | ab i. | quare Haman | — | quare |
| 207 | 3 | a. s. | affigendus | — | affingendus |
| 212 | 11 | a. s. | numine | — | nunime |
| 214 | 7 | ab i. | Apollinis | — | Apollonis |
| 218 | 17 | ab i. | potuissent | — | poterant |
| 223 | 5 | a. s. | רְאֵה | — | וְאֵה |

| Pag. | linea | | lege | | pro |
|---|---|---|---|---|---|
| 237 | 7 | a. s. | sine | — | fine |
| 238 | 13 | a. s. | silentium | — | silentio |
| 247 | 17 | ab i. | restituturos | — | restituros |
| 258 | 14 | ab i. | magis | — | mogis |
| 263 | 14 | ab i. | longinqua | — | longiqua |
| 269 | 11 | a. s. | magistratuum | — | magistratum |
| 270 | 4 | a. s. | חֲבַקוּק | — | חֲכַקוּק |
| 291 | 5 | a. s. | כָתבוּ | — | כָתבו |
| — | 13 | ab i. | magistratuum | — | magistratum. |
| 293 | 12 | a. s. | זְכַרְיָה | — | יְכַרְיָה |
| 294 | 12 | ab i. | interprete | — | fnterprete |
| 298 | 14 | ab i. | quam | — | qnam |
| 303 | 12 | ab i. | quipiam | — | quaepiam |
| 327 | 8 | a. s. | sui | — | fui |
| 328 | 11 | ab. i. | monente | — | momente |
| 346 | 20 | a. s. | inspiratas | — | inspiratus |
| 347 | 14 | a. s. | allatam | — | allatum |
| 369 | 13 | a. s. | cani sensus | — | cani |
| 374 | 4 | a. s. | referemus | — | referemur |

---

Alia leviora, in punctis maxime Hebraicis et interpunctionibus min. Lector benev. ipse emendabit.